62500/B

MEDICAL SOCIETY
OF LONDON

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

ACCESSION NUMBER

PRESS MARK

GOELICKE, A.O.

XIX 3L



Busch ſc. Berl.

INSTITUTIONES MEDICAE
SECUNDUM
PRINCIPIA
MECHANICO-ORGANICA
REFORMATAE

in quibus
Oſtenſis naevis reſectisque ſupervacuis atque inutilibus aliorum ſpeculationibus, ea tantum traduntur, quae *USUI* vere *MEDICO* inſerviunt, perpetuumque inter THEORIAM & PRAXIN nexum commonſtrant.

in uſum
PHILIATRORUM
ita concinnatae, ut
CURSUS ANNUI
loco inſervire commode posſint.

Una cum
Introductione brevi atque ſuccincta in
HISTORIAM LITTERARIAM
Auctorum, qui hanc elementarem artis medicae partem ad haec usque noſtra tempora ſcriptis ſuis illuſtrare cordi habuêre.

Auctore
ANDREA OTTOMARO GOELICKE,
Med. D. inque Regia Viadrina P. P. Ord. nec non Phyſico Provinciali.

MEDICAL SOCIETY OF LONDON

FRANCOFURTI cis VIADRUM,
apud JOHANNEM GODOF. CONRADI. 1735.

PRAEFATIO.

Diu quidem optavi, ut quis in Philiatrorum gratiam manum operi admoveret, ac methodo & principiis Illuſtris STAHLII, quem eheu! haud ita pridem fata orbi erudito non ſine ingenti *Reipublicae medicae* damno atque detrimento praeripuere, convenienter, *Inſtitutiones*, quas dicunt, *medicas* ita concinnaret, ut neque quidem ſuperfluis luxuriarent neque neceſſariis deficerent, interea tamen omnes eas partes complecterentur, quae in *Curſu* ita dicto *minore* in ſcholis medicis praelegi a Profeſſoribus ſolent. At vero dolendum merito mihi eſt, in tanto Auctorum, qui ſcriptis *Stahlianis* illuſtrandis laudabilem impenderunt operam, numero, neminem in hunc usque diem repertum eſſe, qui voto meo exaſſe ſatisfaceret. Equidem inficias eundum non eſt, hunc ſcopum animo ſuo praefixum habuiſſe GEORGIUM PHILIPPUM NENTERUM, Practicum quondam medicinae feliciſſimum ac Doctorem legentem in *Academia Argentinenſi* tam in *theoria hominis ſani* ſive *phyſiologia*, quam etiam in *theoria hominis aegroti* ſive *pathologia medica*, in quarum *illa*, *expunctis minime neceſſariis, ſuperfluis ac curioſis* (quae quippe vera

medicae artis fundamenta magis evertere, quam confirmare ſolent) *ea tantum, quae ad medicum ejusque ſcopum praecipue ſpectant, tradere, & ex veris* NATURAE *in C. H. agentis principiis ſolide demonſtrare* eſt adniſus, in *hac* vero, *remotis iterum inutilibus, ea tantum, quae ad praxin vere medicam neceſſaria ſunt*, exhibere adlaboravit. Verum enim vero, etiamſi pauca forte ſint, quae in utraque hac theoriae medicae parte, *phyſiologia* nempe ac *pathologia* deſiderari jure poſſint, deficiunt tamen praeter *ſemeioticam* etiam *methodus medendi* una cum *therapeutica*, quae quippe partes ab *inſtitutionum* ſcriptoribus, *phyſiologiae* aeque ac *pathologiae* conſtanter hucuſque jungi conſuevêre. Ut taceam, pro γνησιως STAHLIANO a nonnullis NENTERUM non agnoſci, idque nulla alia, ut ſuſpicor, de cauſſa, quam quod ad pedes STAHLII nunquam conſederit diſcipulus, ſed, quod longe aliis quondam principiis innutritus, Praeceptorum ſuorum placita deſeruerit, & STAHLIUM, poſtquam praecepta ejus theoretica praxi clinicae melius & exactius reſpondere, ipſo rerum uſu deprehenderat, ducem ſibi elegerit. An vero propterea eorum, qui STAHLII veſtigiis inſiſtunt, ſit excludendus numero, licet is NATURAM ipſam ubique ſibi praeeuntem ſequutus ſit, aliis maturius perpendendum relinquo; Videretur aliâs ſponte inde conſequi: Neminem ullum genuinis STAHLII diſcipulis & aſſeclis adnumerandum eſſe, niſi qui viva voce docentem ipſum audiverit; Contra quam tamen ſententiam proteſtabuntur omnes illi, qui ab ore quidem celeberrimi hujus Viri nunquam pependerunt, ex eruditiſſimis tamen ejus ſcriptis, quae diurna nocturnaque manu verſarunt, concatenata ſerie totius artis medicae tale ſyſtema ſibi formarunt, quod ipſe STAHLIUS, cum viveret, pro *ſuo* agnoſcere non dubitavit. Quo potiſſimum nomine eximiis exornavit laudibus DD. JOHANNEM SIMONEM BAUERMULLERUM, artis medicae *in Julia*

Ducali

Ducali Würtzburgenſium Univerſitate Prof. Publ. & militiae praeſidiarium, qui, licet unum vel alterum menſem tantum in FRIDERICIANA Hallenſi commoratus ſit, mentem tamen STAHLII pauxillo tali temporis intervallo tam feliciter eſt adſecutus, ut *ſpecimen theoriae medicae, ad uſum practicum praecipue adcommodatae*, philiatris in manus dederit, in quo *phyſiologiam, pathologiam* atque *therapevticam* ſuccinctis theſibus ita complexus eſt, ut tyrones, ad SOLIDAM artis cognitionem adſpirantes hodegum quendam haberent, qui firmiſſimum theoriam inter & praxin nexum ubique ipſis praemonſtraret. Ex quo illud velut in tranſitu clariſſime dilucefcit, non levi STAHLIUM injuria adfici ab iis, qui de ſcriptorum ſuorum obſcuritate hucuſque ſine ratione conqueſti ſunt & adhuc in hunc uſque diem conqueruntur, eo ipſo tamen haud obſcure prount, quod ſcriptis STAHLII legendis debitam nunquam impenderint operam. Verum, ut ad NENTERUM noſtrum revertar, non diſſimulo, videri illum ipſum dubitaſſe, an conſvetis *inſtitutionum* ſcriptoris legibus fecerit ſatis, cum ab eo tempore *fundamenta medicinae theoretico-practica* ediderit, in quibus praeter *praecognita* artis medicae, etiam *phyſiologiam, pathologiam, ſemeioticam, medendi methodum generalem* ipſamque *therapiam* una cum *formulis remediorum*, atque adeo omnes ac ſingulas *inſtitutionum* partes concinna ſerie tabularum forma ita exhibuit, ut, quid ab ipſo deſiderari amplius poſſit, vix ad ne vix quidem perſpici liceat; Niſi hoc unum excipere forſitan placeat, quod, cum duobus voluminibus in forma, quod ajunt, quarta conſtent, prolixitate nimia labore videantur, ſcholarumque uſibus vix ideo inſervire commode poſſint. Quae cum ita ſeſe habeant, paucaque vel nulla ſpes adfulgeret, fore, ut tales, quales ego optabam, *inſtitutiones*, quae nempe omnes ac ſingulas artis medicae partes, velut in ſynopſi, ſecundum principia STAHLII, ex ipſis celeberrimi hujus viri ſcriptis de-

 prompta

prompta ſiſterent, ut, inquam, tales lucem aliquando publicam adſpicerent, id mihi oneris ab Auditoribus meis imponi facile paſſus ſum, ut, cum *Collegii diſputatorii publici* formam pleriſque non diſplicere intelligerem, ſucceſſive illas in cathedram medicam producerem ſicque cenſurae publicae ſubmitterem: Unde tandem hoc *inſtitutionum medicarum* opus enatum eſt.

Retinui autem dedita opera vulgarem & in ſcholis receptam *inſtitutionum* inſcriptionem, ut omnem adfectationis imputationem ſollicite a me abalienarem. Juſtior metus eſt, ne multis diſpliceat, imo potius aures ad ſolam hanc *phraſin moleſtiſſime tinniant*, quod eas ſecundum *principia mechanico-organica reformatas* eſſe dixerim. Fateor, ambitioſum videri id poſſe, ſi primus vocabulis hiſce uſus eſſem. At vero, cum nemo, quod ſciam, ambitionis vanae cöarguerit BARTHOLINUM & BLANCARDUM, quod *Anatomiae* ſuae uterque REFORMATAE nomen impoſuerit: Imo in ipſa *introductione* in rem litterariam *Inſtitutioniſtarum*, toti operi praemiſſa occurrant, qui *inſtitutiones* a ſe editas REFORMATAS dicere non erubuêre (id quod Franciſcum *Zypaeum*, qui *fundamenta medicinae reformata* edidit, & *Juſtum Veſti*, *inſtitutionum reformatarum* auctorem, feciſſe obſervo) Non video ſane, quid culpae vel vitii in me redundet, quod eadem cum illis libertate uſus ſim: Id quod eodem vel potiori forte jure facere mihi licuit, qui haud pauca in *phyſiologica* aeque ac *pathologica* theoriae medicae parte dogmata, quae impune hucuſque tolerata fuerant, tanquam inutilia vel ſaltem ſupervacua vel plane aliena, artem magis turbantia & confundentia, quam illuſtrantia, inde reſecui, alia emendavi, imo longe aliud toti arti *principium demonſtrativum*, nempe *mechanico-organicum* ſubſtravi: Unde omni adfectationis vel ambitionis culpa facile liberabor, quod hiſce meis *inſtitutionibus* REFORMATARUM nomen tribuerim,

quo-

quocunque demum ſenſu *reformationis* vocabulum accipiatur. Sive enim per *το reformare* in ſubſtrata materia intelligatur, diſciplinam aliquam *ad eam formam reducere, quam olim obtinuit, ſed amiſit, vel novam ipſi inducere*, vel, *ſi qui naevi, defectus vel errores irrepſerint, illos inde reſcindere, removere, purioremque & caſtigatiorem eandem ſiſtere*, utrobique hae inſtitutiones *reformatarum* titulum omni jure tuebuntur. Primo ſenſu ſi ſumatur *reformationis* vox, conſtat inter omnes, antiquiſſimos medicos jamdudum principia *mechanico-organica* in eo profeſſos eſſe, quod corpus humanum neutiquam pro ſimplici machina habuerint, ſed ab *Ariſtotelis* usque temporibus conſtanter crediderint, *animam* eamque *rationalem* eſſe formam, totum corpus organicum *informantem*, i. e. omnes ejus actiones, *animales, vitales* ac *naturales* non modo dirigentem, ſed & inſtruentem, actuantem & quaſi animantem; Id quod idem eſt, ac totum corpus organicum, i. e. variis organis inſtructum *informare.* Hanc vero formam amiſit medicina, cum Philoſophia *Carteſiana* caput extollere, & C. H. pro machina pura puta haberi coepit. Itaque ad eam formam, quam antiquitus obtinuit, fuit reducenda; Id quod nihil aliud eſt, quam hoc ſenſu medicam artem *reformare.* Si vero *ſecundo ſenſu* accipiatur, res ipſa, vel me tacente, loquitur, *novam* inſtitutionibus *formam* inductam eſſe. Quaeſtio tantum eſt, an *reformatio* iſta in *melius*, an vero *in deterius* facta ſit? Credo ego, *in melius:* Qui contrarium adſerit, ei probandum incumbit: In hiſce terminis principiorum *mechanico-organicorum*, ſecundum quae *reformationem inſtitutionum* ſuſceptam eſſe dixi, vel *contradictoria* vel *plane falſa* contineri, cum mihi potius amiciſſime inter ſe mutuo conſpirare videantur. Quod, ut probem, non opus mihi eſt, vocabulis hiſce *machinae* & *organi* alienum adfingere ſenſum, quam quem ex *communi omnium conſenſu habent*, imo ex *derivationis* ſuae ratione habere merito debent. *Machina* eſt

corpus,

corpus, certa ratione conſtructum atque conformatum, qua conſtructione aptitudinem adquirit, certum atque determinatum effectum praeſtandi: Aptitudinem, inquam, ad motum, non actualem motum, ad certum effectum producendum: Atque adeo nullum corpus, nulla machina, quacunque demum ratione *texta* vel *ſtructa* fuerit, ex ſe motum vel effectum aliquem producit, vel producere poteſt, niſi ab alia cauſa motum & impulſum acceperit. Et quamvis automata quaedam dentur, quae ad certum atque determinatum tempus iſtum ſuum, quem ab artifice obtinuerunt, motum & impulſum continuent, hac tamen temporis periodo elapſa, moveri ceſſant & quieſcunt, niſi denuo impellantur, in perpetuum aliâs quietura, exemplo horologiorum, quae quidem ad certam temporis periodum moventur horaſque indicant & alia effecta producunt, hac vero elapſa moveri ceſſant, de novo impellenda, ſi eos, ad quos deſtinata ſunt, motus & effectus praeſtare debeant: Per *organon* vero denotari ſolet inſtrumentum, cujus ope functio quaedam perficitur. Quid ergo impedit, quo minus de corpore humano ſinguliſque ejus partibus atque viſceribus, ſingulari cuidam functioni deſtinatis praedicetur, & *machinae* & *organi* rationem ſimul ſubire? Ut ſimplex enim machina conſideratum corpus vi ſuae conſtructionis aptitudine quidem gaudet, ad certos quoſdam motus & functiones praeſtandas, ſed haec tamen potentia nunquam tranſiret in actum, niſi eadem illa machina *organicam* ſive *inſtrumentalem* rationem ſimul obtineret. Quam ob rem, cum ſolus *mechaniſmus* omnibus ac ſingulis oeconomiae animalis functionibus explicandis non ſufficiat; Hinc cum *organiſmo* eundem combinavi: Ex quo proinde *principio mechanico-organico* univerſum functionum *animalium*, *vitalium* a *naturalium* ſyſtema concatenata ſerie, & ſine ulla inde metuenda contradictione, deduxi. Agens vero ſeu movens principium, quod ſingulis

praeeſt,

praeeſt, *animam rationalem* ipſam conſtitui, quae quippe idem eſt, quod *naturam*, nempe *humanam*, omnes vocant Quae ſententia neutiquam eſt nova, ut nonnulli perverſe ſibi perſvadent, ſed ab *Ariſtotelis* temporibus ad haec noſtra usque conſtanter in ſcholis medicorum ac *philoſophorum*, ſectae inprimis *Peripateticae*, viguit; Cujus rei unicum tantum ex *Jani Huarti*, Doctoris medici Hiſpani, ingenioſo ſcripto, quod *ſcrutinium ingeniorum* vocat, allegare mihi liceat teſtimonium: Is enim Cap. IV. pag. m. 105. & 106. diſertis verbis *naturam* vocat *animam rationalem* hiſce verbis: ARISTOTELES *cum reliquo Phyſicorum choro propius in rem ipſam deſcendit ac naturrm adpellat formam ſubſtantialem, quae det eſſe rei, ac ſit principium omnium ſuorum operum. Quo in ſignificatu acceptam naturam recte* ANIMAM *noſtram* RATIONALEM *ipſam eſſe dicemus, quippe ab illa eſſe noſtrum formale capimus, illaque omnium noſtrarum actionum operationumque principium eſt.* Quo teſtimonio nihil clarius nihil manifeſtius eſt. Eandem interim ſententiam adoptavit ſuamque fecit STAHLIUS, idque tantum curae cordique ipſi fuit, ut eandem magis perpoliret, atque, qua ratione unum idemque principium omnibus ac ſingulis oeconomiae animalis ac vitalis functionibus adminiſtrandis ſufficeret, inque rationalibus *rationaliter*, in animalibus *animaliter*, in vitalibus *vitaliter* & in naturalibus *naturaliter* ſeſe gereret, clarius evinceret atque demonſtraret. Et ut tanto minor difficultas relinqueretur totum hoc negotium concipiendi, *in notis ad ſatyras Harveanas* ſimilli, petito a *domo*, variis utenſilibus largiter inſtructa, & *oeconomo* illam inhabitante omnibusq; rite utente, illuſtrare illud non dubitat. Nullum dubium eſt, quin varia illa utenſilia, quorum quaelibet uti conſtructione, magnitudine & figura inter ſeſe mutuo diſcrepant; Ita diverſis quoq; uſibus ſint deſtinata: Nullum tamen illorum, etiamſi omni ad uſum, cui deſtinatum eſt, praeſtandum aptitudine gaudeat,

 illum

illum actu praeſtabit, niſi ab *oeconomo* ad eum adplicetur & adcommodetur. Eodemque plane modo cum oeconomia C. H. comparatum eſt; Variae illae partes ac viſcera, quibus gaudet, omni inſtructae ſunt aptitudine ac diſpoſitione illud exhibendi officium, cui dicatae ac deſtinatae ſunt; Sed non prius tamen illud actu praeſtabunt, quam, poſtquam ab altiori cauſa ſeu principio agente adſumta & actuata fuerint. Unde iterum diſpaleſcet clariſſime differentia *inter machinam, ad uſum aptam, & organon ſive inſtrumentum, quod a cauſa ſuperiore aſſumitur,* (*& regitur, gubernatur* ac *dirigitur*) *ad effectum producendum;* Inter *mechanicam potentiam,* ad motum ſubeundum *paſſivam* & *motum* & *actum* atque *poteſtatem* ejus, ad fines propoſitos exquiſite *regentem.* Quae omnia licet haud difficulter comprehendi & cauſa actionum omnium domeſtica in propria corporis oeconomia reperiri poſſint: Malunt tamen nonnulli vel a ſanguine & putatitio quodam fluido nerveo, vel plane a ſubtili elaſtica aëris atmoſphaerici, fluidis C. H. intime permixta materia illam repetere. Sunt tamen ſuis in adſertionibus admodum inconſtantes; Qui enim ante aliquot annos tanquam pro aris & focis diſputaverant: Corpus humanum eſſe nihil aliud, quam *machinam* ſeu *inſtar machinae ſeſe habere, quae variis organis ratione figurae & magnitudinis, certo ordine ac ſitu diſpoſitis & conſtructis gaudeat, quae tamen moveri & animari debeant a partibus fluidis corporis noſtri, nempe ſanguine & ſpiritibus animalibus,* ſive, ut hodie loqui malunt, *fluido nerveo:* Hi nunc plane contrarium docent: Nempe, *corpus humanum NEUTIQUAM eſſe puram machinam, ex diverſi generis partibus & organis inter ſe connexis, ad motus, qui potiſſimum conſervationi ejus vitali inſerviunt, conſtructam; Sed cum altioris originis & naturae, ſpirituali nempe principio, quod & percipiendi & intelligendi & res invicem diſcernendi & certos quosdam motus dirigendi potentiam habeat, mutua & intimiori unione eſſe conjunctam.* Ex quibus liquidiſſime conſequitur:

C. H.

C. H. ſimul *eſſe & non eſſe* machinam; Qua tamen apertisſima contradictione nihil obſtante, ex propriis illorum adſertionibus facile efficiam, ut idem plane mecum ſentiant. Conceditur 1.) C. H. neutiquam eſſe puram putam machinam, ſed 2.) ei junctum eſſe principium ſpirituale, quod 3.) potentia non modo polleat certos quosdam motus, v. g. animales dirigendi, ſed & vitales ac naturales, regulariter alioquin ſeſe habentes, turbandi & invertendi, ſicuti ex gravioribus animae pathematibus, ira v. g. ac terrore, viribusque corruptae phantaſiae ſatis conſtat. Argumentor jam ex hiſce concesſis: Si C. H. neutiquam eſt pura puta machina, ſed principio ſpirituali, quod & percipiendi & res a ſe mutuo diſcernendi & non tantum certos quosdam motus v. g. voluntarios dirigendi ſed & *vitales* atque *naturales* turbandi & invertendi potentiam habeat, mutua & intimiori unione conjuncta; Sequitur proniſſime: Idem illud intelligens & rationale principium poſſe etiam in ſtatu oeconomiae C. H. ordinario & regulari eosdem illos motus, *voluntarios*, *animales*, *vitales* ac *naturales* non dirigere tantum & gubernare, ſed & excitare & ad certum quendam finem & effectum inde obtinendum determinare. Propterea tamen nulla medico incumbit necesſitas, multum operae impendendi, ut intimiorem principii hujus cognitionem ſibi adquirat; Ipſe enim STAHLIUS contra hanc imputationem ſolemnisſime eſt proteſtatus, & lites ipſi aeque ac diſcipulis & aſſeclis ſuis ſuper hoc principio motas, ad Logicorum atque Metaphyſicorum ſcabella in ſcholis trivialibus remiſit, vel, ſi quam maxime haec doctrina in medica ſcientia tolerari debeat, nere tamen eminentiorem, quam in *anthropologia*, locum obtinon posſit. Verum diutius hiſce nunc non immoror, ſed ad recenſionem partium, quibus hae *inſtitutiones* conſtant, me converto. *Prima* illarum *Iſagogica* eſt, continens *praecognita*

artis de ejusdem *auctore*, *objecto*, *fine* ac *methodo tradendi*, nec non de ejusdem *nobilitate*, *neceſſitate*, *certitudine* & *efficacia* ejusdemque *fulcris* ac praecipuis *haereſibus*. Et licet inficias haud eam, maluiſſe me haec omnia, quae centies jam ab aliis cocta ac recocta erant, ſilentio praetermittere; Re tamen penitius expenſa, ſtatim deprehendebam, non pauca in *praeliminari* hac *inſtitutionum* parte occurrere, quae emendatione indigebant, ſicuti ex Capite III. quod de praecipuis theoriae medicae tam *veterum* quam *recentiorum* defectibus, deque modo eandem *reformandi*, uti & de ἀλλοτριώσει in medicina caute vitanda agit, clare patet. Taceo, nullo alio loco, de vero *demonſtrandi principio* commodius agi potuiſſe, quam hoc ipſo: Ad quod tamen recte intelligendum, praeliminariter paucula de *mechaniſmo* & *organiſmo*, nec non de utriusque diverſitate erant in medium proferenda. Hiſce ſic praemisſis, ad *alteram inſtitutionum medicarum partem*, nimirum ad *phyſiologiam* me converti, quae, cum vi vocis nihil ſit aliud, quam ſermo de *natura*, & quidem *humana*: Hinc non modo ſedulo ab *anthropologia* eandem diſtinxi, ſed &, quid in *phyſiologia* hac *medica* jure deſiderari poſſe videatur, ſincere indicavi. Proinde varia inde dogmata exulare jusſi, quae tantum abeſt, ut *theoriam* hanc *phyſiologicam*, quae tamen reliquis omnibus fundamenti loco ſubſterni debebat, quicquam juverint vel promoverint, ut multis potius alienis in eandem invehendis occaſionem praebuerint. Quare, praeterquam quod brevem quidem & ſuccinctam *oeconomiae animalis* ac *vitalis ſecundum principia mechanico-organica* delineationem exhibuerim, id praecipue commendavi, ut *phyſiologus*, misſis alienis, veram *naturae humanae* energiam modosque agendi in ordinaria & naturali corporis conſtitutione notos atque perſpectos ſibi redderet, ut hoc modo addiſceret medicus artificialis veram atque genuinam methodum, qua naturae

in

in ſtatu corporis extraordinario vel plane morboſo ac praeternaturali ſubſidio ſuo ſuccurreret ſicque miniſterium vere praeſtaret, ut miniſtri Naturae titulum jure meritoque tueri poſſet. Tali *phyſiologiae* ipſam quoque *pathologiam* ſuperſtruxi, in qua, poſtquam utriusque hujus partis theoreticae nexum mutuum oſtendi, varios iterum naevos, circa cauſſas inprimis morborum ſeſe manifeſtantes, inde reſcidi, atque morbos omnes, diſcentium memoriae conſulturus, ad tres potisſimum claſſes, nempe ad morbos nimiae humorum quantitatis ſive *plethorae*, ad vitia pravae *qualitatis* ſeu *cacochymiae* & ad vitia *motuum*, *exceſſu* pariter atque *defectu* peccantium, reduxi, eumque in finem *noſologiae* ſpecimen exhibui, in quo omnes morboſi adfectus ſecundum haſe tres claſſes, exceptis tamen tantiſper morbis animi, recenſiti fuêre. *Pathologiam* excipit *ſemeiologia*, quarta *inſtitutionum medicarum* pars, in qua morborum ſigna tam *diagnoſtica* quam *prognoſtica*, variis ex fontibus petenda, fideliter fuerunt enarrata; Quam partem prae reliquis prolixius pertractandam eſſe cenſui: Quia medicus, praxin rite facturus, nec in morbis recte cognoſcendis, nec in iisdem a ſe mutuo diſtingvendis, eadem carere commode poteſt. Adumbravi poſthaec in *quinta inſtitutionum parte* morborum *hiſtoriam generalem*, in qua praecipua non modo momenta *emendationis* indigentia indicata,ſed & circumſtantiae principes commemoratae ſunt, quas eum attendere oportet, qui in conſignanda vera *morborum hiſtoria* condigne verſari cupit, adjecto indice primariorum ſcriptorum, qui prae reliquis in hac medicinae parte laudem ſibi adquiſivêre. Succedit huic *parte ſexta medendi methodus generalis*, quam, ſi genuina eſſe debeat, naturae aemulam eſſe oportet. Sicuti vero in *pathologia* tria ſumma cauſſarum morbificarum genera conſtituimus, nempe *plethoram* tam *ſangvineam* quam *ſeroſam*, *cacochymiam* & *vitia motuum* ſive *exceden-*

 tium

tium ſive *deficientium:* Ita in *methodo medendi* totidem quoque medicamentorum genera illis opponenda eſſe cenſuimus, quae ſunt vel *evacuantia* vel *alterantia.* Ad *illa* reduximus *emetica, catartica, ſudorifera, diuretica &c.* Ad *haec* vero, *humores* vel *motus* emendantia, quatenus vel *excedunt* & quaſi exorbitant, vel potius *deficiunt*, ubi priori caſu *ant-orgaſtica* & *antiſpasmodica*, poſteriori vero *tonica* & *nervina* requiruntur, revocavimus. In *ſeptima inſtitutionum parte* exhibui *therapiam* tam *generalem* quam *ſpecialem* & *ſpecialiſſimam*, quas tamen partes omnes ſumma, qua fieri potuit, brevitate percurro, ne in majorem, quam decet, molem excrecat opus. Cumque in therapia ſpeciali nullus tractari ſoleat morbus, quin *diaeta* & *regimen* ab aegrotante religioſe ſervandum praeſcribatur, ſuperfluum eſſe judicavi, *hygieinen* ſeorſim hic tradere, inprimis cum multa jam huc ſpectantia in hiſtoria cauſſarum morbificarum *de uſu & abuſu ſex rerum non naturalium* ſuo loco à me tradita ſint, partim vero haec ipſa *inſtitutionum medicarum* pars, nempe *hygieine* ab aliis abunde pertractata ſit. Cumque praeterea experientia multiplici conſtet, junioribus practicis crucem haud raro figere *formularum medicamentorum* extemporaneam praeſcriptionem, ita ut vel inconcinnas vel regulis artis contrarias formulas in pharmacopolia mittant, ſicque & pharmacopoeis & eorum miniſtris deridendos ſeſe praebeant: Hinc iſti etiam incommodo obviam procedere placuit, reliquis omnibus ſubjungendo *octavam* & poſtremam *inſtitutionum* partem, qua brevis atque ſuccincta ſimulque *extemporanea formulas remediorum praeſcribendi methodus* ſiſtitur. Potuiſſem his ſine opprobrio acquieſcere, niſi querelae ſaepius motae mihi ab auditoribus meis fuiſſent, *inſtitutiones medicas* in hunc usque diem deſtitutas eſſe introductione quadam in *hiſtoriam litterariam* ſcriptorum, quibus hanc artis medicae partem operibus ſuis illuſtrare curae cordique fuerit.

Hiſce

Hiſce proinde querelis, omni modo juſtis, ut medicam manum admoverem, omnes *inſtitutionum* ſcriptores ea, qua potui, diligentia undique conquiſivi, ipſe perlegi, quaque uterentur methodo, adcurate adnotavi, tandemque opiniones eorum ſingulares, addita epicriſi, fideliter excerpſi, ubique tamen ſolerter cavendo, ne quem dedita opera laederem, ſed cuique laudes, quas meruit, impertirem, ita tamen, ut, ſi quid cenſura dignum animadverterem, ea, quae eruditis ubique indulgetur, libertate in judicando uti fruique poſſem. Hinc vero enata eſt *introductio in hiſtoriam litterariam Auctorum*, qui *inſtitutiones medicas ſuis ſcriptis* exornarunt, quam quidem *ſeorſim* prius edere decreveram, poſtea vero conſilium mutavi, atque, ut omnibus reliquis *inſtitutorum* partibus praemitteretur, paſſus ſum. Quod *denique* hae *inſtitutiones* diſſertationum academicarum forma prodeant, id nec inconſulto a me ſactum eſt; Praeterquam enim, quod philiatri noſtri *collegium* tale *diſputatorium publicum* a me expetiverint, ipſe quoque a tali inſtituto non eram alienus, cum animadverterem, non paucos ſeculi noſtri medicos, WEDELIUM, VATERUM aliosque idem calculo ſuo adprobaſſe; Imo praeter STUPANUM ipſe quoque SCHENCKIUS *medicinales inſtitutiones* hac diſputationum forma proponere haud fuit dedignatus, ſicuti in *introductione* ſuo loco id commemoratum a me fuit. Cum igitur cenſuram publicam jam ſuſtinuerint, firmum ratumque dudum conſtitui, me, ſi quos forte cenſores publicos nactus fuero, neutri illorum eſſe reſponſurum. Experientia enim ſatis ſuperque me hactenus edocuit, pleroſque tales cenſores ob morum, quibus laborant, pravitatem, ſcripta ejusmodi controverſa meris tantum ſcommatibus, convitiis, quin injuriis manifeſtis onerare ſicque omni eo, quo alias non carerent, fructu uſuque privare. Quod ſi quis de *prolixitate* nimia harumce

inſtitu-

inſtitutionum, conqueratur, is ſciat, dedita me opera ideo eidem indulſiſſe, ut CURSUI ANNUO mihi & auditoribus meis inſervirent. Quo ſcopo cum hucusque tam in *publicis*, quam *privatis* & *privatisſimis* meis lectionibus feliciter ſim potitus, non multum moror, quae *Zoilus* forte ogganniverit; Mihi interea ſufficit & ſufficere poteſt, quod, pro ingenii mei modulo & officio meo ſatis facere & Studioſorum commoda atque ſtudia quodammodo promovere fuerim adniſus. Tu vero, Benevole Lector, vale, meisque qualibuscunque conatibus favere perge. Francof. cis Viadrum die 1. Mart. 1735.

INDEX PRIOR
Auctorum, qui inſtitutiones Medicas ediderunt.

A.

Ammannus, Paulus, Prof. Lipſienſis. 130.
Ejus conſilium de inſtitutionum medicarum emendatione. ibid.
Duplici eas vitio laborare exiſtimat, incertitudine & prolixitate. 130. 131.
Galeniſmi infenſiſſimus fuit hoſtis. 131.
Doctrinam de temperamentis Galenicam eſſe partim falſam, partim inutilem. 131.
Pathologiam veram inter deſiderata referendam. 132.
Semeioticam meris niti conjecturis. ibid.

B.

Barnerus, Jacobus, Elbingenſis. 69.
Edidit novum medicinae ſyſtema. ibid.
Principiis anatomico - chymicis ſuperſtructum. ibid.
Baſſianus Landus, Prof. Patavinus. 27.
Bauermüllerus, Johannes Simon, theoriam Stahlianam mira brevitate exhibuit. 69.
Becherus Johannes Joachimus, Spirenſis. 68.
Aphoriſtica forma inſtitutiones condidit. 69.
Beringerus, Johannes Bartholomaeus Adamus. 176.
Recentiores cum antiquis conciliare conatus eſt. ibid.
Specimina ejus rei. 177.
Beverovicius Johannes, Dordracenus Belga, Voſſii auditor. 31.
Ideam medicinae veterum ſecundum ductum inſtitutionum medicarum concinnavit. 33.
Quis auctoris finis fuerit? 34.
Philologiae ſtudium cum medicina conjungit. ibid.
Qua ratione ex non medicis medicinae ideam formaverit. ibid.
Blancardus, Stephanus. 107.
Ejus academia Carteſiana cujus momenti? ibid.
Ex principiis philoſophiae Carteſianae medicinam deduxit. ibid.
Vanae jactantiae reum ſe facit. ibid.
Theoriam medicam multis otioſis ſpeculationibus corrupit. 108. 109.
Ejus rei ſpecimina. 169.
Blaſius, Gerardus, inſtitutionum ſcriptor.
Bontekoe, Cornelius, Belga. 110.
Alcali & acido totam medicinam ſuperſtruit. 110. 111.
Ejus principia theoretica non cohaerent praxi. 111. 112. 113, 114 & 115.
Opium nimium extollit. ibid.
Boerhaave, Hermannus, Belga. 155.
Ejus inſtitutiones ſecundum principia mechanica adcurate ſcriptae. 155.
Retinuit vulgarem earum 5. in partes diviſionem. 155.
Principium demonſtrandi quomodo comparatum eſſe deceat? 156.
An pure corporeum & mechanicum eſſe oporteat in homine? 156.
Bruno, Johannes Pancratius, Altdorfinus. 29.

Edidit praecepta medicinae generalia. 29.
Judicium de conatibus ejus. ibid.
Brovvne, Johannes, Anglus, inſtitutionum ſcriptor. 173.
a Materia & motu omnia deducit. 173. 174.
Vita quid ſit ſecundum ipſius mentem? 174.
Mors quid ſit? ibid.
Sanitatem ab aequalitate motus fluidorum ac ſolidorum vult dependere. ibid.
Buxbaum, Andreas, edidit catecheſin medicam. 31.

C.

Cornarius Ianus ἐπιγραφὴν univerſae rei medicae edidit. 27.
Coſchvvitius, Georgius Daniel, Pomerellus. 192.
Mechaniſmum cum organiſmo conjungendum ſuaſit. ibid.
An methodus, qua uſus eſt, demonſtrativa dicenda? 197.
Miniſtrum naturae decet leges ejus perſpectas ſibi reddere. 198.
Quid facere eum oporteat medicum, qui naturae miniſterium praeſtare cupit. 198.
Ejus phyſiologia qualis ſit? 198. 199.
Hygieine quid comprehendat? 199.
Craffthcim, Johannes Crato â, trium imperatorum archiater. 28.
Iſagogen medicinae ſcripſit. ibid.

D.

Deidier, Antonius, Gallus, inſtitutionum ſcriptor. 170.
Continent phyſiologiam tantum & pathologiam. ibid.
Deuſingius, Antonius, ex medicorum Arabum ſcriptis compendium inſtitutionum concinnavit. 21.
Phyſiologia Arabum Medicorum qualis fuerit? 22.
Eorundum pathologia. 23.
Therapia. 24.
Dinghemius, Leonardus Franciſcus ſcripſit fundamenta medico-phyſica ad ſcholarum ἀκριβολογίαν aptata. 51.
Judicium de illis. ibid.

E.

Erotianus an inſtitutionum ſcriptoribus accenſendus? 17.
Ettmüllerus, Michaël, in Acad. Lipſienſi P. P. quid in elementari artis medicae parte praeſtiterit? 83.
C. H. habet pro machina hydraulico-pnevmatica. 83. 84.
Phyſiologiae fundamentum ſecundum Ettmüllerum. 84.
Galenicorum elementa ad non entia refert. 84. 85.
Animam ad actuandam machinam C. H. quicquam conferre, negat. 85.
Efficienter id praeſtare exiſtimat ſanguinem & ſpiritus. 86.
Pathologiam conjungit cum diagnoſi ac prognoſi. 87.
Eodem ſe gerit modo in hygieine ac therapevtica, quam utramque pariter conjungit. 87.
Qua ratione in ſingulis inſtitutionum partibus ſeſe gefferit? 87. 88. 89. 90.
Ejus materia medica & chirurgia qualis fuerit? 89. & 90.

F.

Fabricius, Erneſtus Fridericus, ſciagraphiam artis medicae exhibuit. 28. 29.

Fernelius,

Fernelius, Johannes, Ambianus. 36.
Ejus vita a Guilielmo Plantio deſcripta. 37.
Conſilium de methodo C. H. conſecandi. ibid.
Doctrinam de elementis in phyſiologia inutilem eſſe dicit. ibid.
Ejus dogma de temperamentis cujus ſit momenti? 38.
Recinit antiquas naenias de ſpiritibus, calido innato ac humido primigenio. 39.
Naturam quomodo deſcribat? 39. 40.
Pathologia Ferneliana cujus ſit momenti? 41.
Ejus therapevtica. 41. 42.
Fiſcherus, Johannes Andreas iliada in nuce ſcripſit. 178.
le François, Gallus. 169.
Ejus querela, praecepta ſcholarum ſyſtematibus praxi contrariis niti, non eſt injuſta. 169.
Promiſcuam in ſtudio medico inſtitutionem merito taxat. ibid.
Ejus conſilium de ſtatu medicinae emendando. 170.
Franckius, Bernhardus Matthias, de theoriae medicae ſumma neceſſitate docte diſſeruit. 183.
Francus, Georgius, inſtitutionum medicarum ſynopſin ſcripſit. 183.
Fuchſius, Leonardus, ſtrenuus Galeni ſectator. 24.
Ejus inſtitutiones ad ſcripta veterum recte intelligenda ſunt adcommodata. 24.
Arabum contemtor & acris inſectator. ibid.
Ejus phyſiologia. 25.
Pathologia. ibid.
Semeiotica. 25. 26.
Therapevtica. 26.
Mortem dixit eſſe ſubſtantiam. 27.
Primus in Germania medicinam reformavit. ibid.

G.

Galenus Pergamenus. 17.
Ejus iſagogica. ibid.
Pathologica. ibid.
Semeiotica. ibid.
Therapevtica. 18.
Gardinius, Ludovicus, manuductionem *Hortenſii* per omnes medicinae partes in publicum edidit. 51.
von Gauckes J. Anglus, ſcripſit de medicina, ad certitudinem mathematicam evehenda. 172.
An promiſſis fecerit ſatis? 173.
Geilfuſius, Johannes Chriſtophorus inſtitutiones medicas condidit. 69.
Naturam humanam morborum eſſe medicatricem agnoſcit. ibid.
In 5. partes diſpeſcit more ſolito inſtitutiones. ibid.
Diſtinctio partium H. C. 70.
Hepar ſanguificare cum veteribus credit. ibid.
Motum ſanguinis circularem agnovit. ibid.
Tria ſumma morborum genera tantum ſtatuit. 71.
Signorum doctrina compendioſius, ut par erat, tractata. 71.
Plus promiſit, quam praeſtitit. 71.
Glacanus Nellanus, Tirconallienſis Hibernus. 20.
Curſum medicum propoſuit. 20. 21.
Gratiolus, Andreas, Salodianus. 24.
Avicennae interpres. ibid.

H.

Haly Rodoham, Aegyptius. 20.
Commentatus eſt in artem parvam Galeni. ibid.
Heurnius Johannes, in Acad. Lugdun. Bat. P. P. 42.

Judicium auctoris de ſuis inſtitutionibus. 42. 43.
Doctrinam de elementis philiatris abſolute neceſſariam eſſe opinatur. 43.
Temperamentorum indolem ac diverſitatem ex elementorum mixtura derivat. 44. 45.
Ejus dogmata phyſiologica parvi momenti. 45.
Pathologia qualis? 45.
Semeiotica qualis? ibid.
De plantarum facultatibus guſtui moderno minus convenienter diſputat. 46.
Conſilium ejus de ratione medicinam diſcendi. 46. 47.
Hippocrates an inſtitutionum ſcriptoribus accenſendus? 4.
Ejus iſagogica quibus in libris tradantur? 4. 5.
Dogmata phyſiologica. 7. 8. 9. 10.
Ejus pathologia. 11. 12. 13. 14. 15.
Methodus medendi. 15. 16.
In arte praeſagiendi neminem ſibi parem habuit. 14.
Praecepta diaetetica non neglexit. 14. 15.
Hoffmanni, Mauritii, ſynopſis inſtitutionum medicarum. 30. 31.
Conqueritur de praedonibus famae ſuae. 30.
Ex ſanguine vitae ſanitatisque rationem derivat. ibid.
Adſcribit illi omnipraeſentiam & omnipotentiam. ibid.
Sanguini varias adfinxit differentias, alium cephalicum, epilepticum, pectoralem alium &c. dicendo. ibid.
Hoffmanni Caſpari inſtitutiones cujus pretii? 71.
Galeni ſectator fuit. 72.
Doctrinam de elementis phyſicorum more tradit. ibid.
In temperamentis deſcribendis ſequitur Galenum. ibid.
Ejus ſententia de calido innato. 73.
Reliqua ejus dogmata phyſiologica cujus momenti? 73. 74.
Ejus pathologia. 74. 75.
Semeiotica. 75.
Hoffmannus Fridericus, Frid. F. Prof. Hall. 132.
Mechaniſmi adſertor. 132.
Multa illi encomia tribuit. 132. 133.
Ejus phyſiologia. 133.
Pathologia. ibid.
Semeiotica. ibid.
Hygieine. 134.
Therapevtice. ibid.
Paradoxa adſerta. ibid.
C. H. inſtar machinae ſeu automatis habere ſe credit. ibid.
Quid per naturam intelligat? 135.
Artem medicam demonſtrativa ratione tradere conatus eſt. ibid.
Circulationem ſanguinis toti medicinae pro fundamento ſubſternit. 136. 137.
Omnes morbos ad 4. claſſes reducit. 138.
Horſtius, Gregorius, inſtitutiones medicas condidit. 32. 33.
Judicium de illis. 33.
Horſtius, Johannes Daniel, manuductionem ad medicinam reliquit. 31.

I.

Jacchaeus Gilbertus, Scotus, inſtitutiones medicas ſcripſit. 50.
Jacobaeus Oliger epitomen inſtitutionum edidit. 98. 99.
Multa ſupervacua & inutilia inde reſcindenda eſſe putavit. 99.
Bartholini de hac epitome judicium. 100.

Ejus

Ejus phyſiologia nimia brevitate laborat. 100. 101.
Huic adnectit diaeteticen. 101.
Ejus pathologia. ibid.
Therapevtica. 102.
Inſtitutionum medicarum facies Arabum medicorum tempore. 21. 22. 23. 24.
Inſtitutiones an ante Hippocratis tempora ſcriptae. 3. 4.
Juncken, Johannes Helfricus, fundamenta medicinae eclecticae concinnavit. 157.
Judicium de illis. ibid.
An phyſica Sectaria medicinae eclecticae facem accendere poſſit, dubitatur. 157. 158.
Inſtitutionum diviſio in phyſiologiam, pathologiam ac therapevticen. 158.
Pathologiae ceu miniſtram jungit ſemeioticen. ibid.
Sub therapevtica etiam pharmaciam & chirurgiam comprehendit. ibid.
Hygieinen ad culinariam refert. ibid.
Rationes ejus, cur tot ſeculis medicina ſterilis manſerit? 158. 159.
Corpus humanum vivens habet pro ſtatua humana vivente. 159.
Duplex agnoſcit principium actionum in homine, aliud nempe cogitans, aliud extenſum. ibid.
Ejus pathologia cujus ſit momenti? 160.
Semeiotica & lectu jucunda & neceſſaria ſunt. 161.
Therapevtica. 162. 164.
Pharmacia. 163. 164.
a Juvellina, Bernhardus Chriſtinus, Cyrnaeus, inſtitutionem ſcriptoribus accenſetur. 196.

K.

Kraut, Georgius, Hagenoenſis, ad mentem Arabum inſtitutiones digeſſit. 23.
Kyperus, Albertus, pollicetur inſtitutiones medicas, ad hypotheſin motus ſanguinis circularis compoſitas. 53.
An & quomodo promiſſis ſuis ſteterit? 53. 54.
Ejus phyſiologia nihil eſt, niſi anthropologia. 54.
Antiquorum naeniae de calido innato &c. ad nauſeam repetuntur. 54. 55.
Judicium de tranſumptis ejus medicis. 55. 56.

L.

Lanciſius, Johannes Maria, Italus. 175.
Diſſertatio ejus de recta ſtudii medici ratione inſtituenda laudatur. ibid.
Laurenbergius, Petrus, Roſtochienſis, porticum Aeſculapii edidit. 50.
Judicium de illo. ibid.
Liddelius Duncanus, Scotus, compendium artis medicae exhibuit. ibid.
Galeni genium omnia redolent. ibid.
Linſing, Petrus, examen inſtitutioniſticum propoſuit. 164.
idem a Johanne Franciſco Lövv auctum eſt editum. 165.
Phyſiologica ejus a ſcopo medico ſunt aliena. 165. 166.
Phyſiologiae ſociavit hygieinen. 166. 167.
Ejus pathologia qualis? 167.
Semeiologia ex iisdem petitur fontibus, ex quibus alii eam hauſerunt. ibid.

Therapevtica permultas utiles regulas practicas continet. 168.
Plagii crimen ei imputatur. 169.
Lövv, Johannes Franciſcus, inſtitutiones Linſingii auctas edidit. 165.

M.

Magliocca, Johannes Dominicus, Parthenopolitanus. 21.
Diſputationes phyſiologicas, aetiologicas, ſemeioticas ac therapevticas edidit. 21.
Meiſſonerius, Lazarus, Matiſconenſis, ideam medicinae edidit. 51.
Judicium de illa. ibid.
Mercatus, Ludovicus, Hiſpanus, edidit inſtit. medicas. 49.
Comprehendunt phyſiologiam, hygieinen, pathologiam cum ſemejotica & therapevtica. 49.
Meyerus, Sebaſtianus, Landsbergius, inſtit. ſcriptor. 31.
Magnifice de illis ſentit ipſe. ibid.
Moebius, Godofredus, tabularum forma inſtitut. edidit. 79.
Ejus in profeſſione Jenae ſucceſſor quis? 67.
Judicium de inſtitutionibus Moebianis. 80.
Pathologia ejusdem cujus indolis? ibid.
In ſemeiotica eosdem cum aliis ſignorum fontes agnoſcit. 81.
In hygieine ſingulas aetatis humanae periodos percurrit. 81. 82.
Therapevtica ejus cujus ſit momenti? 82.
Mochingerus Georgius, compendium inſtitutionum Sennertianarum edidit. 68.
Montuus, Hieronymus, compendiolum curatricis ſcientiae ſcripſit. 28.
de Moor, Bartholomaeus, orationem habuit de modo inſtitutiones medicas tradendi. 184.
Improbat diviſionem artis in theoreticam & practicam. ibid.
Fruſtra in ea diſputari de elementis adſerit. ibid.
Sanitatem vitae eſſe adjunctum credit. 185.
Vitam eſſe actuoſitatem ex interno principio. ibid.
Internum agens principium non eſſe mentem, ſed continuum ſanguinis motum. ibid.
Facultates Galenicas ex inſtitutionibus recte removit. 186.
Omnes morbos derivat ex ſangvine. 187.
Inter ſigna & rem ſignatam neceſſarium, vult, eſſe nexum. ibid.
Methodum medendi tanquam praecipuam artis medicae partem commendat. 188.
Diaeteticam, chirurgiam ac pharmaciam inter miniſtras artis partes recte refert. 189.
Morgagni, Johannes Baptiſta, ideam inſtitutionum in oratione ſua inaugurali delineavit. 175.

N.

Nenterus, Georgius Philippus, Pr. Argentinenſis, theoriam hominis ſani & aegroti edidit. 191.
Quid in ea praeſtiterit? ibid.
Ejus laudes, quas in emendanda theoria medica meruit 192.
Naevi theoriae vulgaris in phyſiologia. 193.
In pathologia. 194.
An ſit genuinus STAHLII diſcipulus? 195.

P.

Paxton, Petrus, Anglus. 170.
Manuductionem phyſico medicam communicavit. ibid.

Luxuriam plerorumque morborum cauſam eſſe exiſtimat. ibid.
Pechey J. facilem in medicinam introductionem concinnavit. 172.
Ejus inſtitutiones. ibid.
Pittcarnius, Archibaldus, methodo Geometrica medicinam tractavit. 138. 139.
Elementa ejus reſpondent ordini inſtitutionum Sennertianarum. 139.
Medicinam nulli philoſophorum ſectae addictam eſſe debere, recte ſuſtinet. 140.
Medici quomodo Aſtronomorum inſtitutum imitari debeant? 141.
Metum vacui, qualitates occultas, vim attractivam rejecit. ibid.
Recentiores non omni vacare culpa, exemplis probavit. ibid.
Judicium de methodo Pittcarnii demonſtrativa. 142
Vitae definitio Pittcarniana imperfecta. 142.
Corporis animati definitio pariter manca. ibid.
Eſt fautor ſpirituum animalium. 142. 143.
Temperamenta habet pro morbis nativis. 143.
Confundit temperamentum cum intemperie, cujus ſpeciem eſſe credit. ibid.
Tria tantum temperamenta, expuncto ſanguineo, agnoſcit. 143. 144.
Improbat diviſionem partium in *ſimilares* ac *diſſimilares*. 144.
Solidarum partium temperamenta recte rejecit. 145.
Quid per calidum innatum ſit intelligendum? 146.
Quid per humidum radicale? ibid.
Oeconomiae animalis brevis delineatio. 146. 147.
Omnes morbos a circulatione ſanguinis aucta vel imminuta derivat. 147.
Ejus ſemeiotica. 149.
Sententia ejus de criſibus. 149.
Unam tantum indicationem, unum indicans eſſe. 150.
Febris quid ſit ſenſu Pittcarniano? 151.
Nullam dari febrim algidam, aut, ſi detur, motu ſanguinis aucto conſtare exiſtimat. 152.
Phaenomena febris. 152.
Modus curandi febres ſecundum *Pittcarnii* methodum. 153.
Quibus ſub cautelis chin-chinam in fugandis febribus putet eſſe exhibendam? 154.
Phyſica an ad medicinam felicius diſcendam quicquam conferat? p. 55. 56.
Plempius, Vopiſcus Fortunatus, Amſtelaedamenſis. 52.
Ejus inſtitutiones. ibid.
Controverſiae. ibid.
Defenſores illius. ibid.
Judicium de Plempianis inſtitutionibus. 52. 53.

R.

Regius, le Roi, Henricus, fundamenta medicinae edidit. 31.
Riolanus, Johannes, Ambianus, Pater, compendium medicinae evulgavit. 31.
Riverius Lazarus, Gallus. 76.
Ejus inſtitutiones & de illis judicium. ibid.
Partes praecipuae earum quae ſint? 77.
Pathologia Riveriana. ibid.
Semeiotica. 78.

Diaeta-

Diaetetica. ibid.
Therapevtica. 79.

S.

Sanctorius a Sanctoriis medicinam ſtaticam aphoriſtica forma edidit. 32.
Scharpius Georgius, Scotus. 49.
Ejus inſtitutiones Claudius Scharpius, filius luci dedit. ibid.
Schenckius, Johannes Theodorus. 67.
In profeſſione Godofredo Moebio ſuccesſit. ibid.
Inſtitutiones ejus. ibid.
Judicium de illis. ibid.
Quot partibus conſtent. ibid.
Ejus phyſiologica. 68.
Schultzius, Balthaſar, inſtitutiones ſuas ex Heurnii inſtitutionibus hauſit. 47.
Ejus hiſtoria de homine microcoſmo. 47.
Diſtinctio microcoſmi duas in partes. 47. 48.
Scholtzius a Roſenovv, Laurentius, Sileſius. 28.
Aphoriſmos medicinales reliquit. ibid.
Sennertus, Daniel, P. P. Witteb. epitomen artis medicae tradidit. 57.
Ejus inſtitutiones. ibid.
An prolixitate nimia laborent? ibid.
Laurembergii judicium de illis. ibid.
Noſtrum de illis judicium. 58.
Sanitas in quo conſiſtat ſecundum Sennertum? 58.
Sententia ejus de temperamentis eorumque diviſione. 58.
Naenias antiquorum de calido innato, humido primigenio & ſpiritibus recoquit. 59.
Ejus pathologia. 60.
Semeiologia. 61. 62.
Diaetetica. 63. 64.
Therapevtica. 64.
Chirurgia. 65.
Pharmacopoeia. ibid.
An jure plagiariis accenſeatur? 67.
Servius, Petrus, Spoletinus. 31.
Ejus inſtitutiones. ibid.
Severinus, Petrus, ideam medicinae philoſophicae ſcripſit. 29.
Judicium de illa. ibid.
Soranus, Epheſius, Galeni contemporaneus. 18.
Quo tempore floruerit? ibid.
Methodicae ſectae addictus fuit. 19.
Introductionis in artem auctor eſſe dicitur. ibid.
Praecipua ejus placita quaenam ſint? 19.
de Sorbait, Paulus, Belga, ſcripſit iſagogen inſtitutionum medico-anatomicarum. 102.
Illarum partes. ibid.
Ejus querelae de corrupto medicinae ſtatu non injuſtae. ibid.
Sententia de elementis. 103.
De temperamentis. ibid.
Humorum diſtinctio in *alimentarios* & *excrementitios*. ibid.
Repetit fabulas vulgares de ſpiritibus & calido innato. 103.
Morbus quid ſit? 104.
Eorum cauſae. ibid.
de Spitzberg, Simeon Partlicius, univerſi ſyſtematis medici harmoniam concinnavit. 29.
Stahlius, Georgius Erneſtus, theoriam medicam veram concinnavit. 196.
Continent phyſiologiam ac pathologiam. ibid.
Principia ejus naturae ſunt conformia. ibid.
Inter theoriam & praxin amicus eſt conſenſus. 197.

Sterpinus, Johannes, triſolii medici auctor, 106.
Judicium de ejus propoſito. ibid.
Strobelbergerus, Johannes Stephanus, ſyſtematicam univerſae medicinae adumbrationem tradidit. 179.
Ejus ſcopus quis fuerit? ibid.
Diſtinctio medicinae in theoricam & practicam partem. 179. 180.
Morbum deſcribit per privationem ſanitatis. 180.
Stupanus, Johannes Nicolaus, Hungarus. 35.
Medicinam theoreticam diſputando pertractavit. ibid.
Ejus phyſiologica cujus momenti? ibid.
Pathologica. 36.
Semeiotica. ibid.
Suavius, Leo Paracelſicam doctrinam de medicina in compendium redegit. 26.

T.

Targirus, Joachimus medicinam compendiariam edidit. 117.
Nova cum antiquis conjungenda eſſe ſuaſit. ibid.
Nimiam philoſophandi ſubtilitatem damnat. 118.
Promiſſa ejus de medicina veteri reformanda. 119.
An illis reſpondeat eventus? 120. 121.
Diſplicet ipſi vulgaris medicinae partitio. 119.
Non minus diviſio partium in ſimilares ac diſſimilares. ibid.
Spiritus animalis quid ſit & unde oriatur ſecundum Targirium? 121. 122.
C. H. pro automate habet. 122.
Functiones omnes ad ternarium reducit numerum, naturales, animales & compoſitas. 123.
Pathologiam aeque ac phyſiologiam veterum reformaſſe videri voluit. 123. 124.
Partes ſolidae non ſolae ſunt morborum ſubjecta. 124. 125.
Reliqua ejus dogmata phyſiologica. 121. 126. 127. 128.
Ejusdem ſemeiotica. 129.
Judicium de medicina Targiri compendiaria. 130.
Teichmeierus, Hermannus Fridericus elementa anthropologiae edidit. 175.
C. H. habet pro machina. 176.
Idem comparavit laboratorio chymico. ibid.
Thriverius, Hieronymus commentator Galeni. 20.
Thriverius, Dionyſius univerſae medicinae methodum ſcripſit. ibid.

V.

Valentini, Michael Bernhardus, Prof. Gieſſenus, medicinam nov-antiquam ſcripſit. 116.
Pleraque recentiorum dogmata ex antiquorum mon mentis repetiit. 116.
Mechaniſmi veſtigia in Hippocratis ſcriptis ſibi inveniſſe videtur. ibid.
Concinnavit inſtitutiones ex ſcriptis Hippoc. ibid.
Vindicat illis orthodoxiae gloriam. ibid.
Judicium de Valentini inſtituto. 117.
Inſtitutionum partitio Valentiniana. ibid.
Valleriola, Franciſcus, commentator Galeni. 20.
Fundamenta artis ſecundum Galenum concinnavit. ibid.
Vaterus, Chriſtianus inſtitutiones medicas aphoriſtice tradidit. 178.

Methodo *diſputatoria* uſus eſt. 179.
Veſti, Juſtus, Prof. Erfurtenſis inſtitutiones medicas reformatas edidit. 180.
Conqueritur de iniquis Cenſorum moribus. 180. 181.
Idque omni jure. ibid.
Inſtitutionum partitio ſecundum Auctorem. ibid.
Judicium de illis. ibid.
Vicarius, Johannes Franciſcus baſin univerſae medicinae edidit. 182.
Antiquitati debitam ſuam laudem adſerendam eſſe exiſtimat. ibid.
Antiqua cum recentibus conjungenda. ibid.
Ex quibus profecerit, ingenue confitetur. ibid.
Doctrinam de elementis in medicinae inſtitutionibus inutilem eſſe judicat. ibid.
Principia corporum eſſe phyſico-mechanica. ibid.
Corpora animalium eſſe machinas hydraulico-pnevmaticas. ibid.
Vitae formalis & fundamentalis ratio ſecundum Auctorem. 183.
Natura quid ſit? ibid.
Vidus Vidius, Italus, inſtitutionum auctor. 48.
Tribus abſolvuntur libris. 48. 49.

W.

Waldſchmidius, Johannes Jacobus Prof. Marpurgenſ. 93.
Philoſophiae Carteſianae medicinam ſuperſtruxit. ibid.
Inſtitutiones, quas edidit, vocat rationales. 93.
Magnifica auctoris de illis promiſſa. 93. 94.
An & quatenus illis ſteterit? 94.
In inſtitutionibus Waldſchmidianis multa continentur ἀλλότρια. ibid.
Phyſiologica ejus a ſcopo medico aliena. 94. 95.
C. H. more aliorum mechanicorum horologio ſimile eſſe exiſtimat. 95.
Pathologia ejusdem vix melioris eſt notae. 95. 96.
Signorum doctrina melior. 96.
Per Naturam intelligit aetherem conſuetum. 97.
Hunc moliri criſes exiſtimat. ibid.
Lepida criſεων praefiguratio. ibid.
Diaetetica ejus. ibid.
Therapevtica. 97. 98.
Vademecum Waldſchmidianum idem cum inſtitutionibus ipſius. 98.
Judicium de methodo erotematica. ibid.
Walaeus, Johannes an inter inſtitutionum ſcriptores referendus? 52.
Scripta Walaei in unum congeſſit *Chriſtophorus Jerbinus.* 57.
Judicium de opera *Jerbini* in compilandis ſcriptis Walaei. ibid.
Wedelius, Georgius Wolffgangus introductionem ad medicinam juxta ductum inſtitutionum edidit. 32.
Cauſſae ejus, cur tot ſeculis medicina non majora ceperit incrementa? ibid.
Judicium de hoc ſcripto. ibid.
Winckelmannus, Chriſtianus inſtitutiones *Sennerti* tabularum forma concinnavit. 68.
Witteſtein ſive a Petra alba, Carolus formam totius medicinae perſcripſit. 34.
Ejus ſententia de elementis. ibid.
Multum tribuit notitiae exactae temperamentorum. 35.

Wood-

Woodvvardus, Johannes, Anglus medicinae ac morborum ſtatum delineavit. 170.
Auctor quoque eſt ideae naturae humanae morborumque. 171.
Nihil tribuit otioſis theoriae vulgaris figmentis. 170. 171.
Multos ſibi conſcivit adverſarios. 171.
Illorum quidam publica in platea gladium in illum ſtrinxit. ibid.
Wormius Olaus, Arhuſienſis compendium inſtitutionum medicarum emiſit. 31.

X.

Ximenes, Hieronymus, Caeſar-Auguſtanus elementarem artis partem tractavit. 21.

Z.

de Zeidlern, Sebaſtianus Chriſtianus inſtitutiones medicas edidit. 189.
Recoxit cramben veterum. ibid.
Naturam cum calido innato veterum convertit. ibid.
Partitio inſtitutionum in V. libros. 189. 190.
Quid in ſingulis illorum contineatur? 190.
Zvvingerus, Theodorus diſſertatiorem medicam de vitae longaevitate adquirenda ſcripſit. 191.
Adnexa eſt compendio totius medicinae, quod *Ettmüllero* tribuitur. 191.
Synopſin inſtitutionum medicarum ſcripſit. 178.
Ejus phyſiologia. ibid.
Pathologia. ibid.
Hygieine. ibid.
Zypaeus, Franciſcus fundamenta medicinae reformata edidit. 176.
Judicium de illis. ibid.

INDEX POSTERIOR
Res memorabiliores ſiſtens.

A.

Abortuum haemorrhagiae cujus ſint indolis? 198.
Abſorbentia quid ſint? 413.
Abſtergentia quid? 404.
Achores infantum retropulſi quae damna cauſentur? 171.
Acidi & alcali theoria non eſt omnium morborum cauſa. 40.
Et viſcidi theoria ejusdem eſt farinae. ibid.
Acida quid ſint qualemve edant effectum? 413.
Adephagia quid? 223.
Adſtringentia quid ſint? 413.
Et qualia? 414.
Aegrotandi infrequentia unde dependeat? 146. 147. 316.
Aëris quae ſit efficacia cauſandi morbos. 179. 180. 181.
Aetatis in diagnoſi *habenda ratio.* 266.
Morborum hiſtoria. 317. 318. 319. 320. 321.
Infantilis ac puerilis morborum hiſtoria. 145.
Aetheris inquilini cum peregrino lucta imaginaria. 258.

Alexipharmaca quid ſint? 394. 395.
Aliena a medicina arcenda. 94.
Alvi obſtructio *quid ſit?* 217.
Ab adſtrictione *quomodo differat?* ibid.
Segnities quid ſit? 217.
Alteratio humorum an poteſtati artis medicae ſubſit? 398.
Evacuationi ſubinde praeferenda. 398.
Quid ſit? 399.
Evacuationi praemittenda. ibid.
Reſpicit praeter humores etiam vias & motus. ibid.
Ammannus notatus. 251.
Anatome medicinae neceſſaria. 8.
Illuſtrat reliquas artis partes. ibid.
Curioſa *cujus indolis?* 19.
Quomodo differat a ſeria? *ibid.*
Practica quid ſit & cujus uſus? ibid.
Anima ſine organis corporeis nihil agit. 51.
Praeeſt actibus animalibus, vitalibus & naturalibus. 79. 80.
Ejus facultates citra neceſſitatem multiplicatae. 82. 83.
Animae pathematum vis in C. H. 188. 189. 327.
Animi morbi cur ſeorſim hucuſque tractati? 243.
Anaſarca quid ſit? 274.
Analeptica quid? 426.
Ani procidentia quid? 242.
Angina quid? 209.
Anorexia quid? 223.
Anni tempora in diagnoſi attendenda. 266.
Anodyna quid ſint? 414.
Anthelmintica quid? 394.
Ant-orgaſtica quid? 427.
Antiſpaſmodica quid? 430. 431.
Anti-ſcorbutica quid? 406.
Anthropologia quid ſit? 50.
Quid ad medicinam conferat? 51.
Aperientia quid ſint? 407. 408.
Apoplexia quid & quotuplex? 207. 462.
Sanguinea *quomodo curanda?* 462. 463. 464. 465.
Seroſa *quomodo tractanda?* ibid.
Apoplexiae hiſtoria. 342. 343.
Apozema quid? 478.
Ejus uſus. 489. 490.
Quibus ſub cautelis ſit praeſcribendum? 491.
Aquarum ſalubritas vel inſalubritas unde aeſtimanda? 182. 183.
Arthritis quid ſit? 212.
Artifices varii varios patiuntur morbos. 177. 178.
Arteria quid ejusque officium. 71.
Aſcites quid ſit? 215.
Aſthma quid & quotuplex? 210. 211.
Athletica conſtitutio ad aegrotandum proclivis. 145.
Cur? 146.
Atoniae morbi quales? 241. 242.
Atrophia quid ſit? 212.
Auditus difficultas quid? 204.

Unde

Unde oriatur? *ibid.*
Aurium tinnitus quid? 203. 204.
Autocratia naturae quid ſit quidve praeſtet? 345. 346.

B.

Balnea quid & quotuplicia? 497. 498.
Eorum ingredientia & uſus. *ibid.*
Balſamica quid ſint? 416. 417.
Bartholinus notatus. 121. 122.
Bezöardica quid ſint? 394. 395.
Bilis flava quid ſit? 77. 123.
Secretionis organon. 77.
Eſt excrementum. 124. 125.
An ſit balſamicae indolis? 77. 123.
Bilis flavae iter. 123.
Quem uſum praeſtet oeconomiae animali? *ibid.*
Ejus varius ſtatus in acutis attendendus. 292.
Bolus quale ſit remedium? 480.
Quae principia ejus conſtitutiva? *ibid.*
Sub quibus cautelis praeſcribendus? 480. 481.
Botanice an medico ſcitu neceſſaria? 9.
Branchus quid ſit? 211.
Qua ratione a raucedine *faucium differat?* *ibid.*
Bruta prae hominibus rarius aegrotant, & cur? 146.

C.

Cachexia quid ſit? 214.
Scorbutica *non poteſt eſſe omnium morborum cauſa.* 39.
Cacochymia quid? 167.
Ejus multae ſpecies fictitiae. 162.
Verae ſpecies. 167. 168.
Cacochymica corpora gravius & periculoſius laborant. 169. 170.
Cacochymiae morbi qui ſint? 192.
Calidum innatum veterum eſt non ens. 52.
Cardialgia quid ſit? 226.
Syncoptica *unde denominata?* *ibid.*
Eſt vel idiopathica *vel* ſymptomatica. 227.
Quibus ſubjectis familiaris? *ibid.*
Cardiaca quid ſint? 427.
Carminativa quid ſint? 408. 409.
Quibus in adfectibus proficua? 410.
Calefacientia quid ſint? 410. 411.
Carus quid ſit? 206.
Catalepſis quid? 228.
Cataplaſma quid & quotuplex? 504. 505.
Cauſae morbificae vulgo allegari ſolitae non omnes vi pollent morbos ciendi. 323. 324. 325.
Catarrhus ſuffocativus quid? 211.
Cephalalgia quid & quotuplex? 201.
Venerea *quid & unde oriatur?* 202.
Scorbutica *quid? Ejusque ortus.* *ibid.*

Apoplexiae prodromus. 202.
Cephalaea quid? 201.
Cephalalgia ſanguinea qua ratione tractanda? 339. 340. 458. 459.
Cephalica quae dicantur? 427.
Cerata quid ſint? 510. 511.
Cerebri cortex non eſt glanduloſus. 128.
Non inſervit ſpirituum animalium ſecretioni. ibid.
Cereviſiae quae ſalubres, quae minus? 183.
Chirurgiae certitudo. 19. 20.
Chloroſis quid? 214.
Cholera quid & quotuplex? 230.
Chylus quid ſit? 74.
Ejus iter per vaſa lactea. 106.
Quo mechaniſmo *peragatur?* 106.
Quae organica *ejus ratio ſit?* ibid.
Chylificationis mechaniſmus. 104. 105.
Ejusdem organiſmus. 105.
Continuatur in duodeno & reliquis tenuibus. 106.
Chymica dogmata in theoriam temere invecta eam turbant. 52. 80. 81.
Cicatrizantia quid ſint? 424.
Circulationis ſanguinis mechaniſmus. 110. 111.
Ejusdem organiſmus. ibid.
Ciborum attritus ſub maſticatione quo mechaniſmo fiat? 99.
Clavus hyſtericus quid ſit? 202.
Clyſteres quid ſint? 361. 494.
Clyſteres emollientes. 361. 494. 495.
Purgantes. 362. 495.
Adſtringentes. ibid.
Anodyni. 362. 363.
Abſtergentes. 363.
Carminativi. ibid.
Vellicantes. 364.
Vulnerarii. ibid.
Nutrientes an dentur? ibid.
Vaporoſi quid ſint? 365.
Regimen quale ſervandum? 365. 408. 409.
Eorum ingredientia quo ordine praeſcribenda? 496.
Coctio in acutis quid denotet? 276.
Ejus ſigna ſemper bona. ibid.
Coeliacus fluxus quid ſit? 231.
Colica anoterica quid? 202.
Collyria quid ſint? Et quotuplicia? 507.
Coma quid? 206.
Congeſtio quid? 200.
Congeſtiones ſanguineae quid ſint? quemque habeant finem? 338. 339.
Seroſae quos adfectus pariant? 207.
Conceptionis fœmellae verus locus quis? 128.
Concoctio ciborum fit per modum extractionis pharmaceuticae. 103.
Concoctio ciborum non fit putrefactione. 104.
Non calore innato. ibid.
Non fermentatione. ibid.

An attritus

An attritus laterum ventriculi mutuus eam promoveat? *ibid.*
Conſuetudo quid ſit? 434. 435.
Nititur motibus. 433. 434.
Ejus efficacia in aegrotando. 176. 177.
Convulſio quid ſit? 226.
Convulſiones mortis utplurimum prodromi. 137.
Cor duplici gaudet motu. 110.
Corporis habitus diverſus diverſos parit morbos. 175. 176.
Corpus humanum an ſit pura puta machina? 55. 56.
Quid ſit ſecundum Boërhaave? 56. 57.
Secundum Hoffmannum? 57.
Conſtat partibus ſolidis & fluidis. 69. 70.
Conſideratur vel phyſice *vel* medice. 66.
Corporis humani conſideratio ſecundum mixtionem. 48.
Secundum vitalitatem. *ibid.*
Coryza quid ſit? 207.
Annua quo modo tractanda? 397. 398.
Criſis quid ſit? 298.
Non eſt tumultuaria perturbatio contra Waldſchmidium. 297.
Rarius apud nos contingere, falſum eſt. 297. 298.
Cauſa non eſt in aetherem conſuetum refundenda. 289.
Eſt vel ſalutaris *vel* lethalis. 299.
Completa *vel* incompleta. 305.
Criſeωv doctrina quem uſum habeat in praxi? 305. 306.
Signa per haemorrhagiam narium. 301. 302.
Per diaphoreſin & ſudores. 302. 303.
Per urinas. 303.
Per vomitum. 303. 304.
Per diarrhoeam. 304.
Critici dies qui dicantur? 300.
Cruditas ventriculi quid & quotuplex? 221.
In acutis quid ſignificet? 276.
Ejus ſigna ſemper mala. *ibid.*
Curatio morborum per transplantationem *eſt ſuſpecta.* 433.
Ejusdem farinae eſt per ſympathiam & antipathiam. *ibid.*

D.

Decocta quid ſint? 487. 488.
Ordo in iis praeſcribendis quis ſervandus? 488. 489.
Decubitus ratio varia 284.
Deglutitionis ciborum mechanismus. 102. 103.
Ejusdem organismus. 103.
Integra vel laeſa quid denotet? 258.
Democritus voluptatem veneream dixit parvam epilepſiam. 78.
Diaphoretica quid ſint? 366.
Eorundem indicantia 367.
Contraindicantia *ibid.*

Quibus

Quibus modis operentur? 367. 368.

Eorum ſeries 368. 369.

Diarrhoea critica quid? 230.

Symptomatica & colliquativa. ibid.

Quomodo tractanda? 397.

Digeſtiva quid ſint? 403. 404.

Diureſis quid ſit? 371.

Quando indicetur? 173.

Ejus contraindicantia. 172.

Diuretica ad quot claſſes referenda? 373. 374.

Dyſenteria quid & quotuplex? 230.

Dyſuria quid ſit? 224.

Doſis remediorum quotuplex? 475.

An calculo Algebraico inveſtiganda? 475.

Dropaces quid ſint? 511.

E.

Eclegmata quid & quotuplicia? 483. 484.

Edulcorantia quid ſint? 415.

Electuaria quid ſint? 481. 482.

Quibus ſub cautelis prae ſcribenda? 482. 483.

Elementorum doctrina inſtitutionibus exulare debet. 31. 32. 69. 129. 130.

Emetica quid ſint? 352. 353.

Emmenagoga quid ſint? 390.

Caute ſunt adhibenda. 391.

Emollientia quid ſint? 415.

Empiria rationalis quid? 31.

Emulſio quid ſit? 492.

Quo modo paranda? 493.

Quibus morbis ſerviat? ibid.

Emplaſtra quid ſint & ex quibus conſtent. 511.

Quibus ſub cautelis praeſcribenda? 512.

Eorum uſus. 512.

Enaeorema in urinis quid? 271.

Epilepſia quid & quotuplex? 226.

Errhina quid & quotuplicia ſint. 385. 386.

Quibus noceant vel proſint? 387. 388.

Erotomania quid? 244.

Epithema quid ſit? 506.

Epulotica qualia ſint remedia? 424.

Epidemica conſtitutio in diagnoſi multum valet. 266.

Eryſipelas male tractatum quae damna poſt ſe trahat? 171.

Eſculentorum abuſus quos morbos cauſetur? 180.

Evacuantibus prae mittenda ſunt digeſtiva. 351.

Sunt vel pharmaceutica *vel* chirurgica. 351. 352.

Pharmaceutica quae ſint? 352.

Chirurgica quae ſint? ibid.

Exanthemata retrocedentia graviſſimorum morborum cauſae. 170.

Excrementa alvina quo mechanismo *ad excretionem promoveantur?* 107.

Organica *hujus excretionis ratio* ibid.

Quomodo coctionem *vel* cruditatem *indicent* ? 279.

Excretorū nomine quid veniat? 187.

Expe-

Expectoratio & expectorantia quid ſint? 385. 386.
Experimentum & experientia quomodo differant? 43.
Exſiccantia quid ſint? 417. 418. 419.

F.

Facies variorum morborum index. 259. 260. 261.
Hippocratica quae dicatur & quid ſignificet? 283. 284.
Febris in genere quid ſit? 233.
Quot ejus ſpecies? ibid.
Quotidiana. ibid.
Febris tertiana. 233.
Quartana. ibid.
Ephemera. ibid.
Synocha ſive ſanguinea. ibid.
Differt a ſynocha veterum. ibid.
Inflammatoria. ibid.
Cholerica. 236.
Cauſus. ibid.
Petechialis. ibid.
Purpura tam alba quam rubra. 237.
Urticata. 238.
Scarlatina. 238.
Scorbutica. ibid.
Catarrhalis maligna. 239.
Petechizans. ibid.
Hungarica ſeu caſtrenſis. 240.
Catarrhalis benigna. ibid.
Symptomatica. ibid.
Lochialis. 241.
Lactea. ibid.
Febres lentae quid ſint? 241.
Non ſunt cum hecticis confundendae. ibid.
Fermenta viſcerum ſunt aſyla ignorantiae. 38. 39.
Fermentum an in corde lateat, ſanguificationem promovens? 108. 109.
Fermentatio proprie dicta an in C. H. locum habeat? 39. 47. 48.
Fibrilla quid ſit? 70.
Fibra quid ſit? 70.
Toni capax eſt. ibid.
Flammula vitalis veterum eſt non ens. 52.
Flatulentia quid ſit? 223.
Eſt vel volutatoria *vel* ſtataria. 223.
Fluidorum mixtio qualis? 74.
Fluor albus mulierum benignus. 232.
Malignus. ibid.
Foeminae prae viris frequentius aegrotant. 144.
Pluribus quoque numero ac ſpecie morbis laborant. 145. 316.
Foetus mortui excluſio quomodo promovenda? 393.
Fonticuli quid ſint? 382.
Quam exerant efficaciam? 383.
Formulae remediorum uſitatiores quae ſint? 475. 476.
Formularum Collegia cur in Academiis inſtituenda? 473.
Fumiductorium inſtrumentum cujus uſus ſit? 365.
Furor uterinus quid ſit? 244.

G.

Gargariſmata quid ſint? 512.
Diſcutientia. ibid.
Refrigerantia. ibid.
Anodyna. 512.
Repellentia quid? ibid.
Cautelae circa eorum uſum obſervandae. 513.
Gingivarum cruentatio quid ſit & quid denotet? 199.
Glandula quid ſit? 73.
Quotuplex ſit? ibid.
Salivalis *liquor quid ad digeſtionem ciborum conferat?* 101.
Ubi glandulae ſalivales ſitum ſuum habeant? ibid.
Peyerianae *quid ad concoctionem conferant?* 105.
Glandula eſt praecipuum ſecretionis organon. 117.
Gonorrhoea quid & quotuplex ſit? 232.
Gravedo quid ſit? 207. 208.
Graviditatis ſtatus quibus incommodis obnoxias reddat mulieres? 439.

H.

Habitus corporis varius quid indicet? 259.
Haemoptyſis quid ſit? 285. 105.
Haemorrhagia ſpontanea quid ſit? 193. 194.
Differt pro aetatis ratione. 193.
Narium quid ſit? 194.
Qua methodo tractanda? 337. 338.
Haemorrhagiae ſunt vel activae *vel* paſſivae. 199.
Activae *quid ſint?* ibid.
Paſſivae *quid?* ibid.
Haemorrhagici motus quid ſint & quid cauſentur? 200.
Haemorrhoidalis fluxus quid & quotuplex? 127. 196.
Quae commoda cauſetur? 127.
An ſemper periodicus ſit? ibid.
Parcius ſuccedens vel ſuppreſſus quomodo revocandus? 391.
Haereditaria diſpoſitio in diagnoſi quid valeat? 266.
Hemicrania quid ſit & unde oriatur? 202.
Hemiplexia quid ſit? 242.
Hepar quid ſit & cui uſui inſerviat? 123.
Ejus infarctus quid? 212.
Hepaticus fluxus quid ſit & unde proveniat? 197. 231.
Hepatites quid ſit? 235.
Hippocrates an principiorum ita dictorum mechanicorum ſit author? 58.
Hiſtoria morborum quid ſit? 18. 315. 316.
Eſt fundamentum theoriae medicae. ibid.
Eſt medico ſumme neceſſaria. 308. 309.
Reformatione indiget. 309. 310.
Hiſtoriae morborum praecipua momenta. 311. 312. 313.
Ejus criterium. ibid.

Aqui-

A quibus tradita? ibid.
Hiſtoria morborum temperam. 321. 322. 323.
Hiſtoria morborum periodicorum. 328.
Habitualium. 329. 330.
Haereditariorum. 330.
Corruptorum. 330. 331.
Recurrentium. 331. 332.
Rarorum. 332.
Recidivas parientium. 333. 334.
Conſequentium. 334.
Incurabilium. 335. 336.
Morborum aetatis. 317. 318. 319.
Homines prae brutis frequentius aegrotant. 146. 317.
Humidum primigenium veterum eſt figmentum. 52. 81. 82.
Humorum ſpiſſitudo quid ſit & unde oriatur? 400. 402. 403.
Quomodo corrigatur? 400.
Lubricitas vappida in quo conſiſtat? 416.
Humectantia quid ſint? 411. 412.
Hydrops quid & quotuplex? 215.
Hydrocephalus quid? ibid.
Hydrocele quid ſit? 215.
Hydatides quid ſint? 215.
Hygieine quid ſit? 10.
Hypoſtaſis in urina quid ſit? 271.
Hyſterica pathemata mulierum quomodo cum mictu cruento conſpirent? 211. 212.

I.

Icterus flavus *quid ſit?* 232.
In nigrum quandoque tranſit. ibid.
Iliaca paſſio quid ſit? 235.
Impraegnatio foemellarum quomodo fiat? 128.
Incantationis effectus nullus. 245.
Incidentia quid ſint? 405.
Incraſſantia quid ſint? 412. 413.
Quibus in adfectibus locum habeant? 414. 415.
Incontinentia urinae quid? 243.
Incubus quid ſit? 229.
Quomodo ab aſthmate ſpaſtico *differat?* ibid.
a Catarrho ſuffocativo? ibid.
Indicans quid ſit? 349.
Indicatum quid denotet? ibid.
Indicationis nomine quid veniat? 349.
Quotuplex illa ſit? ibid.
Injectiones cur in varias C. H. cavitates fiant? 513.
Inſomnia quid de ſtatu morbi indicent? 255.
Inviſcantia quid ſint & qualia? 413.
Julepus quale remedii genus ſit? 499.
Ejus ingredientia. 500.
Juvantia & nocentia in diagnoſi *ſolerter attendenda.* 266.

L.

Lac quomodo ſeparetur in mammis? 121.
An per ductus chyliferos ex canali

canali thoracico ad mammas devehatur? 121.
Lactea vaſa quomodo a lymphaticis diſcrepent? 122.
Eorum inventores. ibid.
Lactantium incommoda. 441.
Laxantia quid ſint? 355. 356.
Lethargus quid ſit? 207.
Leucophlegmacia quid? 214.
Lien quid ſit? 124.
Cui uſui inſerviat? ibid.
An ſit officina atrae bilis? 124.
An ſit ſedes animae ſec. Helmontium? ibid.
Lienteria quid ſit? 231.
Ligamentum quid ſit? 71.
Lingua morborum index. 265.
Linguae inſpectio neceſſaria. 287. 288.
Quid ad manducationem conferat? 100.
Linctus quid ſint & quotuplices? 483. 484.
Quibus ſub cautelis praeſcribendi? 484. 485.
Linimenta quid ſint? 510.
Lithontriptica quid ſint? 394.
Lochia quid ſint? 198.
Eorum anomaliae. ibid.
Segnius ſuccedentia vel ſuppreſſa quomodo revocanda? 392.
Loquela a naturali plus minus recedens ſignum ſalutis vel mortis. 284.
Lumbrici quid? 222.
Eorum ſpecies. ibid.
Lympha quid ſit? 75.
Cui uſui deſtinata? 75. 112. 113.
Lymphatica vaſa quid ſint? Et quomodo a lacteis diſcrepent? 72.
Eorum inventores. ibid.
Suis gaudent valvulis. 112.
Lymphae circulatio ut ſe habeat? 122.
Lyſis quid ſit? 305.

M.

Mammae mulierum quid ſint? 121.
Mania quid ſit? 244.
Maſticatio ciborum quo mechaniſmo peragatur? 99.
Ejus organica ratio. 99. 100.
Ejusdem in concoctionis negotio utilitas & neceſſitas. 101.
Maſticatoria quid & quotuplicia? 381.
Quibus in morbis locum habeant? 382. 514. 515.
Materia medica defectibus laborat. 21.
An medico ſcitu neceſſaria? 9.
Matheſis cujus utilitatis in medicina? 8.
Materiale cum immateriali an commercium habere poſſit? 79. 80.
Mechanica cujus uſus in medicina? 7.
Mechanicorum principiorum abuſus vitandns. ibid.
Mechaniſmus quid ſit? 59. 60.
Non ſufficit ad functiones oeconominae

nomiae animalis explicandas. 60. 98.
Mechanicum quid ſit? 59.
Medicus quis jure dicendus? 4.
Medici an in praxi convenire queant, qui in theoria diſſentiunt? 35.
Medicorum ſectae praecipuae unde ortae? 32.
Diſſenſus in determinandis morbis unde oriatur? 22.
Data medicorum quid ſint? 13.
An Geometrarum datis aequiparanda? 14.
Medicam empiriam oportet eſſe rationalem. 31.
Medendi methodus artificialis *quid ſit?* 11. 12.
Naturalis aemula eſſe debet. ibid. 345. 346.
In quo conſiſtat? 346. 348. 349.
Medicinae author quis? 2.
Spontanea *quid ſit?* ibid.
Eſt cynoſura artificialis. ibid.
Ejus energia. 147.
Artificialis *quid ſit?* ibid.
An recte definiatur per ſcientiam ſalubrium & inſalubrium? 3.
An per artem, *an* ſcientiam, *an* prudentiam *vel* habitum *ſit definienda?* 4.
Ejus diſtinctio in theoreticam & practicam *cujus momenti?* 4.
Objectum ejus. 5.
Finis quis ſit? 5. 6.
Medicinae diviſio in partes eſſentiales & miniſtras. 6.
Methodice eſt tradenda. 13.
Medicinam nulli Philoſophorum ſectae addictam eſſe oportet. 14.
Damna inde reſultantia. ibid.
Aliena inde removenda. 15.
Ejus genuina tractandi ratio. 15.
Nobilitas ac neceſſitas. 16.
Certitudo. 16. 17.
Poteſtas. 17. 18. 19. 20. 23. 24.
Fulcra, quibus innititur. 31.
Medicina mechanica modernorum quae praeſtet mirabilia ſecundum Waldſchmidium? 31.
Medicinae & phyſices nulli juſti ſunt limites. 43.
Medicinae curioſae medicina paranda. 44.
Medicamenta ſunt vel evacuantia *vel* alterantia *vel motus emendantia.* 350.
Medulla oſſium quid ſit? 122. 123.
Quem uſum praeſtet? ibid.
Melancholia quid ſit? 244.
Membrana quid ſit? 71.
Menſtruus mulierum ſanguis quid ſit? 126. 198.
Ejus organon ſe & excretorium. ibid.
Cauſa menſtruae hujus excretionis quae ſit? 127.

Menſtrua mulierum variis ataxiis expoſita. 198. 438.
Menſtruales anomalias quae pathemata conſequantur? 438. 439.
Methodicorum ſtrictum & laxum *quid?* 173.
Mictus cruentus quid? 196.
Mixturae quid ſint? 500.
Quomodo ab elixiriis *diſcrepent?* *ibid.*
Mixtio animalis in quo conſiſtat? 129. 130.
Ad corruptionem eſt prona. 131. 132.
Cur in eam actu *non ruat? ibid.*
Mixtionis ſanguinis conſervandae inſtrumentum eſt motus ejus circularis. 132.
Modos agendi determinare nec utile nec neceſſarium. 23.
Montani judicium de calido innato. 80. 81.
Moralitatis perſonalis fundamentum quodnam ſit? 89. 90. 91. 92. 93.
Molarum excluſio promovenda? 393. 394.
Morbus quid ſit? 135.
Adficit vel fluida *vel* ſolida. 141.
Morbi fluidorum *in quo conſiſtant?* 141.
Solidorum quid laedant? ibid.
Congrui *quales ſint?* 147. 148.
Incongrui *quales?* *ibid.*
Quid portendant? 149.
Salutares. *ibid.*
Noxii. 149. 150.
Periculoſi. 150.
Non periculoſi. *ibid.*
Chronici. *ibid.*
Acuti. 151.
Endemii. *ibid.*
Epidemici. *ibid.*
Idiopathici. 152.
Sympathici. *ibid.*
Aetatum. *ibid.*
Morbi tempeſtatum. 153.
Continui. *ibid.*
Corrupti. 153. 154.
Habituales. 155.
Periodici. 156.
Sanabiles. 156. 157.
Inſanabiles. *ibid.*
Lethales. 157. 158.
Haereditarii. 158.
Morbi omnes ad quot claſſes reduci poſſint? 191.
Morbifica cauſa in genere quid? 159.
Morbi cauſa occaſionalis. *ibid.*
Antecedens. *ibid.*
Continens *quid?* *ibid.*
Morbificarum cauſarum effectus. 190. 191.
Morbus unus quandoque alterius cauſa eſt. 190.
Morborum cauſae, vera influendi potentia gaudentes, rarae. 143. 144.
Morbum eſſe omnem hominem a natura, falſum. 143. 144.

Cur

Cur quidam rarius, quidam frequentius aegrotent? 144.

Morborum ex tono alterato oriundorum ſeries. 141. 142.

Hiſtoria clinica medico ſumme neceſſaria. 308. 309.

Morbis qui frequentius vel rarius adficiantur? 317.

Morborum metaſchematiſmus quid ſit? 333.

Quam therapiam expoſtulet? 451.

Morbilli quid ſint? 237.

Quomodo a variolis *diſcrepent?* ibid.

Morſuli quid ſint? 485.

Quomodo a rotulis differant? 485. 486.

Quibus ſub cautelis praeſcribendi? 486. 487.

Mors in quo conſiſtat? 135. 136. 140.

Motuum voluntariorum nomine varia corporis exercitia comprehenduntur. 184.

Quid ad ſanitatis conſervationem conferant? 184. 185.

Motuum vitalium finis quis? 428.

Anomaliis ſunt expoſiti. ibid.

In quo anomaliae iſtae motuum vitalium conſiſtant? 428. 429.

Mucus naſalis quid ſit? 119.

Organon ejus ſecretorium. ibid.

Quid oeconomiae vitali conferat? ibid.

Mucoſitatis ſecretio in glandulis Peyerianis *quem uſum praeſtet?* 119. 120.

Mucilago quid ſit? 78.

Quis ejus ſit uſus? ibid.

Status ejus naturalis ac praeternaturalis. ibid.

Muſculus quid ſit? Et quot ejus partes? 73.

N.

Narcotica quid ſint? 431.

Qua cautione adhibenda? ibid.

Narium haemorrhagia ſpontanea quot modis peccet? 454.

Quomodo vitiis hiſce occurrendum? 454. 455. 456. 457.

Naturae diſquiſitio, quatenus ad medicum ſcopum ſpectat, qualis eſſe debeat? 50.

Natura humana idem eſt ac anima rationalis. 65.

Ejus robur unde aeſtimandum? 252.

Imbecillitas unde cognoſcatur? 251. 252.

Nauſea quid ſit? 223.

Nervus quid ſit ejusque uſus. 73.

An cavitate gaudeat? ibid.

Ejus ortus. ibid.

Nervina quid ſint? 425.

Nephritis quid & quotuplex? 213. 214.

Spuria *quid ſit & quomodo a* vera *diſcrepet?* 229.

Nitroſa quandoque carminativum edunt effectum. 409.

Noctambulatio quid? 245.

Noſtalgia quid ſit? 245.
Nubecula in urinis quid ſit? 271.
Nutritionis in C. H. vivo quaenam vera ſit ratio? 112.

O.

Obſtructionum in viſceribus natarum theoria cujus ponderis? 38. 162.
Occalleſcentia quid ſint? 424. 425.
Odontalgia quid ſit? 204.
Oedemata pedum aliorum morborum pediſſequa ſunt. 216.
Ophthalmia quid ſit? 204.
Oportunitas in medendo ingens myſterium. 348.
Orexis quid ſit? 220.
Quibus ſubjectis familiaris? 221.
Organicum quid ſit? 59.
Organiſmus quid ſit? 59. 60.
Oris apertio quo mechaniſmo peragatur? 99.
Clauſio quo mechaniſmo fiat? ibid.
Utriusque organica ratio. 99.
Oſſa quid ſint? 74.
Quae mixtio eorum ſit? ibid.
Oſſa & cartilagines qua ratione inter ſe diſcrepent? 73.
Otalgia quid ſit? 203.

P.

Pancreas quid ſit? 125.
Cui uſui dicatum? ibid.
Pancreaticus ductus qualis? ibid.
Liquor quid? 77. 125.
Ejus utilitas. ibid.
Quid ad chyliſicationem conferat? 125.
Pancreas Aſellii *quid?* 106.
Ejus uſus. ibid.
De eo obſervatio. ibid.
Paralyſis quid? 242.
Paraplexia quid? ibid.
Paraphrenitis quid ſit? 205.
Parotides quid ſint? 208.
Partus negotium quae incommoda pariat? 439.
Pathologia quid ſit? 10. 139.
Modernorum naevis laborat? 20. 21.
Salſa, falſa. 45 46.
Medica phyſiologiae medicae reſpondere debet. 139.
Pediluvia quem uſum habeant in praxi? 497.
Periſtalticus quid ſit motus? 107.
Ejus uſus. ibid.
Pericardii liquor an in ſtatu C. H. naturali ſemper adſit? 120.
Ejusdem utilitas. ibid.
Organon ſecretorium. ibid.
Bohnius *notatus, qui ejus exiſtentiam negavit.* ibid.
Peripnevmonia quid? 209.
Pesſi quid ſint? 366.
Pharmacia fuit olim pars medicinae. 472.
Cur ſucceſſivis temporibus inde ſeparata? 472.
Separationis hujus damna. 473.
Phaenigmi quid ſint? 383.

Phaeno-

Phaenomena ſi explicanda τὸ ὅτι praecedere ſemper debet τὸ διότι. 42.
Phrenitis quid ſit? 205.
Phthiſis pulmonalis quid ſit? 210.
Phlegmatorrhagia quid? 208.
Phyſiologia quid ſit? 10.
Ejus objectum. 10. 65.
Eſt pars medicinae eſſentialis. 10.
Ab anthropologia qua ratione differat? ibid.
Recentiorum naevis laborat. 20.
Eſt vel phyſica *vel* medica. 66.
Phyſiologi munus quod ſit? ibid.
Pilulae quid ſint? 501.
Earum ingredientia. 502.
Quibus cautelis parandae? 503.
Quibus conveniant vel minus? 503. 504.
Plethora an detur? 163. 164.
Ejus conſectaria. 164. 165.
Quid ſit? 165.
Quibus notis innoteſcat? 165. 166.
Eſt ſubinde cacochymiae mater. 165.
Plethorae quomodo occurrendum arte? 443.
Qua ratione occurrat natura? 454.
Morbi qui ſint? 192. 325. 326.
Plethora interdum ſimplex, interdum cum cacochymia eſt complicata. 193.
Pleuritis quid ſit? 209.
Notha *quid & quomodo a* vera *diſcrepet?* 229.
Plempius notatus. 5.
Pneumatocele quid? 215.
Podagra quid ſit? 171.
Retropulſa quae damna cauſetur? ibid.
Pollutio nocturna virorum quid? 231.
Potulentorum abuſus quid faciat ad morbos cauſandos? 181. 182. 183.
Potiones extemporaneae quid? 498.
Quo ordine praeſcribendae? 499.
Principium demonſtrandi quodnam ſit ſecundum Hoffmannum? 61. 62.
Mechanico-organicum eſt. 63. 64.
Procidentia ani quid ſit? 242.
Uteri quid ſit? ibid.
Proſtatae quid ſint? 128.
Cui uſui ſubſerviant? ibid.
Ptyaliſmus quid ſit? 207. 375.
Eſt vel ſpontaneus *vel* artificialis. 208.
Ptarmica quid ſint? 379.
Pulmo eſt organon reſpirationis. 115.
Ejus ſtructura qualis? ibid.
An ſanguis in ſuo per illos tranſitu

)()()()(

tranſitu mutationem patiatur? ibid.
Pulmonum infarctus & nodi ſcirrhoſi. 204.
Purgantia quid ſint? 355. 356.
Eorum tutiora. ibid.
Illis digeſtiva *ſunt praemittenda.* 357.
Cur interdum emetico-catarticum *effectum edant?* ibid.
Cum diſcretione ſubjectorum ſunt exhibenda. 356.
Eorum indicantia & contra *indicantia.* 357. 358.
Regimen ejus, qui purgans adſumpſit. 358.
Purgatorius actus quid ſit? 355.
Pulſus quid & quotuplex? 272.
Eſt vel fortis *vel* debilis. 273.
Celer *vel* tardus. ibid.
Frequens *vel* rarus. 274.
Aequalis *vel* inaequalis. ibid.
Differt pro ratione temperamentorum. 274.
Fortis *quid ſignificet?* 281.
Debilis *quid denotet?* ibid.
Celer & frequens febrium pathognomonicum *eſt ſignum.* 281.
Inaequalis *cum ſuis ſpiciebus quid denotet?* 281. 282.
Pulveres quid ſint? 476.
Quid commodi quidve incommodi habeant? 476. 477.
Quibus ſub cautelis ſint exhibendi? 477. 478. 479.
Putredo lumbricorum patria. 222.

R.

Ramazzinus laudatus. 178.
Raucedo faucium quid ſit? 211.
Quomodo a brancho *diſcrepet?* 211.
Renum ſtructura qualis? 125.
Eorundem uſus quis? ibid.
Modus ſecretionis urinarum qualis? ibid.
Repellentia quid ſint? 419.
Quomodo operentur? ibid.
Res non naturales qua polleant energia ad cauſandum morbos. 160.
Reſpiratio quid ſit? 114.
Ejus utilitas & neceſſitas. 114. 116.
Quot momentis abſolvatur? ibid.
Inſpirationis organa. ibid.
Exſpirationis organa. ibid.
An ſanguinem refrigeret an reſolvat? 116.
Libera vel impedita quid denotet in acutis? 282. 283.
Reſolventia quid ſint? 400.
Quomodo operentur? 400. 401.
Eorum claſſes. 402.
Retroceſſio materiae malignae vel noxiae ad exitum denuo promovenda? 395. 396. 397.
Rheumatiſmus quid ſit? 212.

Retento-

Retentorum nomine quid veniat? 187.
Rotulae quid ſint? 485.
Quomodo a morſulis *diſcrepent?* ibid.
Rubefacientia quid ſint? 383.
Efficacia qualis illis competat? 383. 384.

S.

Saliva quid ſit? 77.
Ejus organon ſecretorium. ibid.
Quid ad digeſtionem conferat? 101.
Salivae ſe & excretionis ratio mechanica. 102.
Ejus organica *ratio.* ibid.
Varia conſtitutio quae praebeat ſigna? 265.
Salivatio quid ſit? 375.
Circumſpecte eſt inſtituenda. 376.
An aliis praeter luem veneream adfectibus conveniat? ibid.
Modi varii eam excitandi. 377.
Salivatio ſine praeparatione corporis non eſt ſuſcipienda. 378.
Salivales ductus quot ſint? 101.
Salutis ſigna quae ſint? 208.
Sanguificatio quid ſit? 107.
Ejus organon an ſit hepar? ibid.
An ſit lien vel cor? ibid.
An ſanguis ipſe cum univerſo vaſorum ſyſtemate? ibid.
Ejus mechaniſmus. 109. 111.
Organismus. 109. 114.
Sanguis quid ſit? 75.
Microſcopio inſpectus qualis adpareat? ibid.
In aggregato qualis adpareat? 76.
An ſit theſaurus vitae? ibid.
Quot partibus elementaribus conſtet? 87.
Sanguinis circulatio utiliſſimum eſt inventum. 42.
In abuſum trahitur a recentioribus. ibid.
Eſt inſtrumentum conſervationis ſanguinis in craſi. 44. 45.
Sanguinis vitia unde cognoſcantur? 262.
Sanguinis colores varii quid indicent? 263. 264.
Ventilatio artificialis quibus in caſibus conveniat necne? 388.
Defectus verus oppido rarus. 422.
Quomodo reſtituendus? 423. 424.
Sanguis extravaſatus quomodo educendus? 392.
Menſtruus mulierum quid portendat? 264.
Sanguinis ſudor quid? 199.
Congeſtio verſus caput quos morbos pariat? 200. 201.
Scabies quid & quotuplex? 460. 218.
Ejus curatio privativa. *ibid.*
Poſitiva. 461. 462. 463

Scabiei humidae hiſtoria. 341.
Siccae hiſtoria. ibid.
Venereae hiſtoria. 342.
Scabies retropulſa quae damna cauſetur? 170.
Sclyroſis quid ſit? 215.
Scorbutus quid ſit? 219.
Sanguinis defectus quos morbos pariat? 166.
Motus circularis ſanguinem ipſum a coagulatione praeſerbat. 167.
Spiſſitudo quid noxae pariat? ibid.
Tenuitas nimia cum acredine juncta. 168.
Acrimonia ſalina. ibid.
Tenacitas lenta. 168.
Acrimoniablioſo-ſulphurea. ibid.
Aciditas fixa. ibid.
Lubricitas bappida. 169.
Sanctorii medicina ſtatica *laudata.* 117.
Sanitas in quo conſiſtat? 133. 134.
Cum quadam latitudine eſt accipienda. ibid.
Se & excretio eſt primarius oeconomiae bitatis actus. 117.
Mechanico-organicus eſt actus. ibid.
Ejus organon, ibid.
Secundinae in utero remanentes quomodo educendae? 392. 393.
Semen birile quid ſit? 78. 128.
Semeiotica quid ſit? 11.
An ſit pars pathologiae? ibid.
Cur dubitationi interdum expoſita. 22.
Senſus tam interni quam externi quid de ſtatu morbi teſtentur? 254.
Vitalis quid ſit? ibid.
Medicum ἰσόθεον *reddit.* ibid.
Comprehendit ſub ſe diagnoſin *&* *prognoſin.* 248.
Quomodo circa hanc partem gerere ſe debeat medicus? 248. 249.
Ejus uſus medico-practicus. 249. 250.
Senſuum tam internorum quam externorum ſigna prognoſtica. 288. 289. 290.
Senſibilitas indibidualis quomodo diſponat ad morbos? 326.
Senſatio non ſit in organis ſed in anima ipſa. 60.
Sennerti judicium de calido innato Veterum. 80. 81.
Serum quid ſit & unde naſcatur? 70.
Non eſt confundendum cum lympha. ibid.
Sexus differentia in diagnoſi attendenda. 266.
Setacea quid ſint? 382.
Eorum bis & efficacia. 382. 38.
Signa medica quae & quotuplicia? 250.
Habent ſeſe inſtar praemiſſarum Logicarum. ibid.
Eorum certitudo, 251.
Prognoſtica quid ſint? 275.
Cruditatis *bel* coctionis. ibid.
Salutis *bel* mortis. ibid.
Critica. ibid.
Mortis. 280.
Temperamentorum. 256.
Temp. ſanguinei. 257.
Cholerici. ibid.
Phlegmatici. 256. 257.
Melancholici. 258.
Plethorae quae ſint? 261.
Singultus quid & quotuplex? 227.
Soda quid ſit? 220.
Solidorum mixtura qualis ſit? 74.
Somni exceſſus quae mala generet? 186.
Somni ſtatus in acutis attendendus. 290.
Spaſmus quid ſit? 224.
Eſt bel univerſalis *bel* particularis. 225.
Spaſmodici adfectus quales? 225.

Spaſmo-

Spaſmorum cauſa an ſit pure phyſica? 225.
Specifica quid denotent? 432. 433.
Spiritus frumenti cujus cenſus in negotio ſanitatis? 187.
Spirituum theoria ex foro medico relegata. 32.
Splenis infarctus quid? 212.
Splenitis quid? 235.
Sputum cruentum quid ſit? 195.
Sputa coctionem *vel* cruditatem *humorum denunciantia.* 279.
Sphygmomantia quid ſit? 271. 272.
Ammanni de ea judicium. 272.
Sphacelus quid ſit? 136. 137.
Sternutatoria quid & quotuplicia? 514.
Eorum uſus & abuſus. ibid.
Structura & textura quid ſit? 67.
Stupefacientia quid ſint? 431.
Stagnatio quid ſit? 200.
Quomodo a congeſtione *differat?* ibid.
Staſis quid ſit? 200.
Quomodo a congeſtione *&* ſtagnatione *differat?* 200.
Stranguria quid ſit? 224.
Sudor quid conferat ſanitati? 118.
Quomodo ab inſenſibili *tranſpiratione differat?* 118. 119.
Sudores aequinoctiales *quae commoda pariant?* 217.
Colliquativi *quid portendant?* 216.
Retropulſi quae mala pariant? 170.
Anniverſarii quomodo tractandi? 397.
Sudorifera quid ſint & quomodo operentur? 369. 370. 371.
Sudantium regimen quale eſſe oporteat? 370.
Sudores ſigna ſalutis & mortis. 293. 294.
Suppoſitoria quid ſint? 365.
Unde parentur? 366.
Symptoma quid ſit? 190.
Eorum vehementia varia variis in ſubjectis 191.
Quomodo differat a morbo? ibid.
a Cauſa morbifica. ibid.

T.

Tarantiſmus quid ſit? 245.
Temperamentum mixti *&* vivi *quid ſit?* 132.
Temperamentorum diverſitas diverſos gignit morbos. 174. 175.
Temperamentum totius cum temperie non eſt confundendum. 84. 85.
Quid ſit & non ſit? ibid.
Ammannus hic notatus. 83. 84.
Quotuplex ſit? ibid.
Sanguineum *unde & cur ſic dicatur?* ibid.
Phlegmaticum *cur dictum?* ibid.
Cholericum *unde denominatum?* ibid.
Melancholicum cur dictum? ibid.
Temperamentum corporis ſequuntur mores animi. 87. 88. 89.
Temperamentorum mutua tranſmutatio quomodo fiat? 92. 93.
Diſpoſitio morboſa. 93. 94. 95. 96.
Temperantia quid ſint? 430.
Teneſmus quid ſit? 228.
Theoria medica vera *quid ſit?* 34.
Ejus criterium quale? ibid.
An in farragine opinionum conſiſtat? 34. 35.
Differt a pure phyſica. 35.
Ejus ſpecimina. 37.
Utriusque limites difficulter diſtinguuntur. 36.
Eſt fundamentum praxews. 637.
Salſa cujus indolis? 37.
Spirituum chymaerica. 38.
Verminoſa vana eſt. 39.
Theoriae ridiculae ſpecimina. 49.

Theoria medica vera praxi reſpondere debet. 4. 5. 33.
An phyſices experimentalis ſubſidio opus habeat? 7.
An chymia ad eam quicquam conferat? 7.
Niti debet veritate facti. 52. 53.
Ejus praecipua momenta. 53. 54.
Princeps fundamentum. 54. 55.
Textum & ſtructum quid ſit? 67.
Therapevtica quid ſit? 12.
Therapia artificialis *imitari debet* naturalem. 346. 347.
Therapia morborum infantilium. 444. 445.
Juvenilium. 445.
Virilium & ſenilium. 445. 446.
Haereditariorum. 449.
Periodicorum. 447. 448.
Habitualium. 448. 449.
Corruptorum. 449. 450.
Retrogradorum. 450.
Therapia morborum in temperamenta certa cadentium. 446. 447.
Morborum recidivas patientium. 457.
Rarorum. 450. 451.
Incurabilium. 452.
Therapia generalis. 436.
Specialis. *ibid.*
Specialisſima. *ibid.*
Tonus quid ſit & quotuplici modo laedatur? 173.
Toni varius ſtatus ſalutis vel mortis ſigna praebet? 285. 286. 287.
Toni alterationem motuum anomalia ſequitur in humoribus. 141.
Tonica quid ſint? 419. 420.
Qua ratione differant ab adſtringentibus? 420.
a Repellentibus. *ibid.*
Illorum ſeries. 419. 420. 421.
Tonſillarum relaxatio. 243.
Tranſpiratio Sanctoriana quid? 117.
Ejus commoda. 216.
Tranſpiratio inſenſibilis ſuperat reliquas omnes ſenſibiles. 216.
Ejus utilitas. 118.
Suppreſſa vel defectu laborans quae mala habeat pediſſequa? 216.
Tremores artuum quid ſint quidve portendant? 242.
Tusſis quid & quotuplex ſit? 210.
Tympanitis quid ſit? 215.

V.

Varicum manatio quid ſit? 198.
In quae ſubjecta cadat? *ibid.*
Variolae quid ſint? 236.
Quomodo a morbillis *diſcrepent?* 236. 237.
Vena quid ſit & cui uſui ſit deſtinata? 71. 72.
Venena quid ſint? 171.
Quae damna corpori inducant? 171. 172.
Quot modis effectum ſuum producant? 172.
An ſubinde venenum in proprio corpore gignatur? 172. 173.
Venerea lues quid ſit? 219. 220.
Quot ejus gradus? *ibid.*
Unde oriatur? *ibid.*
Ventriculi cruditas acida *quid ſit?* 221.
Nidoroſa *quid?* *ibid.*
Debilitas quid? 222.
Verminoſa theoria ad praxin inutilis. 39.
Vertigo quid ſit & unde oriatur? 206.
Veſicatoria quid ſint? 382.
An aliqua eorum efficacia? 382. 383.
Eorum recenſio. 384.
Modus adplicandi. *ibid.*
Vigiliae quid denotent in acutis? 290.
Vigiliae immodicae quae mala cauſentur? 186. 187.

Vitae

Vitae formalis ratio in quo conſiſtat? 66.
An recte definiatur per conſervationem mixti a putredine? 68.
Vitae inſtrumentalis ratio in quo conſiſtat? 132. 133.
Ejus juſta definitio. 133. 149.
Vitales motus tam ordinarii quam extraordinarii medico perſpecti eſſe debent. 54. 55.
Vitalium motuum potior, quam materialis conſtitutionis habenda eſt ratio. 161.
Eorundem utilitas ac neceſſitas. 161. 162.
Neutiquam improvide ſunt ſupprimendi. ibid.
Vitae genus in diagnoſi attendendum. 266.
Vinum aduſtum cujus cenſus in ſanitatis negotio? 183.
Volvulus quid ſit? 235.
Vomitus cruentus quid ſit? 195. 196.
Vomica pulmonum quid? 204. 209. 210.
Vomitus annui quomodo aeſtimandi ac tractandi? 397.
Vomitus ſpontaneus *quid ſit?* 230.
Symptomaticus *qualis?* ibid.
Vomitus periodicus *quis dicendus?* 230.
Urina quid ſit? 267.
Variat pro varietate temperamentorum. 268.
De indole ſanguinis teſtatur. ibid.
Nec non de ſtatu renum & veſicae. 268. 269.
Urinae defectus quid denotet? 268.
Exceſſus quid ſignificet? ibid.
Colores varii quid denotent?
Odores varii. 270.
Conſiſtentia. 271.
Contenta varia. ibid.
Hypoſtaſis quid ſit? ibid.
Enaeorema quid ſit? ibid.
Nubecula quid? ibid.
Urinae coctionem *vel* cruditatem *in humoribus denunciantes.* 276 277.
Ammannus notatus, qui talia ſigna negavit. 278.
Uromantia quid ſit? 267.
Multis expoſita eſt dubiis. ibid.
Cur purgatorio Pontificiorum ab Ammanno *comparata?* ibid.
Urinae incontinentia quid ſit. 243.
Unguenta quid & quotuplicia? 508.
Modus ea praeſcribendi. 508. 509.
Eorum uſus. ibid.
Uteri procidentia quid? 242.
Quotuplex illa ſit? 242. 243.
Uvulae relaxatio quid? 243.

W.

Wurmſtöcke *quid ſint?* 222.

EMENDANDA.

I. In Praefatione.

Pag. 2. lin. 14. & 15. pro *prount* l. produnt. Ead. pag. lin. 22. pro *eum* l. cum. pag. 6. lin. penult. pro a leg. ac.

II. In hiſtoria litteraria.

Pag. 10. lin. 2. pro *hic* l. his. pag. 14. lin. 10. pro *cum* l. eum. ead. p. lin. 24. pro *hypothetarum* l. typothetarum. p. 31. l. 7. pro *medicae* l. medicinae. p. 34 lin. 8. pro *lingbe*, l. linguae. p. 40. l. 2. pro *ducers* l. ducere. Ead. pag. lin. ult. & penult. pro *Ferneneliana*e l. Fernelianae. pag. 41. lin. 4. pro *ſumptomatibus* l. ſymptomatibus. pag. 51. lin. 14. pro *ſecretiori* l. ſecretioris p. 52. lin 6. pro *adpareat* l. adpareant. p. 61. l. 8. pro *ſumtomatibus* l. ſymptomatibus. ead. pag. l. 17. pro *obſignantur* l. obſignatur. p. 75. l. 2. pro *diapragmatis* l. diaphragmatis. p. 98. l. 25. pro *reipſe* l. reipſa. p. 102. l. 13. pro *ſommifera* l. ſomnifera. p. 108. lin. 25. pro *conbenienter* lin. convenienter, pag. 118. lin. 21. pro *morborrum* l. morborum. eod. pag. lin. 27. pro *bideantut* l. videantur. p. 128. lin. 22. pro *ſuppesſio* l. ſuppresſio. pag. 131. l. 9. pro *nec ne* l. nec non. p. 156. lin. 28. pro *iila* l. illa. p. 158. l. 30. pro *mutato contigerit* l. *mutatio contigerit*. p. 161. lin. 23. pro *Junckerus* l. Junckenius. p. 165 l 19. pro *reſpiciat* l. reſpiciant. p. 168. l. 22. pro *oporteret* l. oportere. p. 186. lin. 14. pro *quas* l. quae. p. 190. l. 18. pro *defluxlonum* l. defluxionum. p. 196. lin. 31. pro *mediciae* l. medicae. p. 197. lin. 9. pro *bidetatur* l. videatur.

III. In inſtitutionibus.

Pag. 31. lin. 9. pro *ſeſe* l. ſeſe. ead. pag. l. antepen. pro *Paracelſiſtarnm* l. Paracelſiſtarum. pag. 39. lin. 17. pro *quae* l. quas. pag. 43. lin. 23. pro *beros* l. vero. p. 48. lin. 16. pro *has* l. hoc. p. 148. lin. 12. pro *quatuor* l. quatuordecim. p. 192. lin. 9. pro *aſthma ſpurium* l. aſthma convulſivum & pleuritis ſpuria. pag. 205 l. 20. pro *&* l. à. p. 207. lin. 23. pro *angura* l. angina. p. 211. lin. 10. pro *aortae* l. tracheae. p. 278. lin. 16. pro *ſi* l. ſi. p. 280. lin. 31. pro *effectuum* l. effectum. ibid. pro *ebentuum* l. eventum. pag. 289. lin. 20. pro *circa* l. citra. pag. 302. lin. 4. pro *ut* l. et. ead pag. lin. 21. pro *inbenirre* l. invenire. pag. 327. lin. 25. poſt verba, *turbatio iſta bel.* adde: gravior vel. pag. 332. lin. 3. pro *arhtidis* l. arthritidis. p. 334 l. pro *hyſtericarum* l. hyſterica. Ead. pag. lin. 28. pro *fatis* l. ſatis. pag. 336. lin. 23. pro *haemiplexia* l. hemiplexia. p. 370. lin. 20. pro *nocium* l. nocivum. p. 379. lin. 14. pro *operentut* l. operentur. ead. pag. lin. 31. pro *tameu* l. tamen. p. 386. lin. 13. pro mucoſitatis l. mucoſitatis. p. 391. lin. 30. pro *ſrictio* l. frictio. p. 393. lin. 5. pro *ſonricum* l. ſonticum. pag. 395. lin. 12. pro *ſcotdii* l. ſcordii. p. 398. lin. penult. pro *bel per behernentem* l. quam per vehementem. p. 404. lin. 28. pro *huic* l. hinc. pag. 473. lin. 19. pro *formularnm* l. formularum. p. 482. pro 432. l. 482. p. 485. lin. 10. pro *demulcndo* l. demulcendo. pag. 488. lin. ult. pro *demnm* l. demum p. 492. lin. 11. pro *adplicationum* l. adplicationem. p. 495. l. 30. pro *poſt* l. poteſt. p. 497. l. 21. pro *indicatiorum* l. indicationum.

Quae praeterea hinc inde corrigenda forte occurrent, B. L. ob temporis penuriam relinquimus.

INTRODUCTIO
IN
HISTORIAM LITTERARIAM
SCRIPTORUM,
QUI
INSTITUTIONES
MEDICINAE
ſeu
PARTEM
EJUS ELEMENTAREM SCRIPTIS SUIS
ILLUSTRARE CORDI HABUERUNT.

INTRODUCTIO IN HISTORIAM LITTERARIAM SCRIPTORUM, QUI INSTITUTIONES MEDICINAE SCRIPTIS SUIS ILLUSTRARUNT.

§. I.

Recte omnino ac ſapienter *Introductione in univerſam artem medicam* Cap. I. §. I. ſcripſit *Hermannus Conringius*, ingens quondam *Academiae Juliae* decus atque ornamentum; Philiatrum duo, priusquam ſtudium ipſum adgrediatur, adferre ſecum oportere, nempe tum magiſtrorum, qui ſcientiam illam excoluerunt, tum etiam ipſius artis προπαιδειας juſtam adcuratamque cognitionem. Quanquam autem de iis, quae de ſtudio medicinae propaedevtico in ſcholis communiter traduntur, v. g. de exiſtentia artis ejusque eſſentia ſeu conſtitutione, de origine, definitione, diviſione, ſubjecto, objecto, fine, antiquitate, utilitate, neceſſitate, ſectis variis & auctore medicinae &c. dubitari haud injuria poſſet, num tantae, quantae vulgo praedicantur, utilitatis atque neceſſitatis exiſtant: Extra omnem tamen dubitationis aleam poſitum eſt, notitia Auctorum, qui ſcriptis ſuis ſcientiam medicam illuſtrarunt, carere Philiatrum non poſſe: Quia alias vagabundus oberrabit, &, quos vel imitetur vel fugiat, profundiſſime ignorabit. Idcirco, ne qua in re Philiatris noſtris deeſſe videamur, operam dabimus, ut ſingulos, qui rudimenta artis expoſuerunt, uno quaſi obtutu

ipſis exhibeamus, quidve de illis ſentiendum ſit, candide ſimul tamen libere ediſſeramus. Facimus id eo lubentius, quo magis officii ratio id à nobis expoſtulat, cum praeter alias artis partes, *inſtitutionum profeſſio* nobis ſit demandata.

§. II.

Multae vero dubitandi rationes ſunt, num ante *Hippocratis* tempora repertus quisquam fuerit, qui tyrocinia medicinae tradiderit: Quia in artis formam ea tempeſtate nondum redacta erat. Imo ne ipſe quidem *Hippocrates* adcurate & tanquam ex profeſſo hoc negotium ita proſequutus eſt, ut in una quaſi atque continua ſerie omnia ea, quae ad εἰσαγωγικα, Φυσιολογικα, παθολογικα, ὑγιεινα, σημειωτικα & θεραπευτικα ab *Inſtitutionum medicarum* ſcriptoribus referri hodie ſolent, in operibus ejus legantur; Quanquam tales conſarcinari inde haud difficulter poſſe, perſuaſſimum mihi ſit.

§. III.

Cujus rei periculum ſi cui facere allubeſcat, ipſum tantum fontem conſulat neceſſe eſt. Ita enim Iſagogica ſeu τεχνικα in libris, *Hippocrati* ab *Erotiano*, definitionum *Hippocraticarum* Auctore maximam partem vindicatis, nimirum de *arte*, *lege*, *priſca medicina*, de *medico*, *decenti ornatu* & *praeceptionibus* facile reperiet. *Phyſiologica* ejusdem in libris de *natura hominis* & *genitura*, de *natura pueri*, de *carnibus*, *partu ſeptimeſtri* & *octimeſtri*, *de corde*, *glandulis*, *natura oſſium &c.* *Pathologica* vero in libro *de locis in homine*, de *morbis*, de *affectionibus*, de *virginum affectibus*, de *natura muliebri*, de *ſuperfoetatione*, *dentitione* & *morbis mulierum* occurrunt. Et ſicuti, quae ad *hygieinen* & *diaeteticen* ſpectant in libro *de aëre*, *locis & aquis*, de *flatibus*, de *ſalubri victus ratione privatorum*, de *alimento*, de *liquidorum uſu*, de *victus ratione ſanorum*, de *inſomniis* & in libro *de diaeta in morbis acutis* leguntur: Ita *ſemeiotica* in libris de *judicationibus* & *diebus judicatoriis*, *prognoſtico*, *praedictionibus*, *Coäcis praenotionibus*, & libro de *humoribus* deprehenduntur. *Therapevtica* vero liber *Hippocratis* de *morbo*

ſacro,

ſacro, de *medicamentis purgantibus*, de *venaeſectione &c.* ſubminiſtrat.

§. IV.

Ex quibus omnibus ſchema *Inſtitutionum Hippocraticarum* quodammodo adumbrare ideo neque inutile neque inconveniens erit, ut, quas mutationes, incrementa vel decrementa ſucceſſivis temporibus ceperint, perſpici inde liceat. Quod igitur primum τα εισαγωγικα ſpectat, notum quidem eſt, quod *Inſtitutionum* conditores prolixi eſſe ſoleant in decantandis laudibus ejus, quam profitentur, artis: Noſter vero pauciſſimis, ſed tamen nervoſe inculcat: (a) Medicinam omnium quidem artium nobiliſſimam eſſe, ſed propter eorum, qui eandem exercent, ignorantiam, eorumque, qui temere de his judicant, imperitiam omnibus artibus jam longe inferiorem haberi: Unde & hiſtrionibus comparare non dubitat, cum nomine quidem multi, reipſa autem perpauci ſint medici. Ad hanc medicinae ſcientiam apte comparandam, natura non tantum opus eſſe, ſed & doctrinam, locum ſtudiis aptum, inſtitutionem à puero, induſtriam atque tempus requiri; Cavendum deniq; eſſe, ne haec ſacra aliis, quam ſacris hominibus demonſtrarentur; Profanis vero, priusquam ſcientiae ſacris initiati fuerint, talia demonſtrare, omnino nefas eſſe, judicat.

§. V.

De (b) exiſtentia artis, tanto minus dubitandum eſſe exiſtimat, cum non ſolum abſurdum ſit, eſſe putare, quod non ſit: Sed etiam eorum, quae non exiſtunt, eſſentiam quis intueri nequeat, vel enunciare, quod ſint. Medicinam definit per artem, cujus ope à morbis aegri vindicentur vel eorundem ſaltem vehementia obtundatur. Ab auctore vero libelli *de flatibus*, quisquis demum ille fuerit, definitur: Quod ſit adjectio & detractio, & adjectio quidem deficientium, ſubtractio vero eorum, quae in corporibus

(a) *Hippocrates* Libro de *Lege*. (b) Idem Libr, de *arte*.

ribus hominum redundant. De vera ejusdem efficacia ſic ſatis etiam modeſte ſentit: Unde eandem neque nimium extolli neque nimium deprimi, cuivis facile conſtabit. Neque enim iis, qui à morbo victi ſint, manum admovendam eſſe, prudenter monet, cum id medicinam praeſtare non poſſe, probe conſtet. Neque tamen ideo artem ipſam in reprehenſionem incurrere debere: Eſſe enim criminationem vulgi, morbis detentos, quique eos evaſerunt, FORTUNAE, non ARTIS beneficio evaſiſſe. Et licet diffitendum non ſit, multos etiam aegros citra opem medici artificis reſtitutos eſſe; Id tamen poteſtatem ſeu energiam artis nullo modo enervat, cum per ſe curatis eadem, quae, ſi, medicis adhibitis, curati fuiſſent, contigerint. Illi namque, qui, medicis non adhibitis, ex morbo convaluerunt, intelligant neceſſe eſt, ſe aliquid feciſſe vel non feciſſe, & idcirco ſanitatem conſequutos eſſe; Siquidem aut inediam aut copioſiorem cibum & potum, aut ſitim, aut balnea aut eorum abſtinentiam, aut labores, aut quietem, aut ſomnum aut vigiliam aut eorum omnium promiſcuum uſum adhibentes, ſanitatem conſecuti ſunt. Artis eſſe, non minus ea, quae offenderunt, quam, quae profuerunt, rite aeſtimare. Quod vero omnes morbi ſanari nequeant, culpam non in artem ipſam, ſed vel in ipſorum aegrotantium impatientiam vel negligentiam vel morborum vehementiam atque celeritatem rejiciendam eſſe, dexterrime inculcat. Antiquitatem artis proſequitur *Cous* libro de *priſca medicina* atque oſtendit, non fortuito, ſed via quadam inveſtigatam & inventam eſſe eandem. Doctrinam *anthropologicam*, quam fuſius hodie, quam par eſt, ſuis in *Inſtitutionibus* pertractant medici, ab arte longe alienam eſſe putat, atque Sophiſtarum claſſi adnumerat illos, qui fieri non poſſe dicunt, ut quis artem medicam cognoſcat, niſi idem, quid ſit homo, & quaenam prima ejus generatio & compoſitio, noverit. Quae enim ab his de Natura dicta vel ſcripta ſunt, non tam ad medicam, quam pictoriam artem ſpectare judicat.

§. VI,

§. VI.

Quoad *Phyſiologiam Hippocratis*, ea ex ſuperius allegatis ſcriptis eo, qui vulgo in *Inſtitutionibus* ſervatur, ordine, pari facilitate delineabitur, dummodo ad id, quod de *natura elementorum*, de *temperamentis*, *humoribus*, *partibus*, *facultatibus* & *actionibus* earundemque *inſtrumentis* ſenſerit, attendatur. Quotiescunque de elementis naturae humanae, de quibus quippe hic tantum ſermo eſt, loquitur *Hippocrates*, qualitatum, *calidi* nempe, *frigidi*, *humidi* & *ſicci* nominibus utitur; Quae tamen qualitates ſingulae, homine fato fungente, in propriam naturam reverterentur, ſiccum in ſiccum, humidum in humidum, calidum in calidum & frigidum in frigidum. Ex harum qualitatum diverſa mixtione & mutua quaſi contemperatione, ulterius docet, exurgere temperamenta, quae tamen & pro ratione temporum anni & diverſarum quoque aetatum ſint diverſa. Humores ad quaternarium reducit numerum, ſanguinem ſcil. pituitam & utramque bilem, tam flavam quam atram. Sicuti autem varias corporis partes, quibus conſtat, enarravit: Ita etiam varias illis facultates & actiones vindicavit, quarum omnium primus veluti auctor ſit ſpiritus, ſicuti haec omnia ad mentem *Hippocratis* fuſius explicuit *Galenus*.

§. VII.

Reliqua ejusdem placita *Phyſiologiam* reſpicientia huc fere redeunt: (c) Reperiri in homine ignem quendam connatum. (d) Omne, quod minime coäluit, ſive pellicula ſive carne tegatur, cavum eſſe, quod, dum homo valet, ſpiritu quidem, ſed, dum idem aegrotat, ſanie plenum ſit. (e) Ineſſe homini & amarum & ſalſum & dulce & acidum & inſipidum aliaque ſexcenta, quae pro copia & viribus varias habeant facultates. Et haec quidem mixtione & mutua inter ſeſe contemperatione neq; cerni, neque moleſtia quenquam adficere. At ubi horum quippiam

(c) Idem libro de arte. (d) Ibidem. (e) Ibidem.

piam ſecretum fuerit, & per ſe extiterit, tunc & conſpicuum fieri & hominem moleſtia adficere. (f) Corpus noſtrum tribus ex rebus conſtitutum eſſe, nempe continentibus, contentis & impetum facientibus, quo poſtremo nomine ſpiritus intelligendos eſſe, & antiqui & recentiores tantum non omnes mordicus defendunt. Et ne quis forte dubitandi anſam inde arriperet, conceptui ſano non undique ſtatim congruere, qua ratione ſpiritus iſti, quos alioquin tenuiſſima conſtare ſubſtantia credunt, ſurſum, deorſum, omnesque in partes ferantur, difficultati ſtatim ſatisfaciunt (g) alio *Hippocratis* loco, quo confluxionem unam, conſpirationem unam & conſentientia omnia ſtatuit; Quam etiam ſententiam acerrime inculcavit (h) *Galenus*, qui totum corpus *συμπνοῦν* & *συῤῥοῦν* eſſe interpretatus fuit. Adſcribit porro idem *Cous* Naturae exquiſitam ſenſibilitatem, dicendo: (i) Ejuſmodi naturas, quae celeriter ac vehementer ſuorum delictorum incommoda percipiant, reliquis equidem imbecilliores eſſe: Imbecillem vero proxime ad eum, qui aegrotaret, accedere, eſſeque imbecilliorem, qui aegrotaret, multoque gravius adfici, ſi quid intempeſtive fecerit. De (k) genitura viri ſic docet: Proficiſci eandem ex univerſo totius corporis humido, quod in eodem contineretur. (l) Maſculinum ſemen foeminino eſſe robuſtius. (m) De iis, qui ſectionem juxta aures experti ſunt, enunciat: Quod venerem quidem exerceant, verum quod ſemen paucum & imbecille & infoecundum emittant. De puellis, pueris atque mulieribus haec pronunciat: (n) Puellas citius pubeſcere, quam pueros, quo citius ſapiant & ſeneſcant propter corporum imbecillitatem & victus rationem. (o) Puerum in utero matris reſpirare, docet; Compreſſis enim labris tum ex utero matris alimentum ſugere, tum ſpiritum, qui in puero cali-

(f) Libro VI. Epidemicor. Sect. VIII. Aphor. 8. (g) Libro de alimento. (h) Libro I. de medendi ratione. (i) Libro de arte. (k) Libro de genitura. (l) Ibidem. (m) Ibidem. (n) Libro de partu ſeptimeſtri. (o) Libro de carnibus.

ro calidiſſimus ſit, in cor attrahere. (p) Magis ſanas eſſe mulieres, ſi cum viris rem habeant, quam contra. (q) In venere exercenda longe illas minorem prae viris voluptatem percipere, virum vero inſuper etiam diuturniorem; Id quod an ſufficienti experimento ſuffultus enunciarit ſenex noſter, alibi diſquiremus. Caeterum (r) ſemen quoque mulieribus adjudicat, quod corpore ſuo (inter coëundum) emittant, interdum quidem in uterum, ex quo humidus reddatur, nonnunquam vero foras, ſi plus aequo uterus dehiſcat; Additque, quod poſt coitum (s) ſemen ab utrisque emiſſum, ſiquidem mulier minime conceptura ſit, foras profluat; ſi autem conceptura ſit, ſemen minime foras profluat, ſed in ipſo utero maneat; Unde praeter hoc ſequentia conceptionis (t) ſigna tradidit: Mulierem nempe, ubi conceperit, ſtatim inhorreſcere & incaleſcere & dentibus ſtridere & articulum reliquumque corpus convulſionem prehendere & uterum torporem, idque iis, quae purae ſint, accidere; Quae vero craſſae & mucoſae iſtud experiantur, earum plerasque hoc non ſentire: Candide tamen hic ſimul profitetur, tantum ſe de his rebus ſcire, quantum ipſae (mulierculae) id ipſi indicaverint. (u) De partu ſeptimeſtri & octimeſtri ita ſentit: Puerum ſeptimo menſe natum certa ratione in lucem prodire & vitalem eſſe, cum is rationem & numerum exacte ad hebdomadas reſpondentem habeat; Octavo vero menſe natum nullum unquam vixiſſe: Novem autem menſium & decem dierum foetum edi & vitalem eſſe, numerumque ad hebdomadas exacte reſpondentem habere; Quam ſuam ſententiam ulterius (w) alibi explicat, adjiciens: Octimeſtrem partum octavo menſe aegrotare; Ex iis enim, qui ſeptimo menſe nati ſint, ſupereſſe quosdam, licet ex multis pauci ſint. Mulieribus interim de partu fidem habendam eſſe, quippe quae adfirment, quod ſeptimo menſe, & octavo

B &no-

(p) Libro de genitura. (q) Ibidem. (r) Ibidem. (s) Ibidem. (t) Libro de carnibus. (u) Libro de partu ſeptimeſtri. (vv) Ibidem.

& nono & decimo & undecimo partus in lucem prodeant, ſed ex hic octavo menſe natos minime ſupereſſe. Cujus rei hanc (x) alio in loco allegat rationem: Quod partus octavo menſe editus non poſſit duas continenter conſequentes afflictiones perferre, ideoque eos, qui octavo menſe naſcerentur, minime ſupereſſe poſſe. His enim, inquit porro, accidere, ut ea, quae in utero eſt, & ea, quae in partu fit, afflictione conſequenter laborent, propterea que eorum, quae octavo menſe eduntur, nullum eſſe ſuperſtitem, concludit. Quam tamen *Hippocratis* ſententiam falſitatis (y) alibi ſatis convicimus. Undecimeſtres vero, duodecimeſtres & reliquos, decimum menſem ſupergreſſos refert ad fallacias mulierum, quae nempe vel menſibus non prodeuntibus, vel uteris in tumorem ſublatis utero ſibi geſtare videantur, in quo tamen & decipiant & decipiantur; Quod idem etiam ſenſiſſe *Paulum Ammannum*, Profeſſorem *Lipſienſem*, alibi notavimus. Concedit porro, (z) nihil impedire, quo minus ſuperfoetatio ſeu alter conceptus in muliere fieri queat: Nam ſuperfoetare eas mulieres, in quibus os uteri (ſtomachum vocant) poſt primum conceptum non ita valde clauditur. (zz) Coëuntibus denique, tam foemellis quam viris has praeſcribit leges, illis, ut recte concipiant, his, ut pro voto ſuo generent. Vir, ſecundum monitum *Senis* noſtri, neque inebrietur, neque vinum album bibat, ſed valentiſſimum ac meraciſſimum, cibisque utatur valentiſſimis, calida ne lavet, robuſtus ſit & ſanus, & cibis abſtineat, quae ad rem minime faciant. Videtur quoque temere ſibi perſuaſiſſe, in viri poteſtate poſitum eſſe marem vel foeminam generare; Cum, inquit, marem procreare volet, menſibus deſinentibus aut ceſſantibus uxorem adeat, & quam penitisſime (membrum virile) intrudat, dum ſemen excernat: At ubi foeminam generare volet, cum plurimi menſes mu-

lieri

(x) Libro de partu octimeſtri. (y) Diſputatione medico-forenſi de *partu octimeſtri vitali & legitimo.* (z) Libro de ſuperfoetatione. (zz) Libro proximo citato. Conf. medic. For. noſtr.

lieri fluxerint nec dum ceſſarint: Dexter autem teſtis, quoad maxime fieri poteſt, obligandus; ſiniſter vero, ſi maris procreatio expetitur. Fateor autem, haec praecepta ita comparata eſſe, ut ea ſequi vix liceat, &, ſi liceret, fruſtraneum tamen & irritum foret. Taceo, jus jurandum ejus graviter laedere artificium vel potius conſilium, quo fidicinae cuidam, quam minime gravidam eſſe decebat, abortum procuravit.

§. VIII.

Eodem modo comparatum eſt cum *Pathologia Hippocratis*, quam quis in una atque continua ſerie ejus in ſcriptis difficulter reperiet. Quae vero ſeorſim hinc inde occurrunt, ad haec pauca rerum momenta reduci ſeſe patiuntur. (a) Morbum in genere adpellat omne id, quod homini moleſtiam adfert. (b) Adſerit quoque, nulli illorum prae altero majorem, uti loqui amat *Cous*, divinitatem competere, ſed omnes aeque divinos & aeque humanos eſſe. Unde ingenti praejudicio laboraſſe cenſet omnes illos, qui (c) morbo comitiali divinitatem quandam vindicarunt, cum homines ideo tantum ex imperitia & admiratione divinam & naturam & cauſam illi adſcripſerint, quod nulla in re reliquorum ſimilis eſſet.

§. IX.

Juxta haec non neglexit quidem omnino morborum cauſas indagare, ſed cum ingenti tamen difficultate id ſcrutinii genus ſtipatum eſſe non diffitetur. (d) Obſcuriſſimos enim & maxime difficiles morbos opinionem magis, quam artem, indicare; In his praecipuum eſſe, quaenam ſit morborum cauſa & ex quo principio ac veluti fonte corporis vitia oriantur? Multum tamen in indagatione cauſarum morbificarum ſitum eſſe (e) inde infert, quod is facile ex illis, quae corpori inſunt, ea, quae conferant, offerre poſſit. Mox vero ſubjicit, (f) pleroſque morbos

 vix

(a) Libro de flatibus. (b) Libro de morbo ſacro. (c) Ibidem. (d) Libro de flatibus. (e) Ibidem. (f) Ibidem.

vix aliunde oriri poſſe, quam ex aëre, cum is aut copioſior aut parcior aut plenior aut morbidis inquinamentis infectus in corpus ſubierit. Non minus quoque in cenſu cauſarum morbificarum accuſat pravam victus rationem, cum quis copioſiores cibos aut liquidos aut ſiccos corpori exhibuerit, quam ipſum ferre queat, neque labore aliquo ciborum quantitatem compenſet, inprimis ſi varios inſuper & diſſimiles inter ſeſe cibos immittat; Diſſimilia enim ſeditionem excitare, & alia aliis citius, alia tardius concoqui. Notat vero potiſſimum (g) tempora ſolſtitialia & aequinoctialia, & inter illa quidem aeſtivum, inter haec vero vernum & autumnale, quod maximi periculi plena ſint. Obſervandos itidem eſſe ſiderum ortus, praecipueq; caniculae, arcturi & vergiliarum occaſus, quia his diebus morbi judicationem ſubirent, & alii quidem perimerent, alii vero deficerent, aliique omnes in aliam formam atq; ſtatum tranſirent. Quibus (h) alibi addit, non minores homini affectus ex intempeſtiva evacuatione, quam repletione contingere. Non minus quoque (i) à defluxionibus à capite verſus alias partes factis multos morbos derivat, v. g. apoplexiam, ſi verſus cerebrum ipſum, ophthalmiam, ſi in oculos &c. fluxio iſta contigerit. Quod ſi vero per palatum pituita ad ventrem perveniat, tunc ventres quidem fluere, inde tamen non aegrotare homines; Aſt pituita intra permanente, volvulos fieri, affectiones diuturnas. Per palatum ad fauces multam & frequentem fieri fluxionem, morbos tabidos efficere credit. Ut taceam morborum phalanges, quos (k) anni tempora, tempeſtates earundemque mutationes, venti, pluviae, aeſtus, frigora, variae hominum aetates &c. pariunt. Unde (l) medico, ad locum ignotum venienti & artem ſuam recta ratione exercitaturo commendat, ut variorum anni temporum rationem habeat, nec non ventorum, quavis

---

(g) Libro de aëre, aquis & locis. (h) Libro de priſca Medicina. (i) Libro de glandulis. (k) Aphoriſmorum Hippoc. integra Sectione III. (l) Libro de aëre, locis & aquis.

vis in regione ſpirantium indolem exploret & ad aquarum qualitates attendat. Ipſam quoque (m) victus rationem inſpiciendam, imo & varium regimen attendendum eſſe jubet, an otio dediti vel exercitationibus & laboribus gaudeant? Tali enim, has ſimilesque res exacte exploranti pollicetur, ſe morborum cuique regioni familiarium notitiam facile ſibi comparaturum atque hinc tanto etiam felicius curaturum, imo &, quales inprimis morbi graſſaturi ſint, haud vane praedicturum.

§. X.

Neque eam *Pathologiae* partem, quam *aetiologicam* vocant *Inſtitutionum medicarum* conditores, omnino ignoravit; Cujus rei unicum ſaltem ut exhibeamus ſpecimen, phaenomena febrium intermittentium exempli loco inſervire nobis poterunt. Explicaturus enim *paroxyſmum horroris* ſeu *frigoris*, ita ratiocinatur: (n) Cum cibis multum quoque aëris ſeu ſpiritus ingeri; Hunc, cum prae multitudine exire nequeat, obſtructo ventre inferiore, univerſum tunc corpus percurrere flatus, eoſque ad partes corporis ſanguine refertas illapſos eas refrigerare: Quibus tum locis, in quibus fontes & radices ſanguinis continerentur, refrigeratis horrorem per univerſum corpus penetrare. Univerſo enim ſanguine perfrigerato, totum quoque corpus horrorem pervadere, majorem, quo majore copia & frigiditate flatus irruperint; Si contra, minus vehementem. *Oſcitationes* ideo praecedere febres autumat, quod aëre magna copia coäcervato confertimque ad ſuperiora erumpente, tanquam machinatione aliqua os diducatur, quod hic potiſſimum facillimus ei tranſitus concedatur. *Calorem*, deinde, ſubinde *aeſtum febrilem* ſubſequi, ita explicat: Coacto cumulatim plurimo ſanguine, aërem ipſum, qui ſanguinem refrigeravit, a calore ſuperari, rurſum incaleſcere, incenſumque ac veluti igneum exiſtentem in toto corpore calorem excitare, ad id ipſo etiam ſanguine ſubſerviente. *Sudores* fieri docet liquatione ejus, quod incenſum eſt, ex quo

(m) Ibidem. (n) Ibidem.

quo ſpiritus oriatur, quo ad corporis meatus erumpente ſudores excitarentur; Coacto nempe ſpiritu in aquam abeunte & per meatus eodem modo erumpente, quo a ferventibus aquis vapor ſublatus incraſſeſcat & condenſetur. *Dolores capitis* hoc modo contingere exiſtimat, quod viae capitis, cum aëre replentur, anguſtiores reddantur, ſicque repletae ac diſtentae dolorem excitent. *Pulſationes circa tempora* inde derivat, quod ſanguis vi pulſus cum calidus exiſtat, per anguſtam viam celeriter tranſire nequeat, quod multa cum remorentur, quae impediunt motum & obſtruunt vias: Unde pulſationes circa caput contingant, neceſſe eſt.

§. XI.

In *arte ſemeiotica* morbos tum cognoſcendi tum futuros eorum eventus perite praedicendi, usque adeo excelluit *Cous* noſter, ut neque ſuis neque noſtris temporibus quenquam ea in re parem, nedum ſuperiorem habuerit. Imo, qui hanc ſignorum doctrinam ſcriptis vel commentariis ſuis poſt illum illuſtrarunt, ingenue confeſſi ſunt, facem *Hippocraticam* ubique praeluxiſſe: Unde ipſe *Proſper Alpinus* in aureo ſuo tractatu de *praeſagienda vita ac morte aegrotantium*, ſingulis in paginis teſtatum facit, quod pleraque ſua ex ſolidiſſimis *Hippocratis* monimentis hauſerit: Quem proinde librum dignum judicavit *Hermannus Boerhaave*, qui nova forma ab infinitis hypothetarum mendis repurgatus A. MDCCX. in lucem publicam denuo prodiret. Sunt autem praeter multos alios fontes, ex quibus praedictiones ſuas petit *Hippocrates*, ſudores, ſputum, urinae, alvi fluxus, decubitus, mentis conſtantia vel alienatio multaque alia.

§. XII.

Praeceptorum *diaeteticorum* locuples ubique in ſcriptis *Hippocraticis* conſpicitur adparatus. Praeſcripſit enim non tantum quantitatem, qualitatem, modum aliaſque victus conditiones in genere, ſed & ſpeciatim rationem victus anni temporibus, variis aetatibus imo & ſpecialibus morbis

bis adcommodatam. Diſſeruit de (o) lacte, quibus vel conveniat vel non conveniat, de aqua, vino aliiſque liquoribus. (p) Aquas ex imbribus collectas leviſſimas, tenuiſſimas, dulciſſimas ac limpidiſſimas eſſe judicat. Addit tamen, cito putreſcere aquam pluviam & odorem pravum contrahere: Contra pravas omnes declarat, quae ex nive & glacie fiunt, cum per frigus leve ac dulce exhalet, turbidum vero ac ponderoſum remaneat. Porro vero de aquarum ſalubritate ita diſſerit: (q) Aquas ex locis ſaxoſis defluentes, vel ubi ferrum naſcitur, aut aes, aut luna, aut ſol, aut ſulphur, aut alumen, aut bitumen, aut nitrum, duras eſſe & aeſtuoſas, quaeque nec facile per urinas ferantur & alvi egeſtioni adverſentur: Optimas contra eſſe, quae ex ſublimioribus locis profluant, dulces quippe & albas: Salſas vero, indomitas eſſe & duras, &, ut bibantur, penitus improbandas. Non minus quoque aliis ex indiciis qualitates aquarum aeſtimavit; Quae enim cito caleſcunt & cito refrigerantur, leviſſimas eſſe dicit. Plura alia huc ſpectantia hac vice allegare neque vacat neque lubet.

§. XIII.

Medendi methodum certis quidem regulis, quod *Inſtitutionum* ſcriptores aliâs facere ſolent, non circumſcripſit, abunde tamen indicationibus tam generalibus quam ſpecialibus futurum Practicum inſtruxit. Eundem nempe informavit non modo de actu purgatorio generatim inſtituendo, ſed &, quae & qualia purgare oporteat, ipſum monuit, non neglectis quoque cautelis, quantitatem purgandi moderantibus. Qua vero ratione venaeſectionem, cucurbitulas, aliaque remedia adminiſtrare oporteat artificem, hinc inde ſuis quoque monitis ita praemunivit, ut nullibi facile impingere queat adſiduus horum praeceptorum obſervator.

§. XIV.

(o) Lect. V. Aph. 64. (p) Libro de aëre, locis & aquis. (q) Libro proxime allegato.

§. XIV.

In ipſa praxi exercenda nemo *Hippocrate* felicior fuit. Pauca quidem remedia, ſed tanto certioris efficaciae in uſum vocavit. In plerisque acutis nudus tantum ſpectator fuiſſe videtur. Hanc tamen generalem praxeos regulam ſtatuminat: *Contrariorum contraria eſſe remedia.* Ita plenitudinem ſanare docet evacuationem; Evacuationem vero plenitudinem, laborem otium & otium laborem &c. Quique iſtud omnium optime faceret, is optimus exiſtimandus eſſet medicus; Qui vero plurimum ab eo praeſtando abeſſet, is plurimum in arte medica deficere cenſendus foret. Huic regulae multas alias ad latus ponit, quales ſunt: Multum & ſubito vel implere vel exinanire vel calefacere vel refrigerare, vel modo quovis alio corpus movere, periculoſum. Omne nimium naturae eſſe inimicum; Modo aperiendum ac dilatandum, modo vero ſtringendum eſſe; Illud, ut humores ad excretionem deſtinati liberiorem inveniant exitum: Hoc vero, ut, qui retineri debent, retineantur. Obſervandum eſſe humorum curſum, unde non modo veniant, ſed & quorſum tendant; Atque adeo modo derivandum, modo revellendum eſſe. Humores ad exitum deſtinatos, per loca & organa convenientia ejiciendos eſſe, neque permittendum, ut, qui vaſis ſuis ſemel egreſſi ſunt; denuo ingrediantur. Attendendum diligenter eſſe ad juvantia atque nocentia. Nihil temere faciendum eſſe. Subinde ſatius eſſe, nudum morborum ſpectatorem ſeſe gerere: Nam utut patientem non juves, eundem tamen quoque non laedes. Denique medicaminibus ſuos quoque adſignat gradus: Quaecunque enim, inquit, non ſanant medicamenta, ea ferrum ſanat; Quae ignis non ſanat, ea incurabilia judicare oportet.

§. XV.

Plura hac vice allegare non opus eſt, cum partim in *hiſtoriae medicinae univerſalis periodo quinta* prolixe univerſa res medica *Hippocratis* expoſita fuerit, partim vero ex his,

tanquam

tanquam materialibus *Inſtitutionum Hippocraticarum* forma, concinnari facile queat.

§. XV.

Pergerem ad *Galenum* preſſo pede, niſi de *Erotiano*, quem ad ſcriptores *Inſtitutionum* nonnulli referunt, verbulum monendum eſſet. Auctor quidem eſt definitionum medicarum & Lexicon graecum vocum obſcurarum *Hippocratis* conſcripſit; An vero ideo *Inſtitutioniſtis*, ut ſic barbare cum vulgo loquar, accenſeri mereatur, merito dubito.

§. XVI.

Galenus vero majori jure huc referri poteſt. Ipſemet libro de libris ſuis, omnibus iis, qui ad artis medicae cognitionem contendunt, primum omnium perlegendum commendat librum de *ſectis ad eos, qui introducuntur*, ſicuti & libros de *oſſibus* & *pulſibus* dicatos eſſe introducendis fatetur. Quorſum & libellos duos *iſagogicos*, alerum de *arteriarum & venarum*, alterum vero de *nervorum diſſectione*, nec non *inſtitutionis empyricae ſubfigurationem* refert. Huc etiam pertinet liber de *conſtitutione artis medicae*, nec non *Galeno* adſcriptae *definitiones medicae*, uti & *introductio* ſeu *medicus* & *ars medicinalis:* Ex quibus, ut & Anatomicis *Galeni* libris abunde peti poteſt, quicquid ad *Phyſiologicam* medicinae partem ſpectat.

§. XVII.

Pathologicam doctrinam explicant libri de *morborum & ſymptomatum differentiis*, *de cauſis morborum & ſymptomatum*, de *locis affectis*, de *temporibus morborum*, de *differentia febrium*, de *plenitudine*, de *cauſis morborum antegreſſis & continentibus &c.* Artem vero *prognoſticam* declarant libri de *diebus judicialibus*, de *criſibus*. item tractatus de *pulſibus*, in quo primum de eorum differentiis, deinde de pulſuum dignotione, porro eorum cauſis, tandemque de praeſagiis ex his ſumendis agitur. Hiſce jungendus eſt libellus de *uſu pulſuum*, introducendis ſeorſim ſcriptus.

§. XVIII.

Ipſam denique *therapevticam* illuſtrant libri de *methodo curandi*, de *curandi ratione* ſecundum *Eraſiſtratum*, de *tabe &c.* *Diaeteticam* vero partem libri de *alimentorum facultatibus*, de *diaeta extenuante*, de *boni malique ſucci cibis*, de *diaeta in morbis acutis &c* egregie perficiunt. Quae tamen omnia prolixius hac vice non diſcutiam, ſingula ſuo loco reſervaturus, quando univerſum celeberrimi hujus poſt *Hippocratem* principis medici ſyſtema in *hiſtoria medicinae univerſali* à me explicabitur.

§. XIX

Contemporaneus *Galeni* fuit *Soranus*, Epheſius, qui, ut *Wolffgangus Juſtus* refert, temporibus *Trajani* & *Adriani*, Imperatorum Romanorum floruit. Ab aliis *Peripateticus* & vetuſtiſſimus archiater dicitur, qui, *Suida* Auctore, Alexandriae primum perfecit, deinde Romam venit ibidemque praxin medicam, regnantibus modo dictis Imperatoribus, exercuit. Haereſeos *Methodicae* ſtrenuus ſectator fuit. Scripſit equidem in artem medicam *Iſagogen*, quae cum medicorum antiquorum operibus exſtat: Aſt cum ſcripta ejus maximam partem perierint, ex *Coelio Aureliano*, ejusdem interprete, diſcendum eſt, quidquid ad hypotheſes ejus ſpectat. *Strictum* autem & *laxum* ſuppoſuiſſe, & ex hiſce principiis omnia de duxiſſe *Methoditos*, ex dicto *Coelio Aureliano* ſatis innoteſcit. An inter genuina Sorani referenda ſit haec in artem introductio, quae ipſi vindicatur, cum nemine quidem acriter contendam: Sufficiat mihi, placita ejus breviter expoſuiſſe, prout dicta in *introductione* leguntur. De primis artis inventoribus ſic diſſerit: Medicinam quidem invenit APOLLO, amplificavit AESCULAPIUS, perfecit HIPPOCRATES. Deſcribit deinde medicum tyronem, qualem tam ratione animi quam corporis eum eſſe oporteat, eidemque praeter *grammaticam*, *rhetoricam* & *arithmeticam* etiam *aſtrorum ſcientiam* commendat, ut nempe eorum ortus & occaſus & motus

& tem-

& tempora anni cognoſcat, quia cum ipſis & corpora noſtra permutantur, & eorum mobilitate & perturbatione aegritudines in hominibus commoventur. Imo nec *philoſophiae* expertem eundem eſſe debere, ſerio injungit. Uti quatuor ſunt anni tempora: Ita in totidem partes corpus hominis diſtingvit, *phlegma* nempe, *ſanguinem*, *choleram rubeam* & *nigram*. *Phlegma* in capite, *ſanguinem* in pectore, *choleram rubeam* in ventre, & *nigram* in veſica reſidere, & ex hiſce 4. humoribus totum corpus conſtare, credit, quorum quilibet ſuis locis dominetur, ita ut ſanguinis virtus ſit circa cor, cholera rubea dominetur in hepate, nigra vero in liene, & phlegmatis alia pars ſit in capite, alia in ſtomacho. Hoſce humores ſua quoque habere emunctoria, nempe ſanguinem per nares, choleram rubram per aures, nigram per oculos, & phlegma per os & nares excerni, ulterius docet, monetque, ſingulos per ſingulas dominari aetates. Iidem quatuor humores ipſi quoque ſunt quatuor corporis elementa, à quorum etiam varia habitudine varii morbi inducantur. De virtute ſeu potentia animae ſic ſentit: Eam totum corpus regere atque ideo triplici virtute, ζωτικὴ, τρεπτικὴ & ψυχικὴ inſtructam eſſe. Ζωτικὴν, vult, eſſe virtutem vitalem, quae vitam membris vel toti corpori elargiatur atque in corde conſiſtat; Τρεπτικὴν eam adpellat vim, quae paſtum tribuit membris corporis; Et ψυχικὴν eam adpellat animae virtutem, quæ ſenſum faciat motumque & in capite, i. e. in cerebro reſideat. De conceptione mulieris hunc ſibi format conceptum: Fieri illam viri ſemine & mulieris ſanguine, quamvis & ipſum ſemen virile ſanguinem eſſe exiſtimet; Unde & majores hos vere cognatos vocaverint conſanguineos. In morbis, praecipue vero in febribus, quatuor diſtincta agnoſcit tempora, nempe initium, augmentum, ſtatum atq; declinationem; Quae ſi non intellexerit medicus, graviter eundem homines laeſurum eſſe exiſtimat.

§. XX.

Inter commentatores vero *Galeni* referendus eſt *Haly Rodoham*, alias *Eben Rodan* dictus, Aegyptius, phyſicus ac medicus praeſtantiſſimus, qui, *Wolffgango Juſto* teſte, ſub Henrico II. & Conrado II. Imperatoribus Romanis vixit. Edidit autem commentarios in artem parvam *Galeni*, qui deinde variis formis hic & illic recuſi ſunt.

§. XXI.

Ejusdem magni hujus viri, *Galeni* placita ſucceſſivis temporibus multi alii medici amplexi ſunt, & diffuſiſſima ejus opera in compendium redigere adlaborarunt. Quorſum pertinet *Franciſcus Valleriola* ſeu *Variola*, qui ſeculo decimo quinto artem medicam *Auguſtae Taurinorum* magno omnium adplauſu docuit. Praeterquam enim, quod commentarios tam in librum *Galeni* de conſtitutione artis medicae, quam in ſex libros ejusdem de *morbis & ſymptomatis* ediderit: Fundamenta quoque artis medicae ſecundum *Galenum* concinnavit, in quibus, cum preſſo pede *Galenum* ſecutus fuerit: Hinc uberiore eorum, quae dictis in fundamentis praeſtitit, enarratione poſſumus ſuperſedere.

§. XXII.

Eodem jure huc quoque pertinet *Hieronymus Thriverius*, qui eodem ſeculo floruit & medicinam in *Academia Lovanienſi* publice profeſſus eſt. Commentarios edidit non modo in tres libros *Galeni* de temperamentis & unum de inaequali intemperie, ſed & in ejusdem τεχνην. Praecipue vero ejusdem filius, *Dionyſius Thriverius*, ab obitu Patris univerſae medicinae breviſſimam & abſolutiſſimam methodum in publicum emiſit, quae *Inſtitutionum* formam haud injuria tueri poſſet.

§. XXIII.

Neque hic omittendus eſt *Nellanus Glacanus*, Tirconallienſis Hibernus, qui Libris XIII. integrum curſum medicum propoſuit & in tres tomos diviſit, quorum prior *phyſiologiam*

logiam & prolegomena, ſecundus *pathologiam* ſeu deſcriptionem morborum, cauſarum morbificarum & ſymptomatum, ac tertius *ſemeioticam* proſequitur, in qua potiſſimum de ſignis, criſibus, pulſibus & urinis agitur.

§. XXIV.

Jungimus huic *Johannem Dominicum Maglioccam*, Parthenopolitanum, qui ea, quae argumentum noſtrum reſpiciunt, tribus partibus diſputationum medicarum, *phyſiologicarum, aetiologicarum, ſemeioticarum* ac *therapevticarum* complexus eſt. Quorſum etiam ſpectant, quae *Hieronymus Ximenes*, Caeſar-Auguſtanus, hac de re commentatus eſt.

§. XXV.

Delineata ſic *inſtitutionum medicarum*, qualis *Hippocratis* & *Galeni* aetate fuit, facie; Liceat paucis quoque eam adumbrari *Arabum medicorum* temporibus. Praeoccupavit quodammodo hunc laborem *Antonius Deuſingius*, Med. ac Phil. D. inque Academia provinciali Groeningae Omlandiaeq; Prof. Primar. & provinciae Med. Ord. qui *canticum* principis *Abi-Alis, Ibn-Sinae*, vulgo *Avicennae* dicti, de *medicina*, ſive, ut *Deuſingius* interpretatur, *breve, perſpicuum & concinne digeſtum* inſtitutionum medicarum compendium, ex arabico latine verſum, una cum *Johannis Meſuaei*, Damaſceni aphoriſmis medicis nobis reliquit; Ex quibus duobus opuſculis, tanquam totidem ſpeciminibus admodum luculenter adparet, qualis medicinae ſtatus iſta tempeſtate, qua ingens regnabat barbaries, extiterit.

§. XXVI.

Natus eſt *Avicenna* in pago quodam *Bocharenſi*, nobilitas *regni Bocharenſis* ideo cognominatus; Attigit annum aetatis 88. cum 7. menſibus, tandemque colica graviſſima correptus, Hamedanae obiit ibidemque ſepultus eſt. Lethalem fore paſſionem hanc colicam, ipſe praedixit, eaque de cauſſa omnem ſui curationem rejecit, dicens: *Moderator*,

qui in corpore meo eſt, debilior eſt, quam ut poſſit corpus meum moderari; quare non prodeſt medicatio.

§. XXVII.

Opuſculum ipſum *cantici* ſeu *carminis rythmici* forma concinnatum eſt, quod praelaudatus *Deuſingius*, *arabicae* pariter ac *turcicae* ut & *perſicae linguae* peritiſſimus, ex arabico in latinum ſermonem vertit, ſicque digeſſit, ut in parte medicinae theorica, tradita primum conſtitutione artis generali ſeorſim in *phyſiologia* de *elementis*, *temperamentis*, *humoribus*, *partibus*, *ſpiritibus*, *facultatibus* & *functionibus*; In *hygieine* de ſex rebus non naturalibus, in *pathologia* de morbis eorumque cauſſis & ſymptomatis & in *ſemeiotice* de ſignis tam *diagnoſticis* quam *prognoſticis* ageretur: In parte vero practica praeter regimen ſanorum & aegrotantium curatio morborum tam per medicamenta & cibos, quam per chirurgiam ſiſteretur.

§. XXVIII.

Verum ut ſpecialius nobis innoteſcat, qua ratione theorica *Avicennae* cum ipſa ejus praxi cohaereat, praecipua ejus placita breviſſimis excerpta exhibebimus. In ea theoriae medicae parte, quam *phyſiologiam* vocamus, huc fere redeunt ejus ſancita: Elementa agnoſcit quatuor, aquam nempe, ignem, terram & aërem, idque ejus rei indicium ipſi eſt, quod corpus, ſi quando intereat, ad ea neceſſario revertatur. Temperamenta itidem quatuor, nempe ſimplicia conſtituit, *calidum*, *frigidum*, *ſiccum* & *humidum*; Quam doctrinam in curatione multum juvare medentem, ſponte fatetur, ſicque ab *Ammanno* plane diverſa ſuo jam tempore ſenſit, qui eam officere potius quam prodeſſe exiſtimavit. Humores, ex quibus corpus ſit conflatum, cum *Galeno* eosdem admittit, ſcil. phlegma, bilem flavam, ſanguinem bilemque atram. Nec alienus eſt ab hypotheſi *ſpirituum*, quos in tres familias diſtingvit, quarum primam *naturalis*, ex vapore blando puroque conſtans, componat, alterum *vitalis*, qui in corde purificatus vitam praeſtet, ac tertiam *animalis*, quod genus

genus *ſpirituum* in plexu retiformi praeparetur, & per quem ſenſus & intellectus exiſtant. Et prouti tres *ſpirituum* tribus agnoſcit: Ita totidem quoque *facultates* admittit, *naturalem* nempe, *vitalem* & *animalem*.

§. XXIX.

Eodem plane modo in *pathologia* ſeſe gerit, res omnes praeternaturales ad *aegritudines*, earundem *cauſſas* & *ſymptomata* referendo. Morbum ipſum à quacunque quidem cauſſa in corpore accidere poſſe autumat, plerosque tamen, exceptis morbis ſolutionis continui, à praedominantibus quatuor qualitatibus, *calido*, *frigido*, *humido* atque *ſicco* derivat.

§. XXX.

Pathologiae ipſa quoque *therapevtice* examuſſim reſpondet, quam deſcribit, eſſe operationum ſpeciem unam, quae rei occurrat per id, quod ei contrarium eſt. Nimirum, ſi morbus fuerit à calore, per frigus, aut ſi fuerit à frigore, per contrarium calorem; aut, ſi fuerit ab humiditate, per ſiccitatem, ſi vero fuerit à ſiccitate, per contrariam eum vult curandum humiditatem. Ita porro repletionem putat profligari per evacuationem; Si ab obſtructione ortum traxerit aegritudo, ſanandam eam eſſe arguit per apertionem in eo, quod occluſum eſt, & ſic in caeteris. An vero tali ex ſyſtemate vel aegrotantes vel medici ipſi multum ſolatii ſint petituri, aliis curatius dijudicandum relinquo.

§. XXXI.

Qui vero haec medicorum Arabum dogmata juventuti tradere ſategerunt, eidem quoque de *Inſtitutionibus*, proſpicere adlaborarunt, quorum in numero eſt *Georgius Kraut*, Hagenoënſis, quique libellum introductorium de principiis univerſalibus totius medicinae tam theoricae quam practicae ex *Avicennae* aliorumque doctrina digeſſit & tabulis maximam partem illuſtravit. Prodiit in folio

cum

cum *Galeatii de S. Sophia* in nonum *Rhaſis* commentariis ab eodem emendatis.

§. XXXII.

Huic ſubjungimus *Andream Gratiolum*, Salodianum, qui primum *Avicennae* librum de univerſalibus medicae ſcientiae praeceptis interpretatione ac ſcholiis, *Hippocratis* atque *Galeni* praecipua loca commonſtrantibus, illuſtravit.

§. XXXIII.

Ad ſcripta autem veterum, inprimis *Hippocratis* & *Galeni* recte intelligenda ſuas digeſſit Inſtitutiones *Leonardus Fuchſius*, qui partim in *Ingolſtadienſi*, partim vero in *Tubingenſi Academia* cum laude artem medicam publice profeſſus eſt. Strenuum fuiſſe *Galeni* ſectatorem, ipſemet ingenue confitetur, additque titulo, inſtitutionibus ejus praefixo, illas ad ſcripta *Hippocratis*, *Galeni* aliorumque veterum recte intelligenda mire utiles eſſe, id quod etiam citra vanam adſentationem facile conceſſerim. Coeterum ſcriptorum *Arabum* tam ſuperbus contemptor tamque acris inſectator fuit, ut nullam illorum dogmata profligandi vel explodendi occaſionem facile praetermiſerit.

§. XXXIV.

Comprehenduntur vero *Inſtitutiones Fuchſianae* quinque diſtinctis libris, in quorum *primo* de medicina generatim, & ſectione quidem prima de medicinae origine, incremento, perfectione, praeſtantia, definitione, methodo tractandi & partibus, quibus univerſa ſcientia conſtat, diſſeritur, nec non de medicorum ſectis, diſtributione artis in tres diſtinctos ordines, quorum primus earum eſt rerum, quae corpus humanum conſtituunt, quasve naturales vulgo adpellant, uti ſunt quatuor vulgaria elementa, temperamenta, calidum, frigidum, humidum & ſiccum, humores itidem, ceu ſunt pituita, ſanguis, bilis tam flava quam atra, nec non partes humani corporis, quales ſunt caro, os,

membra-

membrana, nervus, vena, arteria, cor, jecur, caput atque manus, ipſaeque facultates & actiones, uti ſunt vitalis, naturalis & animalis, tandemque ſpiritus, quos tanquam inſtrumenta actionum conſiderat, atque in animales, vitales & naturales diſtingvit; Quae omnia ſectionibus ſequentibus ad octavam usque prolixius proſequitur.

§. XXXV.

In *libro ſecundo*, pertractantur res vulgo dictae *non naturales*, quae, licet naturam & conſtitutionem corporis humani non ingrediantur, nec ejusdem eſſentiam compleant, illud tamen alterant, ac, niſi oportune ac ſalubriter adhibeantur, ſanitatem & naturam hominis deſtruunt, uti ſunt aër, corpora noſtra ambiens, cibus & potus, motus & quies tum univerſi corporis tum ſingularum ejus partium, & vigilia, excretio & retentio, quorum omnium agmen claudunt perturbationes animi.

§. XXXVI.

Tertio libro ſiſtuntur res praeter naturam, ubi morbi non modo natura in genere, ſed & ejusdem cauſae atque differentiae ſecundum partes ſimilares & inſtrumentarias declarantur, addida definitione ſymptomatis in genere ejusdemque differentiis, nec non febrium omnium brevi ac dilucida explicatione, quam enarratio vitiorum capitis, thoracis, abdominis & articulorum ſubſequitur.

§. XXXVII.

Libro quarto agitur de ſignis medicis, quam *Inſtitutionum* partem alias *Semeioticam* vocare conſueverunt, ubi non tantum de ſignorum utilitate variisq; eorum generibus, ſed & de temporibus morborum eorundemque uſu & dignotione diſſeritur, ſubjuncta tractatione de criſibus ſeu judiciis ſive bonis ſive malis, tam praeſentibus quam futuris, eorundemque notis atque indiciis, de eorundem differentiis & modis ſolutionum in morbis, num per excretionem

vel abſceſſum futurum ſit judicium, ac denique de diebus decretoriis, quaeque mortis citra judicium futurae notae ſint, imo, qua ratione ipſius mortis dies & hora praecognoſcenda ſit? Quod ultimum curioſa diſquiſitione non eſt indignum & magnam inſuper famam atque auctoritatem medico conciliare poteſt. Cumq; non minus urinarum perita atque prudens inſpectio plurimum momenti conferat ad morbos quosdam tum cognoſcendos, tum ad eventus eorundem circumſpecte dijudicandos: Hinc de urinis ſuccinctam adhuc tractationem ſubjecit atque oſtendit Auctor, non modo, qua ratione illa inſpicienda ſit, ſed &, quid varii urinarum colores, conſiſtentia, quantitas, innatantia ramenta, capilli, aliaque corpuſcula in urina diſperſa, bullae & contenta varia eorundemque loca portendant? Ac denique, cum ex egeſtionibus quoque, v. g. ſputo, ſudore &c. varia praedici queant: Hinc earundem varias ſignificationes exponere conſultum duxit, ita tamen, ut pulſuum quoque doctrinam breviter perſtringeret, quae quippe pariter eſt ex numero earum rerum, ex quibus futura medici praeſagire ſolent.

§. XXXVIII.

Reſtat quinta & poſtrema *Inſtitutionum Fuchſianarum* pars, quam de curandi ratione inſcripſit, alias vero *therapevtica* vocari conſuevit. In hac non modo generatim tradit, quid ſit indicatio, coindicatio & contraindicatio, ſed &, quid morbi natura & temperamentum, vires inſuper, conſuetudo, aetas, regio, tempus anni & conſtitutio coeli, laborantis partis conditio & alia talia ſpeciatim indicent? Quid inſuper perito Practico faciendum incumbat, contrariis ipſi indicationibus occurrentibus? Quam totam tractationem commendatione ſcriptorum quorundam, ex quibus medendi praecepta haurienda ſint, obſignat.

§. XXXIX.

Quanquam autem hiſce omnibus aditum planum ad

veterum

veterum ſcripta & fructuoſe legenda & recte intelligenda patefecerit *Fuchſius*, qui etiam unicus ejus ſcopus fuiſſe adparet: Attamen ab erroribus immunem manſiſſe eundem, praeter multos alios jamdudum animadvertit *Conringius*. Is enim *Fuchſio* imputare non veretur, quod ob ſolam Philoſophiae ignorationem in graviſſimum iſtum errorem imprudenter prolapſus ſit; *Mortem eſſe ſubſtantiam:* Quo ipſo tamen univerſam Pathologiam non parum turbaverit; Fuiſſe caeteroquin acerrimum *Galeni* defenſorem & calcaſſe eundem veſtigia quorundam Italorum, qui ne latum quidem unguem ab *illius* placitis recedere auſi ſunt, atque adeo in Magiſtri hujus verba quaſi jurarunt. Hanc tamen ipſi laudem neque invidet neque detrahit, quod profligatis exploſisque *Arabibus*, artem medicam ex *Galeno* deſumptam primus in Germania repurgaverit, & quod proinde magna injuria manibus Juvenum excutiantur ejus ſcripta, quum Patrum avorumq; memoria doctiſſimi quique tum Itali Galliique tum Hiſpani cum eo diſputare non erubuerint, id utique, *Conringii* judicio, non facturi, niſi praeclara eum doctrina inſtructum fuiſſe, ſibi perſuaſisſent.

§. XL.

Ianus *Cornarius*, ab aliis *coronarius* dictus, ſeculo decimo quinto vixit & *Hippocratis*, *Galeni*, *Aëtii*, *Aeginetae* aliorumque veterum medicorum ſcriptorum verſione in ſermonem latinum, id quod ante ipſum nemo auſus fuerat, magnam ſibi famam comparavit. Praeter multa alia ſcripta, quorum ſeriem in *Lindenio renovato de ſcriptis medic.* legi licet, etiam ἐπιγραφην ſeu enumerationem univerſae rei medicae edidit, quae indoli temporum, quibus vivebat, eſt adcommodata.

§. XLI

Spectat huc Baſſiani *Landi*, qui *Montani* diſcipulus ac poſtea in Gymnaſio Patavino collega fuit, iatrologia ſeu dialogi II. quibus univerſae artis medicae, praecipue vero mor-

ro morborum omnium & cognoſcendorum & curandorum abſolutiſſima methodus ſiſtitur.

§. XLII.

Eodem ſeculo floruit *Hieronymus Montuus*, qui compendiolum curatricis ſcientiae edidit, indoli temporum, quibus vivebat, pariter adcommodatum.

§. XLIII.

Hujus quoque loci eſt *Leo Suavius*, qui *Theophraſti Paracelſi* philoſophiae & medicinae univerſae compendium ex optimis quibusque ejus libris cum ſcholiis in libros IV. ejusdem de vita longa, myſteriorum, ut ſibi blanditur, plenos in publicum emiſit.

§. XLIV.

Pertinet ad eadem haec tempora *Johannes Crato à Crafftheim*, Wratislavienſis, trium Imperatorum Romanorum archiater, conſiliis medicis, quae edidit, admodum clarus, qui philiatrorum conatus adjuturus, non ſolum *iſagogen medicinae*, ſed & μικροτεχνην ſeu *parvam artem medicinalem* edidit; Quibus in ſcriptis principia artis tradere adlaboravit.

§. XLV.

Idem argumentum explicandum ſibi ſumpſit *Laurentius Scholtzius à Roſenow*, Wratislavienſis, Sileſius, conſiliis & epiſtolis medicinalibus, quas edidit, clarus, & felix *Cratonis* imitator, cujus etiam conſilia & epiſtolae medicinales, ut in publicum prodirent, ipſe curavit. Reliquit vero etiam, qui propius ad rem noſtram ſpectant, *aphoriſmos medicinales*, cum theoreticos tum practicos, quibus univerſam artem ſuccincte & forma aphoriſtica tradere adlaboravit.

§. XLVI.

Erneſtus Fridericus Fabricius medicinae utriusque tam Galenicae quam Hermeticae anatomen philoſophicam exhibuit, qua brevem, & ſuccinctam & perſpicuam abſolutae

lutae artis medicae ſciagraphiam oculis ſubjicere conatus eſt.

§. XLVII.

Eodem ſtudio flagravit *Simeon Partlicius, de Spitzberg*, qui univerſi ſyſtematis medici harmoniam meditatus eſt, in qua nova plane &, ut titulus habet, artificioſa diſcendae & exercendae medicinae methodus per brevia praecepta traditur, per canones ſelectos illuſtratur, & commentaria dilucida explicatur; Elucubratum eſt opuſculum ex dogmaticorum aeque ac hermeticorum ſcriptis, aſſiduis vigiliis & accurata theoricae & praxeωs obſervatione comparatum.

§. XLVIII.

Ad eandem hanc ſcriptorum ſeriem pertinet *Petrus Severinus*, qui ideam medicinae philoſophicae, fundamenta continentem totius doctrinae *Paracelſicae*, *Hippocraticae* & *Galenicae* orbi erudito exhibuit; Quam *Wilhelmus Daviſſonus* non modo commentariis illuſtrare, ſed &, praeter *Paracelſicas*, *Hippocraticas* & *Galenicas*, etiam *Platonicas* doctrinas explicare cordi habuit. Quas omnes in unam & harmonicam conſpirationem redigere, non levis ſane negotii res eſt. Taceo, rem medicinae admodum nocivam atque damnoſam eſſe, philoſophicis doctrinis eandem ſuperſtruere velle, quae quippe eam certiſſime confundunt & alienis obruunt.

§. XLIX.

Johannes Pancratius Bruno, Altdorffinus, Lexici medici *Caſtelli*, quod renovavit, à plurimis mendis & vitioſis allegationibus repurgavit, & innumerorum pene vocabulorum acceſſione locupletavit, editione ſatis notus, non modo *Caſparis Hoffmanni* iſagogen medicam edi curavit, ſed & manum ipſe operi tali admovit, in publicum emittendo praecepta medicinae generalia, quae in ordinem redegit, à rebus extraneis, quibus prohdolor! referta, depuravit, & ad vera artis medicae principia adcommodavit. Etiamſi autem in permultis ſcopum, quem praefixum ſibi habuit, non ubique obtinuerit: Voluntas tamen eſt laudanda.

§. L.

Mauritius Hoffmannus, itidem *Altdorffinus*, in inclyta Norimbergenſium Univerſitate P. P. *inſtitutionum medicinae*, quas laudabili exemplo in cathedra diſputandas publice propoſuit, nova methodo concinnatarum, & ex natura ſanguinis deductarum, *ſynopſin* nobis reliquit, in quibus & artem breviorem & vitam ſimul longiorem polliceri auſus eſt. Uti vero prius diſcentibus admodum gratum: Ita poſterius potiſſimum eſt, quod plerique in votis habent, nihil obſtantibus aerumnis, quibus vita humana communiter expoſita eſt.

§. LI.

In praefatione, opuſculo praemiſſa, conqueſtus eſt, famam ſuam, quam, ut ipſe loqui amat, praedones quidam ipſi ſuffurari fuerant conati, varias ipſi abſurditates adfingendo, rodi ac ſugillari. Titulus ſcripti hic eſt: *Prudentiae medicae ex ſanguine pro ſalute mortalium agendorum rationes, exponentis fundamenta, diſputationibus publicis propoſita.* Statuit is, ex ſanguine, animam cum corpore jungente, vitamque ac valetudinem promovente, & cujusque ἰδιοσυγκρασίαν conſtituente, omnem vitae ſanitatisque rationem derivandam eſſe: Unde non modo *omnipraeſentiam* & *omnipotentiam* eidem adſcribit, ſed & varias differentias illi adfingit, aliusque illi ſanguis *cephalicus* & *epilepticus*, alius *pectoralis* & *phthiſicus*, alius *hypochondriacus* & *ſcorbuticus*, alius *nephriticus* & *arthriticus* & alius denique *ſpermaticus* & *hyſtericus* dicitur. Provocat hinc ad experientiam, quam XLIV. annorum ſpatio partim docendo, partim medendo ſibi adquiſiverit; Nec ipſum unquam poenituiſſe, addit, huic methodo conſtanter inhaeſiſſe: Hanc enim ſe fideliter ſecutum, ſemper cum ſucceſſu praxin medicam exercuiſſe adſeverat. An veri quippiam ſub hac fama, quae malum eſt, quo non deterius ullum, latuerit, ex hoc ſpecimine dijudicent alii. Aures ferire phraſes, *omnipotentiam* & *omnipraeſentiam* tribuere ſanguini, negandum non eſt. Sed audienda eſt ſuis exceptionibus & explicationibus altera pars.

§. LII.

§. LII.

Andreas Buxbaum, catecheſin medicam, per modum dialogi propoſitam edidit, ex qua in arte medica initiandos artis principia, neotericorum hypotheſibus adcommodata, facili negotio addiſcere poſſe pollicetur.

§. LIII.

Iohannes Riolanus, Ambianus, Pater, quem *Merklinus* in *Lindenio renovato*, doctrinae Hippocraticae adverſus chymiſtas acerrimum vindicem vocat, univerſae medicae compendium ſeorſim primum evulgavit, quod tamen deinde cum operibus ejus junctim editum eſt.

§. LIV.

Iohannes Daniel Horſtius, praeter Anatomica varia, etiam manuductionem ad medicinam reliquit, quam ſtudioſae Juventuti in Academia Marpurgenſi praelegit. Sicuti *Henricus Regius*, de Roi alias dictus, Ultrajectinus, fundamenta medicinae in *Ultrajectina* ſuos docuit. Iungimus huic *Olaum Wormium*, Arhuſienſem Cimbrum, qui in Haffnienſi Danorum Academia inſtitutionum medicarum compendium, quod emiſit, publice praelegit.

§. LV.

Petrus Servius, Spoletinus, inſtitutionum Libros IV. quibus tyrones ad medicinam manuducuntur & informantur, edidit, una cum duabus proluſionibus, ad inſtruendos inflammandosque ad artem tyrones adcommodatis.

§. LVI.

Similiter *Sebaſtianus Meyerus*, Landsbergius, inſtitutiones medicas concinnavit, de quibus ipſe praedicare non dubitat, eas omnes medicinae locos ſolidaque totius artis fundamenta diſtincte, breviter ordineque complecti, imo & quibusvis litteratis proficuas eſſe.

§. LVII.

Georgius Wolffgangus Wedelius, multis ſcriptis clarus, theoremata medica ſeu introductionem ad medicinam, certis theorematibus, juxta ductum inſtitutionum medicarum abſolutam, ad legendum aeque ac diſputandum, quae laudabilis ejus conſuetudo erat, propoſuit. In *praefatione*, adducturus cauſſas, cur, tot ſcriptis in lucem editis, non magnum aeque incrementum ceperit medicina, quin nec illa ſtabilita ſatis ſint, quae fundamentorum loco inſtillari animis diſcentium ſolent, haſce potiſſimum refert: *Partim, quod complurium ſententias citra judicium compilaſſe novus ſaepe liber vocetur, partim, quod vetuſta ſordeant, & paradoxa ſaltem novitatis ſpecie arrideant; Quod porro eadem merces diverſis ſaltem fornicibus expoſitae inveniantur, ut, dum aliam quaeras, eandem invenias; Quod jurare in verba magiſtri plurimi conſueverint, quod controverſiis tempus teratur, iisque veritas ſaepe obnubiletur potius, quam in lucem exponatur;* Ex quibus ſingulis infert *Wedelius:* Medicinam in quam plurimis nihil fuiſſe aliud in hoc uſque ſeculum, quam *continuam novationem in antiqua ignorantia.* Quae etiamſi lubens ſuo loco relinquam, & *aphoriſtica* haec forma, qua *Hippoc.* non infeliciter eſt imitatus, captui diſcentium eximie ſit adaptata, fatendum tamen libere eſt, multa fermentum veterum de *calido innato, humido radicali, flammula vitali, ſpiritibus* &c. redolere, de quibus merito dubitandum, an delicato modernorum palato ſint placitura.

§. LVIII.

Eadem aphoriſtica forma conſcripta quoque eſt *Sanctorii à Sanctoriis* medicina ſtatica, quae una cum *Martini Liſteri* commentario VII. aphoriſmorum ſectionibus comprehenſa Lugduni Batavorum A. 1703. iterum prodiit.

§. LIX.

Inter opera medica *Gregorii Horſtii*, ſenioris, reperiuntur quoque imo potius reliquis eorum partibus praemiſſae

ſae ſunt *inſtitutiones medicae*, XX. diſputationibus comprehenſae, in quarum IV. primis de medicina in genere, de elementis ac temperamentis, de partibus H. C. earumque actionibus, de anima ejusque facultatibus nec non de ſanitate C. H. egit. A quinta ad undecimam uſque morbi indolem in genere una cum praecipuis ſuis differentiis diſcuſſit, nec non cauſas tam morborum quam ſymptomatum ad examen vocavit. *Duodecima* & ſequentibus diſputationibus de ſignis tam diagnoſticis quam prognoſticis diſſeruit; *Decima ſeptima* egit de methodo medendi in genere, & *vigeſima* demum materiam medicam breviter ob oculos poſuit.

§. LX.

Ut vero ſingulas haſce *inſtitutionum* partes percurramus, &, quid in illis contineatur, in ſynopſi exhibeamus, nec propoſitum noſtrum patitur, nec opus eſt, cum, quid de *Horſtianis* hiſce *inſtitutionibus* ſentiendum ſit, philiatri noſtri ex uno vel altero ſpecimine intelligere & aeſtimare nullo negotio poſſint. Ia v. g. ut ex ſola *phyſiologia* aliqua tantum exempla proponamus, quaerit is, an medicina ſit ſcientia, &, ſi hoc, an illa ſit theoretica vel practica? An C. H. ſit medicinae ſubjectum? Et an illud unico vel pluribus medicis ſit committendum? Quot ſint elementa, & quot inter illa calida, quot frigida? An elementa ſint in mixtis actu ſecundum formas ſubſtantiales? An complexio ſit ſubſtantia? An melancholicus, vel is, qui juſtitiale temperamentum habet, propior ſit aequalitati ponderis? Et quae ſunt ejus farinae plura, ex quibus an multum ſolatii ſit petiturus medicus tyro, aliis mature perpendendum relinquo.

§. LXI.

Johannes Beverovicius, *Dordracenus* Belga, ideam medicinae veterum ſecundum ductum *inſtitutionum medicarum* quidem concinnavit, cujus tamen hic neutiquam eo fine mentionem facio, quaſi crederem, philiatros ex ejus lectione in medica ſcientia proficere multum poſſe, ſed ut ſpecimen

aliquod ipſis exhiberem, quod in litterarum humaniorum cultura,cum medicina conjungenda,ipſi imitarentur. *Beverovicium* noſtrum, qui diligens magni illius litteratoris, VOSSII, diſcipulus & auditor fuit, tantus litterarum elegantiorum amor ceperat, ut, cum deinde ad medicinam addiſcendam, hortatu *Voſſii*, ſerio ſeſe adplicaret, philologiae ſtudium ex animo ſuo dimittere difficulter poſſet: Quare, *quaecunque apud utriusque lingvae*, graecae pariter ac romanae, *poetas, philoſophos, hiſtoricos, oratores, philologos, artem medendi tangere videbantur, inter legendum* ita *notavit, congeſſit & diſpoſuit, ut ea*, quae praedictis antiquorum ſcriptis diſperſa eſſe viderentur, ratione & diſtributione ſub uno aſpectu ponerentur: Unde *ex non medicis nata eſt idea medicinae veterum*, quam hoc nomine donavit Auctor, quod nulla artis parte omiſſa referat, quicquid de ſingulis antiquitus creditum eſt. Quisquis ergo librum hunc ſedulo evolverit, nullo fere negotio brevi tempore addiſcet, quod alii vix diuturna antiquorum lectione adquirere ſibi poterunt.

§. LXII.

Carolus Witteſtein, ſive *à petra alba*, Placentinus, veram totius medicinae formam ad Sereniſs. *Alexandrum Farneſium, Placentiae* & *Parmae* Ducem perſcripſit, ita quidem, ut, cum varia ſint hominum ingenia, aliis nuda veritate contentis, aliis vero diſceptationes & ſubtiliora requirentibus, in textu omnia, quae ad artem ipſam neceſſaria viſa fuêre, adducerentur, in margine vero, quae tum delectatione tum ſpeculatione animae ſatisfacerent, adderentur.

§. LXIII.

Forma haec medicinae talis eſt: Praemiſſis paucis de ejusdem *inventione* & *conſtitutione* generali, agit primum de *elementis*, quae cum *Ariſtotele* numero quatuor, non plura, nec pauciora agnoſcit, nempe ignem, aërem, aquam atq; terram. De *temperamentis* agens, tantam ex ingenioſa horum inveſtigatione utilitatem pollicetur medico, ut, quicquid

quid univerſa ars medica magni habet, inde originem ſuam ducat: Cum ſine illis nulla corporis ſani, vel aegri vel quod neutrum dici poſſet, vera ſit cognitio; Nulla medendi methodus, nulla univerſalis cognitio artis formari poſſit; Nil praedicere, nil denique cum dignitate medicus facere, ejus doctrinae ignarus queat &c. Videant igitur recentiores, ne in hodierna artis medicae luce pudore ſuffundantur à ſcriptore, qui lumine hoc deſtitutus, de uſu tamen doctrinae hujus longe ſaniora illis cogitata fovit.

§. LXIV.

Johannes Nicolaus Stupanus, Hungarus, M. D. ejusdemq; in *Academia Baſileenſi* Prof. P. medicinam theoricam, ex *Hippoc.* & *Gal.* phyſiologicis, pathologicis & ſemeioticis libris in theſes contraxit ſummatimque ad diſputandum publice propoſuit, ratus, ea melius inter diſputandum intellectum iri, quae primum audiendo minus diſtincte comprehenſa fuerint. Itaque laudabili hoc ſuo exemplo jam ante integrum, & quod excurrit, ſeculum aliis praeivit, qui eandem hodieque viam ingrediuntur, ac diſputando praecepta medica aliis clariora reddere adlaborant.

§. LXV.

Praemiſit autem *practicis* artis partibus *theoreticas*, quae quippe naturae ordine *illis* ſunt priores, & practicis ſcientiis fundamenta ſubminiſtrant. Eas vero ſic digeſſit, ut, expoſitis in parte *phyſiologica* praeliminaribus de medicinae praeſtantia, ejusdemque ſectis, ſpeciatim de arte empiricorum, dogmaticorum & methodicorum, & in quibus inter ſe mutuo conveniant vel differant &c. libro *ſecundo* de elementis, *tertio* de natura hominis ſecundum *Hippocratem* itemque de officina ſanguinis venarumq; principio, ac *quarto* de temperamentis agat. Hinc partes C. H. compendioſe recenſet, atque tunc demum animae humanae facultates & functiones animales ac vitales tandemque naturales earumque actiones & inſtrumenta exponit, totiq;

tractationi finem imponit doctrina de ſpiritibus, quibus animam ad functiones ſuas edendas uti, ſuo jam tempore credidit; Ut vehementer miremur, dogma hoc à nonnullis *Stahlio* ceu inventori tribui, & *naturam* hanc ridicule *Stahlianam* vocari, cum *Ariſtoteles* una cum univerſo *Peripateticorum* choro animam humanam ceu principium univerſale omnium actionum, in C. H. obſervandarum agnoverit; Qua de re alibi latior diſſerendi campus nobis aperietur.

§. LXVI.

In *pathologica* theoriae medicae parte proponit ante omnia ſanitatis morbique eſſentiam primaque morborum genera, progreditur hinc ad cauſas eorundem univerſales explicandas indeque ſymptomatum differentiis maxime principalibus enarrandis ſeſe accingit, tandemque cauſſis ſymptomatum, tam penes laeſas actiones ſenſitivas & motrices, quam etiam naturales, immoderatas nempe excretiones, retentiones affectusque corporis conſiſtentium poſtremum tribuit locum.

§. LXVII.

In *tertia* theoriae medicae parte *ſemeioticam univerſalem* proponit, &, quamvis ſigna diſtingvat in *ſalubria* & *neutra*, omnibusque ſuam competere utilitatem, ſponte fateatur, *inſalubrium* tamen rationem potiſſimum habendam eſſe docet, quod horum *tanto evidentior uſus exiſtat, quanto magis conſpicua eſt medici actio, in abigendis morbis occupata, quam ea, quae in ſanitate tuenda*, praeſervandisq; morbis verſatur. Uti vero reliqua omnia ex *Hippoc.* & *Gal.* ſcriptis hauſit: Ita ex iisdem fontibus quoque deprompſit, quae in *ſemeiotica* tradit.

§. LXVIII.

Pertinet huc *Johannes Fernelius*, vulgo *Ambianus* dictus, qui, licet *Claramontio* oppidulo natus & educatus eſſet, *Ambianus* tamen ſuis in operibus ideo dici maluit, quod Patrem inde oriundum habuerit, ſicuti pleraque *vitae Fernelianae*

lianae memorabilia *Guilielmus Plantius*, ejusdem familiaris, non ſine facundia nobis expoſuit. Suas autem *medicinae Inſtitutiones*, ut plerique alii facere conſueverunt, a *phyſiologia* auſpicatur, quam integris ſeptem libris declarare contendit. In primo eorum non modo partium humani corporis tam ſimplicium quam compoſitarum deſcriptionem una cum earundem uſu ſiſtit, ſed & ipſam conſectionis rationem more Anatomicis ſolemni exhibet, ſuadendo ei, qui dictarum partium hiſtoriam conſequi cupit, ut alio in cadavere muſculorum, in alio oſſium exſiccatorum aptisque compagibus revinctorum, in alio viſcerum internorum, in alio venarum, in alio arteriarum ac denique in alio nervorum conſectionem inſtituat. Atque in hac partium humani corporis hiſtoria firmiſſimum artis medicae fundamentum poſitum eſſe confidit, quia eadem plane neceſſitate, uti ad hiſtoriae fidem Geographia; Sic ad rem medicam corporis humani deſcriptio pernoſcenda eſt.

§. LXIX.

Quo vero tyronibus artis utilior eſt hiſtoria partium humani corporis: Eo ſterilior eſt doctrina de elementis, quam *libro ſecundo* exhibet: Illud enim profecto ſtudia Philiatrorum parum admodum promovebit, ſive ſciant ſive ignorent, quae medicis in corpore partes elementa, quaeque principia dici debeant? Quibus rationibus terra, aqua, aër & ignis omnium rerum elementa dicantur? Et quomodo corpus hominis, ut caeterorum omnium, ex quatuor elementorum concretione nectatur & contineatur? Qua ratione elementa inter ſeſe mutuo permiſceantur? Utrum eorum ſubſtantia, an qualitates ſolae totis totae perfundantur? Neque multum illos ſolabuntur acriores diſputationes adverſus Juniores inſtitutae, qui elementorum ſolas vires, non vero ſubſtantias nobis ineſſe, exiſtimarunt; Et quae ſunt ejus farinae plura, quae, ſive ſciantur ſive ignorentur, arti ſane felicius addiſcendae parum vel nihil velificabuntur.

§. LXX.

Quae in *tertia* Phyſiologiae ſuae *parte* de temperamentis diſſeruit *Fernelius*, longe utique majorem ſponderent utilitatem, ſi condigne pertractata eſſent. Jam vero per temperamentum nihil aliud intellexit, quam concentum quendam quatuor principum qualitatum, ex omnium elementorum permiſtione ortum. Cumque quatuor tantum ſint, ex quibus temperamentum conficitur: Hinc ſingulorum exuperatione ſimplices quatuor creari temperaturas concludit, nempe *calidam*, *frigidam*, *humidam* & *ſiccam*; Similiter quatuor conjugatas eſſe temperaturas, quae duarum ſimplicium exuperatione procedant ſeque efferant, nempe *calidam & humidam*, *calidam & ſiccam*, *frigidam & humidam*, *frigidam & ſiccam*. Caeterum innumeras eſſe particulares temperamentorum differentias non diffitetur. De *temperamento ad pondus* aeque ac *juſtitiam* pronunciat, utrumque in rerum natura vere ſubſiſtere, & cum compoſiti corporis temperamentum ex inſertis elementorum portionibus aeſtimare, nihil ſit aliud, quam cognitionem, multis difficultatibus obſtructam ſuſcipere: Hinc diſcernendorum temperamentorum nullam aliam eſſe legem, nullos alios judices, quam ſenſus hominis, & inter illos praecipue tactum, quorum quippe beneficio notiones rerum animis imprimantur. Fruſtra autem ſine dubio laborat in temperaturis ſingularum corporis humani partium tam externarum quam internarum internoſcendis, quae quippe omnem ſuam temperaturam a ſanguine tantum reliquiſque humoribus per partes tranſeuntibus nanciſcuntur. Agnoſcit tamen lubens, multis ex cauſis temperamentum ingenitum commutari: Unde aetatis progreſſu cujuſque temperamentum vertitur atque commutatur; Quam etiam ob cauſam antiqui ratione aetatis differentias in temperamentis agnoverunt. Illud vero miror, nullum temperamentum *bilioſum*, nullum *ſanguineum*, nullum *melancholicum* dici oportere, nimis acriter noſtrum contendiſſe *Fernelium*. Neutra ſaltem rationum ab ipſo allegatarum id ſufficienter evincere videtur.

§. LXXI.

§. LXXI.

Interea pergit ad *Librum quartum*, in quo de ſpiritibus & calido innato agitur, quam doctrinam omnem ex veterum monimentis hauſtam eſſe, cuivis facillimum eſt perſpicere. Supponit autem hic calorem quendam eumq; divinum non nobis tantum hominibus, ſed & cunctis aliis viventibus ineſſe, cujus beneficio alimentum trahant, conficiant, eoque nutriantur ac ſuſtententur, augeſcant, procreent animantes, praeterea ſenſu adficiantur & moveantur; Is vero calor cum ſine vehiculo in omne corpus permeare & huc illucve momento diffundi non videatur: Hinc inducti fuere ad credendum veteres, calorem iſtum in corpore aliquo fluxo & profluente contineri. Atque ideo neceſſe fuit, calori iſti materiam ſubſternere tenuiſſimam, aëreo-aethercam, pernicitate velocem, quae ſimul fovendo calori familiaris eſſet & amica, quam ſpiritus nomine, h. e. corporis aetherei, quod ſimul caloris facultatumque ſedes & vinculum, primumque obeundae functionis inſtrumentum eſſet, inſignire placuit. Aſt cum ſpiritus iſte, calore perfuſus habere debeat, in quo conſideat, quoque alatur ac ſuſtineatur: Hinc adoptatur adhuc humor pingvis & oleo perquam ſimilis, quem *humidum primigenium* adpellare placuit. Ex quibus omnibus, in ſummam redactis id tandem conſequitur, *calidum innatum* nihil eſſe aliud, quam *humidum primigenium*, *inſito ſpiritu* & *calore* undique perfuſum; Id nempe humidum, cui ſpiritus & calor ab ortu eſt inditus, in quo ſalvus viget & conſervatur: Quibus proinde tribus inter ſeſe mutuo junctis *calidum innatum* contineri, ex veterum mente hoc modo declaravit *Fernelius*. Denique cum admodum aequivocum ſit vocabulum *naturae:* Hinc indolem ejus breviter ſic exponit: Quod ſit vis prima & cauſa per ſe, noſtri opifex & conſervatrix. Sermo autem eſt de *natura humana*, de qua proinde praedicat: Eam ſoli homini addictam, quem confirmavit, gubernare, quantum poteſt, longiſſime; Eam, ne fruſtra condidiſſe videatur, edito operi in omni

vita

vita inſidere, id nunquam deſerere, ſed ejus gubernacula tractando, partes omnes in ſuum opus ducere & concitare, ita ut illa ipſa ſimul omnium functionum cauſſa cenſeri debeat.

§. LXXII.

Proximum nunc locum vindicat diſquiſitioni animae ejusdemque facultatum, quae quippe corpori organico vitam confert actionesque vitales inducit. Aſt cum nihil ſit taedioſius, quam toties entia citra omnem neceſſitatem multiplicare: Hinc univerſam illam facultatum animae doctrinam, tanquam ex lacunis *Galeni* hauſtam, merito mittimus, paucis tantum hic praeſupponentes, alibi vero plenius demonſtraturi: Animam, eamque rationalem omnium oeconomiae humanae functionum & actuum, rationalium nempe, animalium atque vitalium fontem atque principium eſſe.

§. LXXIII.

Cum autem facultatibus tanta cognatione *functiones* cohaereant, ut aliarum ex aliis cognitio peti debeat: Hinc jam a facultatibus tanquam a cauſis converſione facta, articulatim *libro ſexto* ediſſerere contendit, qua lege, quove ordine uſae ſuis illae ſpiritibus ſuisque particulis & temperamentis tanquam inſtrumentis functiones omnes ſuas compleant, ut ſimul inde partium omnium C. H. commoditas & uſus in promptu ſint & eluceant. Quemadmodum vero dicto *ſexto libro* functiones omnes in homine jam genito omnibusque ſuis partibus abſoluto ſcrutari & explicare conatus eſt: Ita *ſeptimo* inprimis in eo, qui gignitur & in lucem profertur, omnem ſuam attentionem figit: Ubi quidem in ſingularum functionum explicatione quam plurima occurrunt, quae animadverſione haud indigna forent, quae tamen omnia paginarum harum anguſtia non capit.

§. LXXIV.

Convertimus nos potius ad examen *pathologiae Fernelianae*, quae *ſeptem* iterum *libris* comprehenditur. In *primo* genera-

generatim de morbis, eorum differentiis & cauſis diſſeritur; In *ſecundo* de ſymptomatis & ſignis; In *tertio* de pulſibus & urinis; In *quarto* de febribus; In *quinto* de partium morbis & ſymptomatibns; In *ſexto* de affectibus partium, quae ſub diaphragmate ſunt; Et in *ſeptimo* ſeu *poſtremo* de externis corporis humani morbis agitur. De hiſce vero omnibus, inprimis doctrina de febribus polliceri non veretur, quod non pauca legenti ſint occurſura, aut penitus à majoribus praetermiſſa, aut non ſatis explicata, aut ab illis interdum diſſentanea, ſed quae tamen ut ratione ſtabilita, ita & longo medendi uſu comprobata ſint. Atque ideo magna ſui fiducia fretus ſubjicere non dubitat: Sic decere inveſtigatorem veri, non ſolum quae legerit, ſed & quae ipſe ſecum meditando conſideraverit & contemplatus fuerit uſuque tenuerit, cognitione digniſſima in communem uſum proferre.

§. LXXV.

Sicuti autem tam *Phyſiologiae* quam *Pathologiae* ſeptem cuilibet libros ſeorſim deſtinavit *Fernelius:* Ita totidem etiam *therapevticae* univerſali ſeu medendi rationi ſacros fecit. In *primo* fundamenti loco ſubſternitur, medicinae leges legibus naturae debere eſſe conſentaneas; Deinde de officio medici, remediorum inventione, eorundem quantitate definienda, de tempore, quo adſumenda ſint, nec non de forma & ratione praecepta generalia inculcantur. In *ſecundo* de evacuatione per venaeſectionem agitur, cujus tamen non ſolus *evacuatorius* ſed & *revulſorius* ac *derivatorius* effectus ſolide, ringentibus licet pleriſque Neotericorum, adſtruitur, & ſinguli morbi, quibus vel praeſentibus vel futuris vena ſecta ſuccurrit, enumerantur, habito inſuper prudenti ſelectu venarum ſecandarum, cum non ſit indifferens, quamcunque venam quocunque in adfectu ſecare. Neque hic neglexit indicare, quid ſpontanea ſanguinis eruptio in morbis conferat, quibusve ſignis morbi magnitudo & virium robur comprehendantur, pro quorum quippe indicatione mit-

tere vel non mittere ſanguinem oporteat? Quomodo evacuationis quantitas ex morbi magnitudine & virium robore aeſtimanda ſit? Quomodo praeſentia aeque ac praeterita prudenter obſervanda, ut ex illis certior evacuandi quantitas judicetur? Quo morbi tempore ſanguis ſit mittendus? Qua ratione corpus ante venaeſectionem debita & idonea ratione praeparandum? Quid ipſo ſectionis tempore faciendum? Ut à venaeſectione aeger ſit regendus? Quibus omnibus pauca adhuc de arteriotomia, de particulari ſanguinis vacuatione, ſcarificatione, cucurbitulis &c. adjiciuntur.

§. LXXVI.

Libro tertio methodi medendi de purgandi ratione diſputatur, quorſum non modo catharſis, emeſis & clyſterum in anum injectio pertinet, ſed & ad evacuationes particulares per errhina, apophlegmatiſmos & bechica iſta purgandi ratio reſtringitur. *Libro quarto* de ſummis medicamentorum generibus & facultatibus more *Galenicis* ſolemni diſſeritur. *Quinto* ac *ſexto* uſitata tam internorum quam externorum medicamentorum materia ſiſtitur: Et *ſeptimo* ſeu *ultimo libro* remedia compoſita exhibentur, quo ordine agitur primum de ſyrupis, electuariis & pilulis, deinde de antidotis tam ſolidis quam humidis, porro de trochiſcis ſeu paſtillis nec non de eclegmatis atque conditis &c. Ad externa vero medicamenta referuntur olea, ungventa & emplaſtra &c.

§. LXXVII.

An *Johannis Heurnii*, medicinae olim Profeſſoris in *Academia Lugduno-Batava* & Principis *Auriaci* Archiatri *Inſtitutiones medicae* hoc delicato ſeculo, quo novam veſtem univerſa ars induit, multis placiturae ſint, admodum dubito. Ipſe *Heurnius* in epiſtola dedicatoria ad *Henricum Ranzovium*, Pro-Regem in Ducatibus *Sleswicenſi*, *Holſatiae* atque *Dithmarſiae* ſponte fatetur, theſes eſſe ex ſugeſtu Academico praecipitatas & à diſcipulis ſuis (quos inter *Petrum Pawium* laudat,

qui

qui etiam poſtea in eadem Academia profeſſioni publicae admotus eſt) ex dictantis ore exceptas & ipſo tandem adnuente in publicum emiſſas eſſe. Cui accedit, quod nimis ſtricte *Ariſtotelis Galenique* placitis inhaereat, & hujus ultimi more multa de facultatibus aliisque talibus rebus frigide diſſerat, quae hodie in auribus ſtudioſorum non debent non moleſtum ſtridorem & in animo ipſo faſtidium parere.

§. LXXVIII.

Agit autem *libro primo*, poſtquam de medicinae natalibus, ſectis, earumque placitis, nec non de artis definitione ac diviſione paucula pro more *Inſtitutioniſtarum* praelibaverat, de elementis, quo nomine intelligit minimam, i. e. ſimpliciſſimam partem ejus, cujus eſt elementum; Quam notitiam ei, qui medicinae operam navare cupit, adeo neceſſariam eſſe opinatur, ut quis neque bonam valetudinem tueri, neque cauſam morborum intelligere, neq; ſignis quippiam deprehendere, neque morbum profligare poſſit, qui elementa corporis, quoque modo à priſtino ſtatu recedant, ignoraverit. Nobis vero ſecus videtur, qui hanc doctrinam de elementis ad Phyſicorum ſubſellia inferius remittemus, qua quippe medicus ſtricte ſic dictus tota ſua in functione carere ſat commode poteſt.

§. LXXIX.

In *Libro ſecundo* diſcutitur doctrina de temperamentis, eorundemque differentiis, notis atque indiciis: Hinc ad partium principum, cerebri nempe, pulmonum, cordis, jecoris, ventriculi, genitalium totiusque habitus temperamenta eorundemque notas pergit, & quot modis, & ex quibus cauſis temperamentum ingenitum mutari poſſit ac ſoleat, circa finem hujus partis diſquirit. Vereor autem, ne toto hoc laborioſo ſcrutinio inanem ludat operam, cum primo ſtatim hujus tractationis capite circa initium ex frigida illa & otioſa elementorum doctrina ipſam temperamenti indolem declarare cupiens, ſeſe prodat, dum

temperamentum nihil aliud eſſe putat, quam ſobolem quandam permiſtorum elementorum. Taceo, quod varia illa viſcera atque partes, quarum temperamenta ordine deſcribit, eorundem capacia non ſint, ſed ad longe alias cauſas referri mereantur.

§. LXXX.

Quae porro *libro tertio* de facultatibus earundemque functionibus, ſpiritibus & calido innato differuntur, *Galenicum* fermentum redolent & à recentioribus falſitatis jamdudum convicta ſunt. *Libro quarto* diſputatur de humoribus eorundemque numero, officina generationis ac potiſſimum de ſanguine. Humores in genere deſcribit eſſe ſubſtantias humidas, ex eſculentorum & potulentorum miſtione genitas, ut exhauſtum in corpore reſarciatur. Hos ad quaternarium reducit numerum, ſanguinem nempe, pituitam, bilem & melancholiam, atque ab hepate ex chylo, vi ventriculi praeparato, gigni adſeruit, ſola tantum materiae & coctionis varietate diſtinctos. Advehi deinde chylum per venas meſeraicas rubras ad hepar, ibidemque haematoſeos vi, quae in hepate reſideret, in ſanguinem transformari. Sicuti autem poſt venas lacteas ab *Aſellio* detectas ſua ſponte corruit hic fiendi modus: Ita hepati quoque jam dudum ultima cecinit *Bartholinus*. An vero ſanguis creſcat vel decreſcat, an ſit frigidus vel calidus, & quae ſunt aliae ejus indolis otioſae, frigidae & ne caſſa quidem nuce dignae quaeſtiones, iis diutius non inhaerebimus.

§. LXXXI.

Libro quinto acturus *Heurnius* noſter de generatione hominis, nihil agit aliud, quam ut *Ariſtotelis*, *Hippocratis* & *Galeni* ſententias variis modis inter ſeſe mutuo committat & conciliare ſtudeat, quae ſi hodie ab iis audiantur, qui *Hornium*, *Regnerum de Graeff*, *Swammerdammium* aliosque recentiores legerunt, juſta eosdem indignatione merito adficiunt. Quod quaeſtiones hinc inde interſperſas attinet, an

an ſcil. mulieres habeant ſanguinem calidiorem prae viris, cur viri non ſint menſtruales, an muliebritas ſit in menſibus &c. illas tanquam futiles & inutiles merito mittimus. Atque haec omnia, quae hucusque recenſuimus, ad partem medicinae *phyſiologicam* ſpectare videntur.

§. LXXXII.

Nunc vero *parte ſecunda*, & *libro* quidem *ſexto* ad *Pathologiam* ſeſe convertit *Heurnius*, acturus de iis, quae ſanitatem evertant, id quod faciunt omnes affectus praeter naturam ſeu morbi. Per morbum autem intelligit conſtitutionem praeter naturam corporis viventis, laedentem primo & per ſe actionem. Deinde proſequitur varias morborum differentias, quae vel à partibus noſtri corporis ducuntur, uti ſunt morbi intemperiei, organicarum partium, conformationis &c. vel ab adjunctis qualitatibus, vel à tempore &c. *Libro ſeptimo* inquiritur in cauſas morborum, quarum pleraeque ita comparatae ſunt, ut rariſſime morbos excitandi energia polleant, aut ſi quadam ad morbos gignendum poteſtate valeant, merito miraculoſum videri debet, quod nihilominus homines tam raro aegrotent. *Libro octavo* ſymptomatum hiſtoria ſiſtitur, prout vel animalem vel vitalem actionem laedunt & adficiunt, quibus *ultimo* adnectuntur ſymptomata excrementorum, quaeque in qualitate mutata conſiſtunt.

§. LXXXIII.

Libro nono exorditur *Semeioticam*, quam tractationem urinarum inſpectione ideo auſpicatur & fuſius deinde proſequitur, quia inter excrementa nullum certius morbos indicare ac de iisdem fidem facere exiſtimat. Agit tamen etiam de pulſibus, hujusque ſcientiae utilitate aliisque fontibus *doctrinae diagnoſticae*. In *prognoſi* vero ordine tractat de ſignis coctionis atque cruditatis, ſalutis & mortis, quae vel ad melius vel ad deterius inclinant, quaeque & tempus & modum criſeos patefaciunt, & quae ſunt alia

 hiſce

hiſce adfinia, quae legiſſe non poenitebit eum, qui judicium ſubactum, maturum & variis caſibus practico-clinicis jam illuſtratum poſſidet.

§. LXXXIV.

Ultimo ac *decimo Inſtitutionum Heurnianarum* libro *therapeutica* generalis ſeu *methodus medendi* ſiſtitur, ubi in genere rurſus fatendum nobis eſt, quod, quae de primarum ac ſecundarum facultatum vi, deque gradibus qualitatum in medicamentis ſimplicibus, & quo demum artificio haec omnia dignoſcenda ſint, differuntur, ingenio ſeculi moderni parum adcommodata eſſe videantur, quae proinde ſine piaculo hic ſicco pede praetermittere nobis licebit. Neque enim hodie ſtudioſis noſtris aures pruriunt, multo minus ſaliva movetur, ſi de facultatibus primis & ſecundis plantarum earumq; gradibus diſputantes vel potius ineptientes in cathedra audirent docentes. Si amplius tertiarum atque quartarum facultatum vires alta voce ebuccinatas perciperent, metus foret, ne in cachinnos erumperent. Tam exquiſitus hodie eſt philiatrorum noſtrorum guſtus! Melius Auctor noſter inſtruit ſeriem indicationum, quos deſumere docet vel à morbo ipſo, cauſa morbifica & ſymptomate, vel à temperie totius corporis aegri, vel à parte morbo obſeſſa, vel ex viribus aegrotantis, vel ab aëre ambiente, vel ab aetate, vel à conſuetudine, vel à peculiari cujusvis natura, vel à ſexu, vel ab exercitio vitaeque inſtituto, vel à morbi longitudine ejusque brevitate, vel à quatuor anni temporibus, vel à paroxyſmis morborum, vel à ſolemnibus naturae functionibus vel ex remediorum viribus, vel, quod tamen dubiis ſuis haud caret, à ſideribus. Neque omnino contemnenda ſunt, quae capite *Inſtitutionum* ſuarum ultimo de modo conſilia medica ineundi *Heurnius* noſter diſputat.

§. LXXXV.

Prius vero, quam eundem mittamus, illud adhuc, tanquam ab hoc loco minime alienum monere conſultum

duxi,

duxi, quod appendicis loco *Inſtitutionibus* ſuis junxerit conſilium, modum & rationem ſtudendi, eorum uſui inſervituram, qui medicinae operam ſuam dicarunt. Eſtque hoc ſcriptum non lectu modo jucundum, ſed & philiatris apprime utile & neceſſarium, quanquam, quod pariter diffitendum non eſt, temporibus, quibus vivebat, congruum. Hodie enim ad *Avicennam*, *Meſuen*, *Serapionem* aliosque *Arabes*, vel *Graecos*, *Aretaeum*, *Paulum*, *Aëtium*, *Trallianum*, *Oribaſium* aliosque ablegare velle philiatros, vereor, ne irritum, ſterile atque ſupervacaneum inſtitutum ſit futurum.

§. LXXXVI.

Ita ergo ſi cum *Heurnio* noſtro comparatum ſit, metuo, ne paria cum ipſo fata habeat *Balthaſar Schultzius*, quem *Lindenius Wratislavienſem*, ipſemet vero medicum *Colbergenſem* ſeſe vocat. Ingenue is confitetur, ſynopſin univerſae medicinae, quam edidit, cum ex multis medicorum libris, tum praecipue ex *Iohannis Heurnii* Inſtitutionibus conformatam & XII. Diſputationibus exhibitam, inque *Academia Wittebergenſi* exercitio privato eventilatam eſſe. Qualis autem eſt fons, tales etiam plerumque ſolent eſſe rivuli.

§. LXXXVII.

Vix praeterea melioris notae eſt ejusdem *Schultzii* hiſtoria de homine microcoſmo, in qua cum admirandam corporis humani fabricam tum divinam animae humanae eſſentiam *διαλογως* contemplandam exhibere conatus eſt, inſtituta adhuc in fine breviſſima utriusque mundi, magni aeque ac parvi comparatione. Id tamen tantopere Noſtro vitio vertendum non eſt, qui in gratiam pueri nobilis, *Ottonis Flemingii* libellum conſcripſerat eidemque dedicaverat.

§. LXXXVIII.

Diſpeſcitur interim duas in partes, quarum prior de mirabili machina humani corporis, poſterior vero de anima agit. Quoad *priorem*, praeter diviſionem partium, *Hippocrati*

pocrati uſitatam in ἴσχοντα, ἰσχόμενα & ὁρμῶντα, in ſimilares ac diſſimilares, earundemque brevem hiſtoriam, quaeque illarum chyloſi, haematoſi, reſpirationi, procreationi &c. ſubſerviunt, ſiſtit quoque humorum variorum ſuccinctam enarrationem, quorſum praeter chylum, qui quaſi reliquorum humorum omnium rudimentum eſt, pertinet ſanguis, pituita, bilis & ſuccus melancholicus, qui ſecundae coctionis humores ſunt, ſicut ad tertiae coctionis humores, anonymus, ros, cambium & gluten ab Auctore referuntur: A quibus tamen omnibus humidum radicale, quod primogenea haereditate ſolidis membris inſidere fabulantur, diſtinctum eſſe arguit. De ſpiritibus vulgaria medicorum commenta repetit, &, ne phyſica iſta ſpeculatio pathologico uſu deſtituta eſſe videatur: Hinc ab impedito ſpiritu naturali atrophiae, à vitali ſyncopes, & ab animali apoplexiae originem derivat. Quoad *poſteriorem* vero, animam rationalem à DEO homini primitus inſpiratam, poſtea mirabili propagationis ſerie continuari credidit, cujus proinde virtus etſi in toto corpore tota ſit, ſicut & in omnibus partibus tota eſt: In organicis tamen membris, maxime in corde potenter reſidere putavit, unde virtutem ſuam per organa debite conformata univerſo corpori communicet: Quae omnia, uti & vulgarem animae diviſionem in *vegetantem*, *ſenſitivam* & *rationalem* non aliunde, quam ex *Ariſtotelis* & *Peripateticorum* fontibus hauſiſſe videtur.

§. LXXXIX.

Ex *Italis* hoc circiter aevo *Inſtitutiones medicinae* nobis reliquit *Vidus Vidius*, ſenior, philoſophus ac medicus *Florentinus*, ſuo tempore longe excellentiſſimus, qui tum *Lutetiae* tum *Piſis* magno cum adplauſu artem medicam docuit, & graviſſimo Archiatri munere apud Franciſcum I. Regem Galliarum magna cum laude perfunctus eſt. Abſolvuntur autem *Vidii* noſtri *Inſtitutiones* tribus libris, in quorum *primo* de origine & auctoribus medicinae agitur, ſubjuncta cauſa, cur poſt eos de medicina ſcripſerit? In *altero*

libro

libro tractatur de communibus medicinae, qualia ſunt ejusdem definitio, diviſio atque ſubjectum cum reſolutione quarundam generalium quaeſtiuncularum, quibus multi alii praeter *Vidium* tempus inutiliter terere conſueverunt, uti ſunt: An medicina ſit ars, an ſcientia? Quae ad perficiendum medici officium requirantur? Qualem oporteat eſſe medicum? Qualem praeſtare ſeſe debeat aegrotans? Et quae ſunt ejus farinae plura, ex quibus, quantum conatus tyronum artis juvari ac promoveri poſſint, facile cuilibet licet perſpicere. In *tertio* interim *Inſtitutionum* libro agitur de partibus medicinae, deque ratione, qua inveniantur atque in ordinem diſponantur: Quae omnia nimis ſunt generalia, quam ut multa praeclara commoda lecturis polliceri inde queamus.

§. XC.

Hujus quoque loci eſt *Ludovicus Mercatus*, Hiſpanus, qui non modo in *Academia Valleſoletana* Profeſſioni medicae praefuit, ſed & ſplendido Archiatri Regii munere apud Philippum II. Hiſpaniarum Regem perfunctus eſt. Seorſim primum *Inſtitutiones medicas* edidit, quae deinde ſimul cum reliquis ejus operibus prodiere, in quorum proinde *tomo primo* exhibetur primum pro more *phyſiologia*, quae de conſtitutione corporis ſecundum naturam agit; Quam deinde excipit *hygieine*, in qua de ſanitatis conſervatione & praecautione diſſeritur; Tandemque adnectitur *pathologia* cum *ſemeiotica* atque *therapevtica*, quibus in partibus ordine enarrantur morbi cum eorundem ſignis, cauſis, ſymptomatis, differentiis eorundemq; curatione.

§. XCI.

Hiſce etiam adnumeratur *Georgius Scharpius*, Scotus, cujus *Inſtitutiones* medicas *Claudius Scharpius*, filius in lucem dedit, à quarum tamen lectione tanto alieniores credo tyrones artis, quo minus moribus noſtri ſeculi ſunt adcommodatae.

§. XCII.

Ipſius conterraneus, *Gilbertus Jacchaeus*, natus *Aberdoniae*, ſeptentrionalis *Scotiae* oppido, epiſcopatu & Academia celebri, in qua etiam Profeſſione publica perfunctus eſt, ſimiliter *Inſtitutiones medicas* ſcripſit, vix tamen etiam ad delicatum moderni ſeculi guſtum attemperatas.

§. XCIII.

Duncanus Liddelius, pariter Scotus, ſeorſim quidem exhibuit univerſum artis medicae compendium, diſputationibus aliquot in *Academia Julia* quondam habitis incluſum; Poſtea vero cum aliquot aliis ejus ſcriptis ſtudio *Ludovici Serrani*, Neomagenſis, ſub titulo operum Jätro-Galenicorum Lugduni junctim prodiere, & ſeptem libris comprehenduntur, quorum *primus* Phyſiologiam, *ſecundus* Pathologiam, *tertius* ſemeioticam, *quartus* therapevticam una cum victus ratione tam in ſanis quam in aegrotantibus exhibet; Reliqui vero tres tractatus de febribus earundemq; ſymptomatibus, de peſte, de variolis atque morbillis agunt: Quae tamen omnia *Galeni* principia redolent.

§. XCIV.

Similiter *Petrus Laurembergius*, Roſtochienſis, edidit porticum Aeſculapii ſeu generalem artis medicae conſtitutionem, in qua de medicinae genere, ſubjecto, fine, definitione, diviſione pleraeque controverſiae examinantur, errores multi à multis hucusque cuſtoditi oſtenduntur, & verae de ſingulis ſententiae feruntur ac demonſtrantur. Ponamus autem, acu hic rem tetigiſſe *Laurembergium*, in plerisque, quas pertractavit, controverſiis: Inanem tamen operam luſiſſe eundem, nemo diffitebitur, qui rite intellexerit, *ἀλλωτρια* talia à medicinae ambitu quovis modo arcenda, eandem potius confundere quam juvare, ſicuti inferius ſuo loco animadvertemus.

§. XCV.

§. XCV.

Ludovicus Gardinius in publicum produxit *Hortenſii* manuductionem per omnes medicinae partes. Cui ſucceſſit ejusdem *Hortenſii* manuductio ad Pathologiam, quae eſt *Inſtitutionum* medicarum pars ſecunda, & ſecutus tandem eſt earundem liber tertius, ſive medicina ſubſidiaria, opus poſthumum de rebus non naturalibus, quod ſtudio & opera *Jacobi Briſſaut*, medici *Duacenſis*, prodiit.

§. XCVI.

Et cum *Leonardus Franciſcus Dinghemius* fundamenta medico-phyſica ad Scholarum *ἀκριβολογιαν* ſtudioſe aptata eſſe ipſemet profiteatur: Hinc & illa artis noſtrae ſectatoribus parum profutura, haud vane conjicimus.

§. XCVII.

Quanquam etiam *Lazari Meiſſonnerii*, Matiſconenſis, idea medicinae, verae fidei cum ſenſibus per rationem reſtitutae cum philoſophiae naturalis & medicinae ſecretiori inſtitutionibus, multa ſpecioſe polliceatur, nempe artificium novum ad docendam, diſcendam & feliciter faciendam medicinam omnino neceſſarium, necnon philoſophiae ſtudioſis & quibuslibet aliis, vitam longam ſanamq; ſitientibus utiliſſimum: Eventus tamen ſatis comprobavit, non reſpondiſſe eum promiſſis.

§. XCVIII.

Johannem vero *Walaeum*, inter Scriptores *Inſtitutionum* ideo referre nonnulli recuſant, quod, ipſo vivo, ſub hac ſaltem forma nullum ſcriptorum ejus lucem adſpexerit publicam. Omnia quidem, quae inveniri potuerunt, ſcripta *Walaei* in unum congeſſit *Chriſtophorus Jervinus*, vel *Jrvinus philoſophices* & *chirurgices* Magiſter *Edimburgenſis*, in quibus multa nova, plurima renovata, verbo, quicquid vel in Inſtitutione nervoſum vel in praxi ſalubre deſiderari poteſt, reperiri cenſet: Sed quis fidem nobis faciet, omnia, quae

à *Jervino* compilata ſunt, *Walaei* genuina eſſe? De quo quidem non abs re permulti dubitant.

§. XCIX.

Interea in formam *inſtitutionum* theorica *Wallaei* ſic digeſſit *Jervinus*, vel, ut alii ſcribere malunt, *Irvinus*, ut tribus partibus, *phyſiologia* ſcilicet, *pathologia* ac methodo medendi comprehenſa adpareat. In *prima* illarum agitur de partibus H. C. de calido innato, de humoribus, chylo potiſſimum ac ſanguine, de temperamentis, de facultatibus animae, tandemque de functionibus, vitalibus, naturalibus & animalibus. In *altera*, cui tamen etiam doctrinam ſignorum jungit, de morbis eorumque cauſis & effectis tractat: Et *tertiam* denique tribus capitibus comprehendit, in quorum *primo* de cauſis ſanitatem conſervantibus, in *altero* de curatione morborum & in poſtremo de magnitudine ſymptomatum diſſeritur.

§. C.

Majori quidem jure *Inſtitutionum* ſcriptoribus adnumeratur *Vopiſcus Fortunatus Plempius*, Amſtelodamenſis, qui libros VI. fundamentorum medicinae, acribologia Scholaſtica ſic ſatis quidem accuratos, edidit, in quibus tamen non pauca continentur aliena, ab inſtitutionibus merito removenda; Hanc ob cauſſam non modo *Auctor* ipſemet fundamenta ſua hinc inde interpolare, ſed & apologema pro eodem *Daniel Vermoſtius* adverſus dicteria & ineptias cujusdam *κηπὲρε* ſcribere coactus fuit. Sicuti acre & virulentum eſt ſcriptum, quo *Plempium κηπερος* iſte, ſub hac ejus inſcriptione: *Methodus medicinam rite diſcendi & exercendi*; eſt inſectatus: Ita *Vermoſcius*, defenſor *Plempii* tanto minus pepercit *adgreſſori*, quo certius is ea aetate, qua *Plempii* inſtitutiones perſtrinxit, juveniles annos nuper demum ingreſſus, & vix à triennio cis citra doctorum ordini adſcriptus, atque adeo fermento ambitionis totus turgidus, pullus Aeſculapii, vixdum è Scholae teſta caput exerens, eo polluerit judicio, ut medicinam non ſolum rite diſcendi

& ex-

& exercendi methodum tradere, ſed & *Plempii*, viri Profeſſorii, qui in *Academia Lovanienſi* medicam artem multos annos non ſine fama & adplauſu docuerat, ſcriptum tamen ejus acri & cenſorio ſtylo laceſſere auſus fuerit. Sed quid mirum? Quid non audet temeraria Juventus? Interim κηπȣρος iſte multos hodieque ſibi ſimiles habet, adoleſcentulos arrogantes, aliorum famae inſidias ſtruentes, imo quosvis obvios Scyllaei canis inſtar adlatrantes. Uti vero *Plempius* optime, ſic in ſuo apologemate ſentiente *Vermoſcio*, *à dignitate ſua alienum exiſtimavit, cum talibus putidis cavillatoribus manum ſtylumque conſerere:* Ita hos Viri prudentis mores imitari decet eos, qui paria cum ipſo fata experiuntur. Non ſunt digni tales cavillatores, quibus vel verbulum reſpondeatur, niſi circumſtantiae cum tempore demum ſeſe manifeſtantes aliud quid ſuadeant. Neque publicum ſuum diſſenſum diſſimulare potuit *Jacobus Primeroſius*, qui deſtructionem fundamentorum medicinae *Plempianorum* evulgavit, in qua minimum quater centum *Plempii* errores demonſtrare conatus eſt; Cujus tamen defenſionem iterum in ſeſe ſuſcepit *Gerhardus Blaſius*, filius *Leonardi*, Amſtelredamenſis, qui, ut ipſe *loquitur*, impetum *Jacobi Primeroſii* in *Vopiſcum Fortunatum Plempium* retudit. Cui vero tandem victoriae gloria ſit adjudicanda, adhuc ſub judice lis eſt, quam nos ut hac vice dirimamus, nimis à ſcopo noſtro alienum eſſe judicamus. Caeterum idem *Gerhardus Blaſius* compendium *Inſtitutionum medicarum* XII. diſputationibus in Illuſtri Athenaeo Amſtelredamenſi publice ventilatis comprehenſum evulgavit.

§. CI.

Eundem laborem adgreſſus eſt *Albertus Kyperus*, Philoſophiae ac medicinae Doctor, hujusque in *Academia Lugduno-Batava* Profeſſor Ordinarius. Promittit quidem titulus *Inſtitutiones medicas*, ad hypotheſin motus ſanguinis circularis compoſitas, quibus ſubjiciuntur ejudem tranſumpta medica, quibus fundamenta artis continentur. In praefatione autem ad Lectorem fatetut, ſe *Ariſtotelis*, qui quippe ab *Hippocrate*

pocrate non multum recedat, ut & *Galeni* hypotheſibus inhaeſiſſe, ac tyronibus hoc medicinae compendium deſtinaſſe, ut ideam artis generalem parvo tempore comprehendere mente poſſent, ſicque ad legendum Auctores fierent aptiores, imo ad ipſam quoque praxin manu ducerentur.

§. CII.

Totum opus ſic ſatis prolixum quatuor comprehenditur libris, in quorum primo ſiſtitur medicinae *ſubjectum*, nempe homo, in ſecundo *finis*, ſanitas ſcilicet & morbus, ſicuti in tertio *ſigna*, & in quarto *media* & ſanitatem conſervandi & amiſſam reſtituendi exhibentur.

§. CIII.

Quod *primam partem* ſpecialius attinet, ea, ſi fatendum, quod res eſt, nihil aliud exhibet, quam anthropologiam ſeu diſcurſum phyſico-anatomicum de natura hominis, qui finem artis aeque parum directe reſpicit ac Aſtronomia vel quaecunque alia ſcientia. Quanquam enim nunquam in animum induxerimus negare, medico hiſtoriam illarum partium perſpectam eſſe debere: Veram tamen theoriam medicam, futuris uſibus practico-clinicis eminenter utilem tam parum illuſtrat, ac ars pictoria: Unde jam alibi monitum eſt, anthropologicam hanc hominis tractationem, tanquam jam aliunde notam, eſſe praeſupponendam. Caeterum monſtra illa traditionum antiquarum de calido innato, de ſpiritibus inſitis & influentibus, vitalibus, animalibus ac genitalibus, de anima vegetativa, ſenſitiva & rationali &c. in omnibus tantum non paginis adhuc reperiuntur. Taceo *facultates Galenicas* in explicandis functionibus viſcerum atque partium utramque abſolvere paginam. Ut proinde neceſſarium duxerim, tyrones monere, ne ſpecioſo titulo faſcinari ſeſe patiantur, qui *inſtitutiones medicinae* ad hypotheſin quidem de motu ſanguinis circulari compoſitas pollicetur, ubi tamen reipſa nihil praeſtatur aliud, quam quod antiqua opinio-

num

num *Galenicarum* crambe recoquatur, atque ingenti taedio lectori denuo adponatur.

§. CIV.

Quae cum ita ſeſe habeant, omnino ſupervacaneum eſſe judicamus, reliquas harum *Inſtitutionum* partes percurrere, cum, ſemeioticis exceptis, plane ejusdem ſint indolis. Convertamus nos potius ad *Tranſumpta* medica, quae ex Phyſicis ea repetunt, in quibus fundamenta medicinae continentur. Liceat autem, *Auctoris* pace, libere adſerere, quod in eo tanto minus ejusdem inſtitutum adprobare queamus, quia animus diſcentis alienis talibus, phyſicis vel metaphyſicis ſpeculationibus praeoccupatus, plane ineptus redditur, ad comprehendendum ea, quae proprie atq; directe ad artem medicam, quae factiva eſt & practica, pertinent. Vehementer namque hucusque diſplicuit, quod tantam Phyſices in medicina neceſſitatem eſſe, hucusque crediderint, ut nonnulli illorum adſerere non dubitaverint, hanc in ſolidum phyſicis dogmatibus ita inniti, ut ex his multa repetere & dehinc ex ſcientiae theorematis deducere cogatur recte medendi praecepta. Finge, in phyſicis diſſentire medentes, an quaeſo poſſibile erit, ut in medicis praeceptis convenire queant? Iſtud enim omni intuitu paradoxon videtur, quod medendi praecepta eadem manere poſſint, etiamſi circa ſcientiae theoremata ſit diſſenſus? Quia aut talem oportet eſſe praxin, qualis eſt theoria, aut iſta ſaltem theoria praxi omnino erit inutilis; Id quod innumeris inſtantiis comprobari facile poſſet, ſi id operae valeret pretium. Quod ipſum tanto magis dilucesſcet, ſi expendatur, ſtudioſos medicinae ad *Hippocratis* & *Galeni* principia à *Noſtro* ablegari, ad quae quippe tanquam ad ὑπο θεσεις reliqua revocari queant, quanquam ipſemet negare non audeat, multa in iis dubia, nec forte pauca etiam falſa contineri. Hoc ſaltem quam veriſſimum eſſe ſaepe ſaepius experti fuimus, quod Juvenes

nimis

nimis ſollicite το διοτι inquirentes, haud infrequenter una cum illo το ὅτι amittant. Neque enim ſubtilis de principiis diſputatio, ſed felix morborum depulſio medicum efficit, ut recte caeteroquin noſter quoque obſervavit; Adeo ut in proverbium plane abierit: *Doctum theoreticum eſſe infelicem Practicum:* Quia, dum ſubtiles tales doctores in elementis tantum morantur: Seipſos ad praxin exercendam inidoneos reddunt.

§. CV.

Haec vero omnia ne fruſtra adſeruiſſe videamur, animum tantum advertere jubemus ad ea, quae libro primo *Tranſumptorum* diſputantur de elementis eorumque nomine reſpectu homonymiae, etymologiae & ſynonymiae, de eorundem exiſtentia, eſſentia, cauſis tam internis quam externis, origine, conſequentibus, adjunctis & effectis una cum diviſione &c. Coecus enim ſit oportet, qui non advertat, ſpinoſas tales elementorum diſquiſitiones ad finem artis, qui eſt curatio & liberatio a morbis, ne eminus quidem reſpicere. Quo ſenſu ipſemet *Galenus* Libr. I. Prorrhetic. S. I. comm. 17 recte adſeruit: Quicquid non docet melius curare, ſophiſticum eſt & ab arte alienum. Quae deinde libro II. de mixtis docentur, utilia quidem ſunt, majori tamen utilitate ſeſe commendarent, ſi mixtionis natura non abſolute & in ſe, ſed in oppoſitione ad ſtatum vitalitatis conſiderata fuiſſet, ut exinde demum diſtincte intelligi poſſet, cur mixtio animalis, ſuo in genere ad corruptionem putredinoſam valde proclivis, rariſſime tamen ad actualem corruptionem perveniat? Reliqua prolixius proſequi non eſt neceſſe. Optaremus ſaltem, *Kyperum* noſtrum vim *Logices*, in qua eximie plane excelluiſſe videtur, in alia quacunque diſciplina adhibuiſſe, modo medicinae peperciſſet. Quis enim Juvenum, medicinae ſtudioſorum hodie reperitur, qui haec talia dialectica ſine tacita indignatione audire cupiat?

§. CVI.

§. CVI.

Contra nimia prolixitate pleriſque peccare videbuntur *Inſtitutiones Danielis Sennerti*, Profeſſoris medicinae in *Academia Wittebergenſi* & medici cubicularii *Iohannis Georgii* I. Electoris Saxonici. Edidit quidem primum, uti ipſemet in Praefatione teſtatur, in gratiam ſtudioſorum medicinae epitomen quandam & quaſi lineamenta artis, quam in dicta *Alma Wittebergenſi* docebat; Quia non ignorabat vir prudens, multum diſcentibus prodeſſe, ſi ejus, cui ſe adplicuêre, diſciplinae ideam quandam animo conciperent. Quum vero deinde epitomen iſtam in manus reſumeret, illamque conciſa nimis brevitate laborare animadverteret: Hinc factum eſt, ut meliora interim edoctus, quaedam mutaret, quaedam vero adderet, indeque majoris molis *Inſtitutiones* enaſcerentur, quarum inſuper amplitudinem miris modis augebant numeroſae, quas ubique interſperſit, quaeſtiones controverſae, quod tamen inſtitutum ſuum inde excuſat, quod alias diſcentium animi variis tricis involverentur, ex quibus tamen extricandi potius quam implicandi eſſent. Addit, perinde fore intuitu philiatrorum, ſive *Inſtitutiones* paulo prolixiores ſive easdem commentario illuſtratas legerent.

§. CVII.

Quanquam autem negari neque poſſit neque debeat, ſine detrimento Reipublicae medicae in multis breviorem eſſe potuiſſe *Sennertum*: Fatendum tamen ſimul eſt, multa egregia, *Semeioticam* praecipue atque *diaeteticam* concernentia in hiſce *Inſtitutionibus* contineri. Et, ſi judicio *Petri Laurembergii* in *Lauru Delphica* ſtandum, principem inter *Inſtitutionum* ſcriptores locum tuetur *Sennertus* noſter; Ita enim ille commendat eundem: *Pervolve, & nocturna diurnaque verſato manu* Inſtitutiones Danielis Sennerti, *in quibus prolixiori orationis ſerie fundamenta artis pleniſſime enarrantur, & longe forte ſolidius quam factitatum* à Fuchſio, Valleriola, Riolano, Heurnio,

nio, Duncano Liddelio *caeteriſque de genere hoc. Unus iſte tibi erit inſtar omnium; Quem ſi noris, omnes noris.*

§. CVIII.

At vero quid veri vel falſi huic judicio ſubſit, rectius non intelligemus, quam ſi ſingulas *Inſtitutionum Sennertianarum* partes breviter percurramus, quidve in illis laude vel vituperio dignum ſit, ſincere quidem, attamen modeſte indicemus. Praemiſſis itaque paucis, ut vulgo moris eſt, de natura ac diviſione medicinae, in parte *Phyſiologica* agere incipit de ſanitate & temperamentis. Sanitatis formalem rationem conſtituit *in potentia*, corporis actiones exercendi, à naturali omnium partium conſtitutione proveniente; *In potentia*, inquam, non actuali exercitio; Cum non is ſolum ſanus dicendus ſit, qui actiones debitas actu obit, ſed etiam, qui eas actu non obit, dummodo, ſi velit, obire poſſit. Ad hanc ſanitatis rationem in tanto clariori luce collocandam, inde quoque ipſam temperamentorum indolem deducit, deſcribendo temperamentum in genere, quod ſit qualitas ex miſtione elementorum & quatuor primarum qualitatum mutua actione & paſſione exorta. Varias deinde horum temperamentorum differentias proſequitur, quarum tamen primariae huc redeunt, ut aliud ſit temperamentum *ad pondus*, aliud *ad juſtitiam*, aliud *ſimplex*, aliud *compoſitum*, aliud *calidum*, *frigidum*, *humidum* & *ſiccum*, vel *ſanguineum*, *bilioſum*, *phlegmaticum* & *melancholicum*, quorum tamen omnium nullum homini adcommodatius ſit, nullum convenientius, quam calidum & humidum, quod alias ſanguineum vocatur. Quae praeterea de differentiis corporum ſecundum Aſtrologos nec non de temperamento totius, quod à partium principum, cordis, epatis, cerebri, ventriculi &c. temperie dependere exiſtimat, *Auctor* noſter adfert, ea tanquam res nullius momenti lubens praetereo.

§. CIX.

§. CIX.

Omnem vero hanc doctrinam de temperamentis ut clarius illuſtret, proxime ſubjungit diſcuſſionem *calidi innati*, *humidi radicalis* & *ſpirituum* vulgo ſic dictorum. Quid autem ſit calidum innatum, inventu difficile & obſcurum eſſe fatetur, cum, quo quis in inveſtiganda *calidi innati* natura plures in conſilium adhibeat Auctores, eo fere reddatur incertior. *Noſter* vero, ut tantam, ſcilicet, difficultatem & nodum quaſi gordium ſolvat, per *calidum innatum* idem, quod alii per *ſpiritum innatum*, intelligit, ita tamen, ut *inſitus* ille, cujus originem à ſemine derivat, & in corde potiſſimum hoſpitium ſuum habere ipſiusque animae praecipuum organon eſſe docet, *à naturali* caute diſtingvi mereatur. An autem *humidum primigenium* ad *calidi innati* esſentiam pertineat, dubitare videtur; Atque adeo *ſpiritus* potius *inſiti* ſeu *calidi innati* pabulum ſeu domicilium eſſe credit: Non tamen facile haec tria, *calorem*, *ſpiritum* & *humidum radicale* ſeparari, ſed ut balſamum naturale arctiſſimo nexu conjungi. Cum vero calidum iſtud innatum ad omnes actiones perficiendas non ſufficiat, ſed calido aliunde influente, à quo & foveatur & excitetur, indigeat: Hinc ſpiritibus id officii demandare non dubitat, quod, cum ex tenuiſſima & maxime ſincera ſanguinis parte geniti ſint, animae quaſi cum corpore uniendae vinculum actionumq; edendarum maxime neceſſarium inſtrumentum conſtituant. Hos trifariam diſtingvit, ita quidem, ut ſpiritus naturales differant a vitalibus, hi ab animalibus, & omnes ratione officiorum, quibus deſtinati ſunt. Quibus ita expeditis, agit de naturali partium organicarum conſtitutione, & tam ſimilaribus quam diſſimilaribus communi unitate, de animae facultatibus & actionibus, nutritione & augmentatione, de generatione & partu, quibus omnibus phyſica explicatio de ſenſibus tam externis quam internis ſubjungitur. Atque hoc omne eſt, quod *Phyſiologiam* ſecundum *Sennerti* noſtri mentem exhaurit.

§. CX.

Niſi igitur felicior fuerit in parte, quam nunc adgredimur, *Pathologica*, vereor, ne praecipitatum nimis a pleriſque cenſeatur *Laurembergii* judicium. Prolixitate interim multum ſuperat praecedentem; Tribus enim diſtinctis comprehenditur partibus, quarum *prima* de morbi natura & differentiis, de morbis intemperiei & totius ſubſtantiae ſeu occultarum qualitatum, de morbis compoſitionis, conformationis & ſolutae unitatis, nec non de eorundem temporibus tractat. *Altera* agit de morborum cauſis, quam doctrinam ideo ſumme neceſſariam medico eſſe exiſtimat, cum morbi neque vitari neque tolli poſſint, niſi cauſae caveantur; Et dividit eaſdem in proximam, remotam & procatarcticam, in cauſam per ſe & per accidens, in poſitivam & privativam, communem & propriam &c. Porro inter cauſas morborum refert res non naturales, plethoram atque cacochymiam, cujus ultimae occaſione ſeorſim de pituita, bile, ſucco melancholico, ſeroſo humore & flatibus agit, addendo tamen, humores non primis tantum qualitatibus corpora noſtra adficere, ſed praeter calidum, frigidum, humidum & ſiccum, amarum quoque & ſalſum & dulce & acidum & inſipidum & acerbum & ſexcenta alia, ſecundum *Hippocratis* effatum, homini moleſtiam creare. Hiſce omnibus ſubjungit generationem calculorum ac vermium, inque cauſarum morbificarum cenſum refert. Neque, ut tritam a vulgo viam ubique calcaſſe videatur, cauſas morborum intemperiei cum & ſine materia, totius ſubſtantiae, morborum organicorum & ſolutae unitatis prorſus negligit.

§. CXI.

Parte *tertia* ſectione prima loquitur de ſymptomatibus eorundemque differentiis. Et cum ipſas quoque facultates varia ratione diſtinxerit: Hinc agit primum de ſymptomatibus facultatis naturalis, quorſum atrophia, anorexia, dyſorexia, bulimia, malacia, apepſia, nauſea, vomitus,

mitus, ſingultus &c. referuntur. Ad ſymptomata facultatis vitalis reducit lipothymiam, ſyncopen, palpitationem cordis &c. tandemque, interjectis nonnullis de ſymptomatibus ſenſuum tam externorum quam internorum, nec non motricis facultatis, agit de ſymptomatibus, in quibus vel omnes vel pleraeque actiones animales laeduntur, uti ſunt lethargus, carus, catalepſis, apoplexia, epilepſia, vertigo &c. paucis adhuc de ſumptomatibus, quae in qualitatibus corporis mutatis conſiſtunt, diſſeritur. Alteram vero partis tertiae ſectionem ſibi vindicant diſquiſitiones aetiologicae circa cauſas diverſorum horum ſymptomatum inſtitutae, ubi eodem iterum ordine cauſis ſymptomatum facultatis naturalis, vitalis, animalis ſenſuumque tam externorum quam internorum facultatisque motricis recenſitis, univerſa tractatio enarratione cauſarum, quae ſymptomata qualitatum corporis mutatarum concernunt, obſignantur. Et fatemur quidem libere, ſingulas haſce partes ſingularem mereri animadverſionem; Verum cum prolixioribus nobis eſſe non liceat, id tantum breviſſimis repetimus, pleraque, quae circa cauſales deductiones adferuntur, principiis phyſiologicis *Auctoris* conformia ac proinde levioris momenti eſſe.

§. CXII.

In libro *tertio*, qui de ſignis agit, parte prima ſectione prima eruuntur praecipuae ſignorum differentiae eorundemque fontes, & ante omnia inquiritur in methodi ſemeioticae neceſſitatem & utilitatem. Ita enim omnino res habere ſeſe videtur, ſicuti *Sennertus* noſter obſervavit: Aegros nempe, videntes ea, quae ſibi eveniunt, jam antea medico cognita fuiſſe, non ſolum medicinam extollere, ſed & medico magis obedire magisque fidere; Atque ita *methodum ſemeioticam* non ſolum ad curationem neceſſariam eſſe, ſed & auctoritatem artis non parum promovere concludit. Adde, medicum ea praevidentem, quae aegris obventura ſunt, tempeſtive iis occurrere poſſe. Hac proinde ſcientia in-

ſtructus artifex vulgi calumnias longe facilius evitare poteſt, dum, quae futura ſunt, praedicit, nec optima medicamenta, quae pluribus profuerunt, infamat, ea illis exhibendo, in quibus nulla ſalutis ſpes ſupereſt. Hinc igitur ſectione ſecunda pergit ad ſigna, quibus tam univerſi corporis humani, quam praecipuarum ejus prartium temperies cognoſcitur. Qua in re fruſtra omnino fuiſſe *Sennertum*, extra dubium eſt, quia nulla pars prae altera calidior eſt vel frigidior, humidior vel ſiccior, quam prout vel plus vel minus ſanguinis vel ſeri intra ſeſe recipit.

§. CXIII.

Interim ſectione tertia ſeſe confert *Auctor* ad declaranda ſigna, quae ex urina peti poſſunt; Ubi expoſito vulgari inſpectionis urinarum abuſu, primum de earundem differentiis, ſubſtantia & affectionibus, deinde de earundem contentis & cauſis urinarum tenuium, mediocrium & craſſarum, clararum item atque turbidarum colorumque, odoris, quantitatis ſimiliumque accidentium rationibus diſſerit, ſimulque regulas praeſcribit, ſecundum quas ei procedendum ſit, qui urinas rite & cum fructu inſpicere cupit, cum univerſa reliqua operoſa urinarum pertractatio & in morbis cognoſcendis & eorundem cauſis indagandis & eventu eorundem praedicendo tantum verſetur. Et cum nonnulli ſpurii artis filii quidvis ex quavis urina polliceri ac temere praeſagire audeant: Non ſane inutilem ſuſcipit laborem *Noſter*, qui experientiae ductum ſecutus philiatris demonſtraverit, quid potiſſimum ex urinis perſpici ac praedici queat? Digreſſione hinc ad doctrinam de pulſibus facta, exponit ſimplices primum, deinde vero compoſitas pulſuum rationes atque differentias; Poſthaec vero declarat neceſſaria quaedam requiſita, quibus inſtructum eſſe oporteat eum, qui pulſus eorundemq; cauſas atque differentias tam ſimplices quam compoſitas cognoſcere, quidve illarum quaelibet ſignificet atque praeſagiat, perite exponere cupit? Non neglecta

tamen

tamen etiam ſolerti penſitatione pulſuum, qui vel ſalutem vel mortem vel futuram criſin praenunciant. Et ſicuti pars ſecunda libri tertii *diagnoſtica:* Ita tertia ejusdem libri *prognoſtica* proſequitur, eodem propemodum modo ac ſerie, ſicuti alii *Inſtitutionum* ſcriptores ſignorum doctrinam pertractare conſueverunt.

§. CXIV.

Libro *Inſtitutionum* quarto occupatus eſt in explicandis rebus, quae ad ſanitatem tuendam neceſſariae ſunt. Prius vero, quam ad ſpecialia accedat, conſultum eſſe duxit, generalia quaedam axiomata, tam in modo tuendae ſanitatis quam in methodo medendi obſervanda praemittere, qualia ſunt: Naturam nihil temere agere; Omne nimium naturae eſſe inimicum; Eam non facere ſubitas mutationes, &, ſi faciat, eſſe periculoſas; Semel multum & repente vel evacuare, vel refrigerare, aut alio quovis modo corpus movere, periculoſum eſſe; Quae longo tempore extenuata ſunt corpora, ſenſim reficienda eſſe; Quae vero brevi, repente; Naturam eſſe morborum medicatricem; medicum vero ejusdem miniſtrum; Conſuetudinem eſſe alteram naturam; Et conſueta longo tempore, etiamſi deteriora ſint, inſuetis minus moleſta eſſe ſolere; Et quae ſunt ejus generis plura.

§. CXV.

Quibus ita praemiſſis *hygieinen*, doctrinam nempe in arte noſtra longe utiliſſimam exorditur, quam duobus membris comprehendit, quorum altero ſeries earum rerum, quae quaſi materia ſunt ſanitatis, rerum ſcilicet non naturalium, quae quippe ſingulae corpus noſtrum varia ratione adficiendi vi pollent, exponitur. Quia vero dictae illae cauſae non ſolum ſanitatem corporis conſervare, ſed & evertere eandem poſſunt, niſi juſta menſura, modo ac tempore opportuno adhibeantur, magnaque ſit ratione aetatis, ſexus, temperamentorum aliarumq; circumſtantiarum, & corporum diverſitas, neque omnibus eadem commoda

moda ſint atque utilia: Hinc *ſecundo membro* proponit methodum tuendae ſanitatis, qua nempe ratione ſingulis iſtis rebus non naturalibus vulgo ſic dictis recte utendum ſit, ut ſanitas ſarta tectaque conſervetur, & corpus humanum, quantum fieri poteſt, ad ſummam, ſine multis morbis, ſenectutem perducatur? Atque adeo *Sennertus* agit primum de cauſarum ſalubrium vi atque facultate, deinde vero methodum tuendae ſanitatis exponit, rationemque hiſce omnibus, pro conſervanda valetudine, recte utendi ſubjungit.

§. CXVI.

Quinto & ultimo *libro* pars medicinae *therapevtica* explicatur, quae nempe hominem in morbos jam prolapſum priſtinae ſanitati reſtituere & morbos varios propulſare docet. Ad quem finem ut pertingat medicus, duobus inſtructum ſubſidiis eundem eſſe debere, vult *Sennertus*, nempe *primo* methodo, qua per certas indicationes remedia ſeu juvantia inveniantur; *Deinde* vero materia auxiliorum, qua etiam id, quod per indicationes inventum eſt, exequatur: Quorſum non ſolum totam de medicamentorum facultatibus doctrinam, ſed & de chirurgicis auxiliis & materia diaetetica tractationem reducit. Ad haec enim tria capita, nimirum *diaetam*, *chirurgiam* & *pharmaciam* omnia medici inſtrumenta revocari poſſunt. Ut adeo hoc poſtremo libro agat *Sennertus* non tantum de ſimplicium medicamentorum facultatibus & auxiliis chirurgicis, quatenus ad materiam medicam pertinent; Sed & de methodo medendi ipſorumque remediorum compoſitione. Quia vero medicamentorum facultates non aliter, niſi methodo *Galenicis* conſueta & ſolemni, per primas nempe qualitates, *calidum*, *frigidum*, *humidum* & *ſiccum* in *primo*, *ſecundo*, *tertio* & *quarto gradu* explicantur: Hinc in iis prolixius enarrandis non morabimur.

§. CXVII.

In *Chirurgia* vero nihil aliud praeſtat, quam ut quinque generales Chirurgiae operationes breviter percurrat,

nempe *ſynthesin* ſeu ſeparatorum conjunctionem, *diorthoſin*, ſeu eorum, quae intorta, inflexa vel compreſſa ſunt, correctionem, *diaereſin* ſeu continui ſolutionem & *exaereſin* ſeu ſuperfluorum extirpationem ac deficientium reſtitutionem. Ad *ſynthesin* refert deligationem per ſplenia, ferulas & laqueos, deinde oſſium fractorum coäptationem, luxatorum oſſium reſtitutionem & partium molliorum v. g. uteri vel inteſtini recti &c. in loca ſua naturalia repoſitionem, uti & partium vulneratarum per ſuturas, gluten ac fibulas faſciationem. Ad *diaereſin* reducit venaeſectionem, abſceſſuum apertionem, fiſtularum inciſionem, partium p. n. conjunctarum ſeparationem, ſcarificationem, uſtionem, rerum tam in corpore genitarum & p. n. retentarum, quam eidem foris illatarum extractionem &c. Tandemque capite ultimo adhuc de partium amiſſarum reſtitutione, quam *Chirurgiam curtorum* vocant, agitur.

§. CXVIII.

Cum vero neutiquam ſufficiat medico, inſtrumenta ſeu adminicula ad ſanitatis priſtinae recuperationem morborumque depulſionem utilia noſſe, ſed & opus ſit, perſpectum habere, qua ratione quolibet remedio ita utendum ſit, ut amiſſa ſanitas inſtauretur: Hinc *methodum medendi* nunc ſubjungere *Sennerto* placuit. Id autem eo ordine fecit, ut primum aliquem quaſi praeguſtum praeberet philiatris de medendi methodo & indicationibus in genere; Quem in finem ſequentia fundamenta ac veluti axiomata ex *Galeno* ſubminiſtravit: Omne, quod indicat, aut ſui conſervationem aut ablationem indicare: Quod ſecundum naturam eſt, conſervandum, quod vero praeter naturam, tollendum eſſe; Contraria contrariis removeri, ſicuti ſimilia ſimilibus conſervantur &c. Quibus ita generatim praelibatis, ſpecialius diſquiritur, quid cauſae morbificae & inter illas cacochymia indicent? Ubi deinde ordine agitur de evacuatione per purgationem, urinas, ſudores nec non de particularibus evacuandi modis, de

tollenda ſanguinis abundantia per hirudines, cucurbitulas, ſcarificationem, venaeſectionem &c. non neglecta hic etiam, tanquam loco admodum opportuno, doctrina de revulſione ac derivatione humorum, quae per univerſam praxin medicam latiſſime ſeſe diffundit. In methodo vero curandi morbos intemperiei totiusque ſubſtantiae brevior eſt, quam per ea, quae ſuperius *theoretice* de illis rebus dicta atque prolata fuerant, ſperari licuiſſet: Sicuti & ea, quae ad indicationem vitalem pertinebant, breviſſimis expedivit.

§. CXIX.

Supereſt *Pharmacopoeia*, quae ad calcem *Inſtitutionum Sennertianarum* adjicitur, quamque multas ob rationes medico neceſſariam eſſe exiſtimat, eſtque illa *medicinae therapevticae* pars ſubſidiaria, quae de genuina medicamentorum praeparatione & compoſitione tractat. Expoſitis itaque, quae ad praeparationem medicamentorum artificioſam neceſſaria eſſe judicavit, additisque menſuris ac ponderibus medicorum, nec non praecipuorum medicamentorum doſibus declaratis, propius deinde accedit ad ipſas Chymicorum operationes, magis tamen generales ac veluti miniſtras, quales ſunt tritura, laevigatio, raſio, limatio, liquatio, ſolutio, deliquium, toſtio, uſtio, cinefactio, calcinatio, putrefactio, fermentatio, cribratio, lotio, maceratio, infuſio, coctio, colatio, deſpumatio, clarificatio, filtratio, digeſtio & expreſſio &c. Deinde vero varias medicamentorum formas exponit, uti ſunt decocta tam purgantia quam alterantia, infuſa, vina medicata, aquae & ſpiritus deſtillati &c. In quibus omnibus licet debitam, quae talibus in rebus requiritur, exactitudinem nondum adſecutus fuerit *Sennertus*, in eo tamen laudandus eſt, quod à prava illa, quae ad ea usque tempora viguerat, conſuetudine medicorum receſſerit, & in eo quoque doctrinae medicae genere praeſtare aliquid voluerit, licet novatoris vel plane *haeretici medici* ignominioſiſſimo nomine ſubinde à coecis antiquitatis adoratoribus fuerit traductus, ſicuti in

Praefa-

Praefationibus huic operi praemiſſis hinc inde conqueritur. An vero *plagiariorum* ſeriei, id quod *Stollium* feciſſe, haud ita pridem in ejusdem *introductione in hiſtoriam litterariam medicinae* obſervavi, adnumerandus ſit, alio loco commodius diſquiram.

§. CXX.

Atque haec eſt genuina *Inſtitutionum Sennertianarum* facies, quas, cum nimia prolixitate laborare ipſemet animadverteret, in epitomen contrahere non dubitavit. Quod Viri celeberrimi inſtitutum alii quoque ſecuti ſunt, & *Inſtitutionum Sennertianarum* compendium, alii hac, alii alia forma ac facie exhibere conati ſunt. Sic *Johannes Theodorus Schenckius*, M. D. ejusdemque Prof. in Acad. Jenenſi publicus, qui *Gothofredo Moebio*, inſtitutionum dicta in univerſitate Profeſſori Ordinario ſucceſſerat, *ſynopſin Inſtitutionum medicinae diſputatoriam* reliquit, de quibus ipſemet teſtatur, quod in illis opera *Danielis Sennerti* & *Guerneri Rolſincii* uſus fuerit. Continent, praeter *prolegomena*, etiam *phyſiologiam* & *pathologiam*, quae partes omnes veterum non minus quam recentiorum fundamentis principiisque ſunt illuſtratae. Methodus ipſi, ut nonnullis aliis, arriſit *diſputatoria*, quae quippe uti juventuti Academicae informandae ad exercitandum; Ita ad vires ingenii in palaeſtra diſputatoria periclitandum eſt adcommodatiſſima.

§. CXXI.

Quod ſpeciatim *prolegomena* attinet, illis more, inſtitutioniſtis ſolemni, agit non modo de primis artis medicae originibus, ſectis, neceſſitate & praeſtantia, ſed ipſam quoque ejusdem definitionem diviſionemque in ſuas partes exhibet.

§. CXXII.

Quibus ita praemiſſis ad *phyſiologiam* ſeſe confert, tractatque primum de ſanitate, quam cum *Galeno* definit, *eſſe potentiam corporis exercendi actiones naturales*; ſive plenius: *Eſſe conſtitutionem corporis naturalis & conſequenter partium ejus viventium*,

tium, actiones vitae neceſſarias exercendi vim habentem. *Potentiae* huic opponit *impotentiam*, quam *morbum eſſe*, ait. Partes corporis cum *Hippocrate* diſtinguit in *humores*, *ſpiritus* & *partes ſolidas*. *Has* iterum diſpeſcit in *ſimilares* & *diſſimilares*; Illas tamen nempe ſimilares neutiquam *ſpermaticas* cum veteribus eſſe dicendas, rite ſuſtinet. In deſcribendis *ſpiritibus*, *calido innato* & *humido primigenio* plus ſibi faceſſit negotii, quam uſus exiguus ex tricis talibus ſcholarum expectandus, requirebat. Eodem plane modo in recenſendis animae facultatibus ſeſe gerit. Has quoque, abſente vel deſtructo temperamento, nihil operari, ſed ab actione ſua ceſſare exiſtimat. Illud autem ſic deſcribit: *Eſſe qualitatem ex mutua actione primarum qualitatum*, calidi nempe, frigidi, humidi & ſicci, *ortam*, *ex iisque remiſſis & fractis reſultantem*. Praeter praedictas qualitates in ſanguine etiam *ſalſum*, *dulce*, *acidum*, *acerbum*, *amarum*, *inſipidum* & *reliqua infinita*, *omnigenas facultales* habentia admittit, quae omnia, licet homini inſint, eum tamen non adfligant, dummodo mixta ac bene contemperata ſint.

§. CXXIII.

Plura talia recenſere merito ſuperſedeo, ex quibus interim colligi facile poteſt, aliam faciem ipſam quoque *pathologiam*, ſi *phyſiologiae*, ut decet, reſpondere debeat, habere vix poſſe.

§. CXXIV.

Porro in Academia Lipſienſi compendium ejusdem *Sennerti Inſtitutionum* XVII. diſputationibus publice propoſuit *Georgius Mochingerus*. Non minus *Chriſtianus Winckelmannus* in tyronum medicinae gratiam Viri clariſſimi, *Danielis Sennerti Inſtitutionum medicinae* ſummam, tabularum forma breviter atque ſuccincte concinnavit. Similiterque aphoriſmos ex *Sennerti Inſtitutionibus medicis* magna induſtria collegit *Johannes Joachimus Becherus*, Spirenſis, Med. D. & in Alma Moguntina Inſtitutionum P. P. qui aliis quoque ſcriptis, inprimis Phyſica ſua ſubterranea eruditis ſatis ſeſe commen-

mendavit. Aphoriſtica forma concinnavit inſtitutiones ſuas, ne ea parte moleſtus eſſet, qua ipſius olim Praeceptores moleſtiam olim crearunt.

§. CXXV.

Alia plane via inceſſit *Jacobus Barnerus*, Elbingenſis, qui, uti anatomicae pariter ac chymicae artis admodum peritus erat: Ita etiam ex principiis anatomico-chymicis artem medicam illuſtrare cordi habuit: Quare prodromum *Sennerti novi*, ſeu delineationem novi medicinae ſyſtematis evulgavit, in quo, quicquid à primis ſeculis in hunc usq; diem de arte prodiit, *Hippocratis*, *Galeni*, *Paracelſi*, *Helmontii*, *Sylvii*, *Williſii &c.* dogmata, examinare ſuſcepit. Opuſculum nec lectu injucundum nec omnino inutile eſt, ſed attentum & circumſpectum requirit lectorem, ne aliena, praxi contraria, in artem praeter opinionem invehantur.

§. CXXVI.

Condidit quoque *Inſtitutiones medicas Johannes Chriſtophorus Geilfuſius*, medicinarum Doctor & Practicus, quas quidem primum in uſum Collegii privati conſcripſerat & auditoribus ſuis explicuerat, deinde vero reviſas, & hiſtoriis, obſervationibus ſecretisque multis, quae titulus jactat, auctas in lucem edidit. Praemiſſis paucis, ut fere ſolent *Inſtitutionum* ſcriptores, de medicinae conſtitutione generali & enarratis praecipuis ejus partibus, *phyſiologia, pathologia, ſemeiologia, therapevtica* atque *hygieine*, ad naturam hominis ſpecialius in parte *phyſiologica* explicandam deproperat, quae quippe, humana nempe natura ſit vera medicatrix, cui omnis medicina artificialis dextre adhibita tantum ancilletur. Ad ea vero, quae homini natura inſunt, refert praeter temperamenta, ſpiritus, partes, humoreſque, quibus quoque functiones addit. De temperamento ratiocinatur more veterum; Exiſtimat enim, ad complexionem quam naturam hominis vulgo vocant, tria requiri, nempe elementum, calidum innatum & animae praeſentiam;

Ex quibus proinde abſolutam hominis temperationem, cuivis individuo congruam, emergere credit: Quae an utiliſſimam hanc & medico abſolute ſcitu neceſſariam doctrinam multum illuſtrent, admodum dubito. Hinc ad partium diviſionem progreditur, atque more recepto in *continentia*, *contenta* & *impetum facientia* univerſum hominis corpus diſtingvit, non omiſſis tamen etiam reliquis partium diviſionibus in ſimilares & diſſimilares, inſtrumentales ſeu organicas, principes & miniſtras, aliisque, quas hodie *Phyſiologi* nullo amplius numero habent.

§. CXXVII.

Quibus ita praemiſſis, hiſtoriam trium cavitatum, in quas corpus humanum ab Anatomicis dividi conſuevit, omniumque viſcerum in illis contentorum proſequitur, eique artuum conſiderationem ſubjungit; Qua tota in tractatione nihil occurrit, quod non centies ab aliis dictum fuerit. Hiſce interim ſic expoſitis, pergit ad ſanguinem ejusdemque motum; Elaboratio illius, ſecundum mentem *Auctoris* noſtri, qui hic iterum veſtigia premit veterum, ſuccedit ex chylo, proprio hepatis calido; Eadem propemodum ratione, ſicuti vinum generatur in vite, ita hepatis parenchyma bene valens calidoque geniali vegetum gignere purum atque defaecatiſſimum ſanguinem opinatur. Motum tamen circularem recte agnovit eumque ex venaeſectione ipſoque ſenſu probavit. Quae vero de functionibus circa finem hujus partis adduntur, magni momenti non ſunt.

§. CXXVIII.

In libro *Inſtitutionum* ſuarum *ſecundo* agit *Geilfuſius* de morbo ejusdemque cauſa & ſymptomate: Cauſam enim ſequitur morbus & morbum comitatur ſymptoma. Sicuti autem ſanitatem in hiſce tribus conſiſtere dixit, nempe in convenienti craſi, deinde in naturali juſtaque habitudine organorum, ac denique in unitate: Ita triplex morbi genus inde reſultare docuit, nempe morbum intemperiei

riei ſeu perverſam diſpoſitionem craſεωs, deinde morbum compoſitionis ſeu malam diſpoſitionem organizationis ac denique morbum ſolutae unitatis, qui organi violenter diviſi habitudinem ſupponit: Quae tria ſumma morborum genera, ſi verum fateri fas eſt, anguſtiora ſunt, quam ut omnes morbi eo reduci queant. His in genere praemiſſis, ſiſtitur deinde brevis & compendioſa enarratio adfectuum cordis, ſtomachi, inteſtinorum, jecoris, lienis, renum atque teſticulorum, nec non ipſius quoque pectoris & cerebri, addita tamen etiam ſuccincta morborum muliebrium delineatione.

§. CXXIX.

Tertia pars brevior eſt, in qua quippe, poſteaquam ſignorum definitionem atque diviſionem propoſuit *Auctor*, ſpecialius agitur de ſignis, quibus morbi ſpecies inveſtigatur, deinde de inſpectione urinarum, exploratione pulſus, praeſagiis, criſibus ſignisque laeſionis viſcerum.

§. CXXX.

In *medendi methodo* diſſeritur primum de indicatione & remediorum inventione, tum vero, qua ratione eorundem vires atque facultates, nec non remedia ipſa lege artis paranda ſint, monſtratur. Poſtremo agitur de actu purgatorio & venaeſectione, cui tanquam vicariam ſubſtituit ſcarificationem & pauciſſimis adhuc ratio victus perſtringitur. Ubi hoc unicum tantum monere placet, *Auctorem* noſtrum longe plus in rubro promiſiſſe, quam in nigro praeſtitit. Ubi enim ſunt rariores obſervationes, quas titulus pollicetur? Ubi ſecreta? Quae etiam, ſi lucerna Diogenis quaereres, non reperies? Atque adeo *Inſtitutionibus* hiſce pereuntibus, mundum quoque periturum, non facile metuendum eſt.

§. CXXXI.

Spero etiam, orbem eruditum ſine incommodo vel detrimento nunc cariturum *Inſtitutionibus Caſpari Hoffmanni*, medicinarum Doctoris & Profeſſoris in *Academia Noricorum Altdorffi-*

dorſſina, qui ſatis etiam prolixe in hunc ſeſe campum diffudit, ut integris VI. libris *Inſtitutiones medicas* complexus ſit, quas deinde in compendium ipſemet redegit, ex quo proinde, quid ſperare debeant tyrones artis, paucis hoc modo declaramus.

§. CXXXII.

Galeni ſtrenuum fuiſſe ſectatorem *Noſtrum*, extra dubium eſt: Quia in varia ejus ſcripta commentarios compoſuit, quales ſunt de uſu partium humani corporis &c. potiſſimum vero teſtis ejus rei eſt apologia pro *Galeno* ſive *χρηϛομαθειων* opus, quod veritati medicinalium dogmatum illuſtrandae, Galenique gloriae adſerendae utiliſſimum, omnibus denique ſanioris medicinae cultoribus ſumme neceſſarium eſſe depraedicat.

§. CXXXIII.

Aſt vero, ut ad Inſtitutiones *Hoffmanni* noſtri propius accedamus, primo ſtatim in limine animadvertere jubemus Lectorem, eum quoad *univerſalia* de medicinae natura, ſubjecto, fine ac diviſione communem & a pleriſque hactenus tritam calcaſſe viam. In *Phyſiologia* agit de elementis more Phyſicorum, deinde de temperamentis, quae ad mentem *Galeni* vel ut *ſimplicia*, vel ut *compoſita* conſiderat, atque adeo priori intuitu temperamentum diſtinguit in *calidum*, *frigidum*, *humidum* & *ſiccum*, poſteriori vero in *calido humidum* & *calido ſiccum*, in *frigido-ſiccum* & *frigido-humidum*. Subjungit deinde tractationem de partibus ſolidis, quas in *ſimilares* ac *diſſimilares* aliorum more diſtinguit, ad priorem claſſem referendo carnem & fibras, membranas atque tunicas, venas, arterias, nervos, tendines & muſculos, ligamenta, cartilagines & oſſa, ungues, pilos, glandulas, cutim, cuticulam & membranam carnoſam. Hanc tractationem excipit hiſtoria partium ſolidarum *diſſimilarium*, quorſum refert abdomen ejuſque muſculos, peritoneum, gulam, oeſophagum, ventriculum, inteſtina, meſenterium cum vaſis meſeraicis & pancreate, omentum, hepar, lienem,

veſicam felleam, renes cum vaſis emulgentibus, veſicam urinariam cum ureteribus, vaſa ſpermatica foeminarum cum teſtibus & utero, mammas, thoracem, coſtas, ſternum cum muſculis thoracis, diaphragma, pleuram & mediaſtinum una cum corde, quod ambitu ſuo thoracem in partem dextram atque ſiniſtram diſtinguit.

§. CXXXIV.

Hic vero, digreſſione quadam facta, de calido nativo paucula commentatur, de cujus origine hunc Lectori ſuo conceptum inſinuare conatur, derivandam illud eſſe ex ſemine paterno, quod in uterum receptum ex attracto ſanguine domum ſibi formet; Ipſum vero vel totum vel maximam partem abſumi in ſubſtantiam ſanguineam, eo modo, quo coagulum in caſeos vel fermentum in panes reciperetur. Progreditur hinc ad pericardium & humorem in eo contentum, venam arterioſam & arteriam venoſam earundemque valvulas, venam cavam, arteriam magnam & earundem valvulas, auriculas cordis, ligamenta, vaſa nutrientia & thymum, pulmones, aſperam arteriam, caput & ſpinam, pericranium, cranium, ſuturas cranii, utramq; meningem, cerebrum & cerebellum, nervos inde oriundos, muſculos capitis ejusque motum ſuper ſpina. Hinc diſcurſum ſuum proſequitur, agitque de ſpina ejusque partibus, de vertebris ſpinae, cartilaginibus & earum ligamentis, de meningibus ſpinalis medullae & medulla ipſa, de nervis inde ortis, de muſculis ſpinalibus, oculis partibusque omnibus circumſtantibus, de humoribus, tunicis, muſculis & trochlea, de vaſis, de auribus & reliquis externorum ſenſuum organis, ut & artubus tam ſuperioribus quam inferioribus: Quae tamen omnia ex Anatomicis praeſupponenda, non docenda vel ex profeſſo inculcanda erant.

§. CXXXV.

Deſcriptionem partium ſolidarum excipit doctrina humorum, ubi agitur de chylo ejusque viis, quas ille me-

ſeraicas rubras eſſe exiſtimat, quae quippe chylum ſub vaporis ſpecie attrahant & ad officinas ſangvificas, hepar atque lienem deferant. Hinc porro ſermo inſtituitur de ſanguine ejusque temperamento ac differentiis, ubi etiam quaeſtio diſcutitur, quaenam pars princeps ſit in opere ſanguificationis? Suſcipitur deinde tractatio de excrementis, & primum quidem utilibus, uti eſt ſemen tam maſculinum quam foemininum, lac, pingvedo, medulla oſſium, deinde vero etiam inutilibus ſingularum coctionum, ubi ad excrementa primae coctionis refert pituitam ejusque varias ſpecies, ſalivam & ſputum, ad excrementa ſecundarum coctionum bilem cum ſucco melancholico & ad tertiae coctionis excrementa ſerum atque ichores. Ad excrementa particularia reducit fuligines cerebri, quae partim per ſuturas, partim per os ſphenoides, cui *Noſter* quoque ethmoides addit, pertranſeant. Huc pertinent excrementa oculorum & aurium, lacrymae nempe cum cerumine. Tandemque univerſam tractationem *phyſiologicam* doctrina de facultatibus & actionibus obſignat.

§. CXXXVI.

Phyſiologiam excipit *Pathologia*, ubi, miſſis univerſalibus de ſanitate ac morbo in genere, utriusque ſubjecto atque differentiis, cauſis, ſymptomatis &c. deſcendit *Hoffmannus* ad particularia, ubi agit de intemperie nuda, morboſa, calida, tam ſimplici quam compoſita, quorſum refert febres, quarum differentias, cauſas & ſymptomata ordine exponit. Hinc pergit ad intemperiem viſcerum deque ventriculi, inteſtinorum, hepatis & lienis, ut & renum & cerebri imbecillitate eaque occaſione de melancholia, vertigine, mania, memoriae imminutione, & fatuitate &c. agit. Ad intemperies cum ſubſtantiae affluxu reducit eryſipelas, inflammationem, oedema atque ſcirrhum, & pro varia compoſitionis ratione inflammationem eryſipelatoden, eryſipelas phlegmonodes, & ſic de caeteris; Quibus hiſtoria inflammationum particularium, ventriculi v. g. inteſti-

norum,

norum, meſenterii, renum, uteri, veſicae urinariae & diapragmatis ſubjungitur. Ad ſeriem vero morborum organicorum referuntur morbi conformationis in figura &c. quos excipiunt morbi tam in cavitatibus ſtrictis quam laxis, quos ordine referre nimis prolixum foret.

§. CXXXVII.

In *ſemeiotica* hanc ſignorum doctrinam in ordinem redigere adlaboravit: Unde praecipuos eorundem fontes conſtituit praeter alia temperamentum tam totius quam partium, quod tamen univerſum negotium falſo conceptu de frigiditate vel caliditate horum vel illorum viſcerum nititur: Unde ſuo illa loco relinquentes id tantum addimus, quod ſigna *pathognomonica* ex *Galeni* mente ſic ſatis adcurate recenſita ſint. *Prognoſin* vero more reliquorum ex urinis, ſudoribus, vomitibus atque dejectionibus, ſputo, pulſibus, reſpiratione &c. petendam eſſe docet.

§. CXXXVIII.

Poſtquam igitur hoc modo tyronem artis ſatis inſtruxit in cognitione, quae ad artem ipſam pertinet: Proximum nunc eſt, ut illi quoque inſtrumenta ſuppeditet ac doceat, qua ratione uti illis debeat? Sunt autem haec inſtrumenta diaetetica, pharmacevtica atque chirurgica, quae, prout reliqua omnia, breviter, attamen more ſuo adcurate pro ſua, quam de rebus hiſce habebat, theoria perſtringit.

§. CXXXIX.

Prius vero, quam *Hoffmannum* noſtrum deſeramus, adhuc paucis notamus, quod Jſagogen medicam doctiſſimi hujus viri, quem *Hermannus Conringius* ſemper χαριεςατον ſuum vocat, ediderit *Jacobus Pancratius Bruno*, Altdorffinus. Huc etiam pertinent dogmata medicinae generalia, in ordinem ab ipſo redacta, à rebus extraneis depurata, & ad vera, inprimis recentiorum principia adcommodata.

§. CXL.

Suus etiam locus inter *Inſtitutionum* ſcriptores eſt relinquendus *Lazaro Riverio*, conſiliario, medico & profeſſori Regis Galliarum, Ludovici XIII. nec non regiorum in *Univerſitate Monſpelienſi* medicinae profeſſorum Decano, qui, cum ingenioſe expendiſſet, pari propemodum difficultate ad practicam medicinae partem accedi, & ex coelo quaſi artem optimam ad ipſa aegrorum cubilia devocari, niſi theoreticas ejus partes, *phyſiologiam, pathologiam, ſemeioticam* & ipſam quoque *medendi methodum* generalem adſidue prius excoluerint tyrones, pari, inquam, difficultate, qua olim divinus Socrates à theoretica Philoſophia ad practicam acceſſit, atque ita divinam artem quaſi e coelo in urbes devocaſſe dictus eſt: Hinc ut artem, non paucis difficultatibus implicitam, tanto faciliorem philiatris redderet, *Inſtitutionum* forma de ſingulis medicinae partibus eo modo diſſeruit, quem genius temporum, quibus vixit, permittebat. Neque omnia indiſcriminatim, quod ante ipſum pene multi fecerant, ex *Hippocrate* & *Galeno* mutuatus eſt, verum non pauca quoque de ſuo addidit: Ut in epiſtola dedicatoria ad *Franciſcum Vautierium*, olim *Mariae Medicae, Reginae Chriſtianiſſimae* Archiatrum, tum vero *Archiatrorum Galliae Comitem*, ſcribere non erubuerit, miraturos eſſe antiquos Jätricae diſciplinae parentes, ſi hodie reviviſcerent, eximiam artis magnitudinem tot poſterorum inventis locupletatam, tot experimentis auctam, ut formam pene cum aetate commutaſſe videretur. Neque tamen diſſimulare poteſt, in theorica medicinae parte, eadem prorſus apud pleroſque Auctores occurrere praecepta, adeo ut eandem cramben iterum atque iterum coctam ac decoctam non ſine taedio eſitare cogantur Lectores; A quorum tamen numero ipſum quoque *Riverium* minime excludendum eſſe, facile fatebuntur omnes, quibus integrum *Inſtitutionum* opus animo recolere volupe fuerit.

§. CXLI.

§. CXLI.

Dividitur illud, praeter praecognita in univerſam medicinam, in *phyſiologiam*, *pathologiam*, *ſemeioticam*, *hygieinen* & *therapeuticam*, quo modo etiam caeteri plerique ſcriptores *inſtitutiones* ſuas hucusque diſpertiri conſveverunt. *Phyſiologia* ſeptem continetur ſectionibus, in quarum *prima* de elementorum natura, numero, qualitatibus & mixtione; In *ſecunda* de temperamentis eorumque differentiis & criteriis, nec non de temperamentis aetatum, ſexuum anniq; temporum agitur. *Tertia* expendit humorum indolem & differentias agitque primum de ſanguine proprie dicto, de pituita, bile & melancholia alimentaria, porro de humoribus ſecundariis, bile & melancholia excrementitia, de ſero & pituita excrementitia &c. *Quarta* doctrinam de ſpiritibus eorundemq; differentiis & calido innato proſequitur. *Quinta* naturam partium ſimilarium, diſſimilarium & organicarum; *Sexta* facultates earumque functiones, & *ſeptima* denique hominis generationem perſcrutatur, & de ſemine utriusque ſexus, de ſanguine menſtruo mulierum, de conceptione ſingularumque partium delineatione ac perfectione nec non de partu ſermonem inſtituit.

§. CXLII.

Quod *pathologiam Riverianam* attinet, illa quatuor tantum ſectionibus comprehenditur, in quarum *prima* non modo morbi natura in genere, ſed & variae illius differentiae, potiſſimum accidentales, explicantur. In *altera* agitur de mutationibus morborum ac potiſſimum de criſibus & cauſis tam criſium quam ipſorum quoque dierum criticorum; Ubi quidem non pauca lectu digna occurrunt; Multis tamen modis ſupervacuum etiam videri poſſet, praeter naturam ipſos coeli aſtrorumq; motus & influxus, tanquam criſium cauſas allegare. Interea ſicuti ſectione *tertia* morborum cauſae; Ita in *quarta* ſymptomatum natura, cauſae atque differentiae expenduntur.

§. CXLIII.

In *ſemeiotica Inſtitutionum parte*, tradita *duabus prioribus ſectionibus* ſignorum natura in genere & declaratis praecipuis fontibus, ex quibus peti ſolent, exhibentur primum quorumvis humorum in corpore praedominantium ſigna, quibus deinde ſigna partium vel primario vel per conſenſum tantum laborantium, morborum itidem vel benignorum vel malignorum, acutorum vel chronicorum &c. ſubjunguntur. Hinc *ſectione tertia* ad *prognoſin* fit tranſitus: Sicuti autem hac *prognoſtica* medicinae parte magnam inprimis famam atque auctoritatem medicus conciliare ſibi poteſt: Ita *Riverium* noſtrum non vulgariter in ea verſatum fuiſſe, tota hac ſectione ſolide demonſtravit, in qua multa lectu jucunda & utilia ſimulque apprime neceſſaria occurrunt, quae de modo criſium, de tempore, quo morbi finiuntur ad ipſam usque diem & horam criſeos, de loco, per quem futura eſt, an per vomitum, vel alvi fluxum, vel ſudores, vel urinas, haemorrhagiam vel menſes & haemorrhoides vel per abſceſſus ſucceſſura? Imo plane de ſignis futuri delirii, de ſignis convulſionis & futurae recidivae magno cum judicio & prudentia practico-clinica diſſeruit.

§. CXLIV.

Et ſicuti non minus mortales ſibi devincit, qui regularem vivendi rationem ipſis praeſcribendo ab inſultibus morborum praeſervat, quam qui eosdem jam actu aegrotantes à quovis graviſſimo morbo liberat: Ita nec hanc medicinae partem intactam reliquit *Riverius*. Expoſuit enim ordine naturam eſculentorum ac potulentorum, determinavit eorundem quantitatem ac qualitatem, ordinem, tempus & horam adſumendi, conſvetudinem ac delectationem in uſu alimentorum, victum non ſingulis modo aetatibus ſed & quibusvis anni temporibus idoneum una cum hiſtorica enarratione praecipuorum alimentorum, uti ſunt panis, hordeum, coryza, avena, olera & radices uſitatiores eſculentae quaeque ex animalium genere petuntur. Quibus

omnibus circa finem exercitatio de uſu & abuſu rerum non naturalium additur.

§. CXLV.

Poſtrema ſeu *therapevtica* parte, qua medendi methodus generalis exhibetur, *ſectione prima* agitur de indicationibus illarumque differentiis, de indicantibus, coindicantibus, contraindicantibus & correpugnantibus, de indicato nec non primo atque generaliſſimo curationis principio, quod eſt: *Contraria contrariis curari.* Quanquam autem de iſto, ſi ſic dici mereatur, principio, eandem ſibi pollicitus ſit certitudinem, quam de ſuis axiomatibus ſibi hactenus promiſerunt Mathematici: Attamen innumeris, quod vulgo dicunt, inſtantiis res illa infringi facile poteſt, &, ſi conjicere fas eſt, non aliam forte ob rationem iis temporibus dominatum in ſcholis medicorum obtinuit, quam ſolo coeco erga *ſectam Galenicam* amore, cui, quicquid etiam *noſter* diſſimulet, citra contradictionem addictus fuit. Caeterum *ſectione ſecunda, tertia* & *quarta* de indicantibus a cauſa, morbo & viribus ſic ſatis adcurate diſſeritur.

§. CXLVI.

Suam inſuper huc ſymbolam, ſed alia, nempe tabularum forma, huc contulit, & *inſtitutiones* in tyronum gratiam concinnavit *Godofredus Moebius*, Med. D. & in Academia Jenenſi P.P. ordinarius, nec non Electoris Brandenburgici & Adminiſtratoris Archiepiſcopatus Magdeburgici t.t. Archiater, quae tamen maximam partem ex fundamentis medicinae phyſiologicis conſtant, in quibus naturam & origines medicinae, doctrinam de animae facultatibus, ſpiritibus ac temperamento, nec non conſtitutionem partium principalium naturalem & praeter naturalem una cum earum uſu ex veterum aeque ac recentiorum ſententiis ventilavit variiſque obſervationibus illuſtravit, quas deinde poſt Parentis obitum in gratiam tyronum in ſynopſin contraxit *Godofredus Moebius*, Auctoris filius. Sed, ſi in-

ſi ingenue fatendum, quod res eſt, videntur hae tabellae modernis ſcholarum uſibus parum aptae, quia in parte *Phyſiologica* omnes propemodum ac ſingulae antiquorum fabellae de ſpiritibus vitalibus, genitalibus, animalibus &c. de qualitatibus occultis, idioſyncraſia, temperamentis aſtralibus, ab influxu aſtrorum vel praedominante planeta in themate natalitio petendis, qualitatibus primis, calido, frigido, humido, ſicco variaque earundem mixtura & contemperatione, facultatum animae inutili multiplicatione &c. denuo recenſentur, quae an veram ac ſolidam theoriam, nempe vere medicam, futuris uſibus pathologico-practicis recte inſervituram multum juvare ac promovere queant, non multa ad intelligendum attentione indiget.

§. CXLVII.

Quod vero *Pathologiam* ſpectat, pleraque terminis Logicis & Metaphyſicis ita involuta ſunt, ut non debeant non tyrones artis primo ſtatim intuitu ingens taedium talibus ex rebus capere. Ita ut unico tantum exemplo hanc rem illuſtremus, *prima tabula Libri ſecundi pathologica* morbi naturam in genere declaraturus *Moebius*, ſiſtit praeter etymologiam & homonymiam, definitionem, genus, ſubjectum, cauſas, effectus & differentias eſſentiales vel accidentales &c. Ubi circa genus notat, morbum non eſſe ſubſtantiam, non impotentiam, non relationem, non motum, nec talem paſſionem, quae in actionis receptione conſiſtat, nec tandem privationem negativam & quae ſunt ejus farinae plura, quae non ſalivam, ſed vomitum, etiam invitis, movere queant. Interea circa morbos partium ſimilarium obſervat, quod ſint vel intemperiei ſimplicis, ut calidae, frigidae, humidae, ſiccae, vel compoſitae, ut calido-humidae, vel calido-ſiccae, frigido-humidae vel frigido-ſiccae, & quidem cum vel ſine materia praeter naturali; Vel occultarum qualitatum, quorſum peſtem, febres malignas, luem veneream, ſcorbutum &c. refert.

§. CXLVIII.

In *tabula ſecunda* exhibet cauſas morborum, ubi praeter alia incondita hoc tantum obſervo, quod etiam principia Chymicorum, ſal, ſulphur & mercurius, ſeriei cauſarum morbificarum adnumerentur. Symptomata quod attinet, illa ſecundum diverſitatem facultatum explicat, ita quidem, ut v. g. ad expultricem ventriculi facultatem irritatam referat ſingultum, nauſeam, vomitum, choleram tam humidam quam ſiccam, lienteriam, paſſionem coeliacam & ructationem &c. Ad facultatem genitalem abolitam vel depravatam reducat ſterilitatem, ſalacitatem, ſatyriaſin, priapiſmum & ſic de reliquis, quae referre ideo piget, quia pluribus hac in re ſpeciminibus non eſt opus.

§. CXLIX.

Parte tertia exhibet *Moebius* noſter ſynopſin ſignorum, quorum eosdem cum aliis quoque *ſemeiotices* ſcriptoribus fontes agnoſcit, & *diagnoſtica* quidem petenda eſſe exiſtimat vel a laeſa partium conſtitutione, vel a laeſis actionibus, vel a qualitatibus mutatis, vel excretis & retentis, inprimis urina, pulſu, haereditaria diſpoſitione, juvantibus atque nocentibus, nec non communiter vagantibus malis: *Prognoſtica* vero ex urina, pulſu, triplici ſymptomatum genere, ſputo, lingua & reſpiratione haurienda eſſe arbitratur. Deinde admodum prolixus eſt in tradendis ſignis temperamentorum & quidem non totius tantum, ſed & partium, cordis, cerebri, teſtium, uteri, pulmonum, hepatis, lienis, ventriculi, renum, quatenus ſingulae iſtae partes & viſcera ſunt vel calida & humida, vel calida & ſicca, vel frigida & humida vel frigida & ſicca &c. Quae tamen omnia partim aperte falſa partim inutilia & ſupervacanea ſunt.

§. CL.

Methodum tuendae ſanitatis *parte quarta* ita pertractat, ut primum diaetam foetus in utero, deinde infantum recens in lucem editorum, porro puerorum ac Juvenum, tandemque mediae aetatis atque ſenum ordine deſcribat: Hinc progreditur ad hiſtoriam rerum, ad ſanitatem tuendam

neceſſariarum, uti ſunt aër, cibus, iſque vel ex vegetabilibus, uti ſunt triticum, ſecale, hordeum, avena, oryza, fabae, braſſica &c. vel ex animalibus, uti ſunt lac, caſeus, ſerum, ova, variae carnes & piſces &c. Porro potus, aquoſus, vinoſus, cereviſiarius, hydromel &c. motus item, ſomnus, balnea &c.

§. CLI.

In *poſtrema* ſeu *therapevtica* parte, quae methodum medendi exhibet, ſiſtitur ſynopſis indicationum non tantum curatoriarum, morborum intemperiei, occultarum qualitatum, conformationis, compoſitionis & ſolutae unitatis, ſed etiam praeſervatoriarum atque vitalium, quibus deinde indicationes ſymptomatum urgentium, doloris, vigiliarum moleſtarum, ſitis intolerabilis, fluxuum alvinorum, vomitionum ſymptomaticarum, lipothymiarum &c. ſubjunctae ſunt. Atque his omnibus tandem ſynopſis virium medicamentorum adnectitur, non modo ratione qualitatum primarum manifeſtarum, qualia ſunt vel calida in primo, ſecundo, tertio ac quarto gradu vel frigida dictis in gradibus, ſed & ratione ſecundarum ac tertiarum qualitatum, qualia ſunt emollientia, indurantia, adſtringentia, reſolventia, attenuantia, aperientia, incraſſantia, attrahentia, repellentia, veſicantia &c. Haec tandem excipiunt ea, quae cuivis parti adpropriata ſunt, exemplo cephalicorum, thoracicorum, cardiacorum, hepaticorum, ſpleneticorum, uterinorum &c. Ut de fonte *pharmacevtico*, quae *ultima* ſunt omnium, hac vice nihil addam, ne inutilium & ſupervacuarum rerum, a quarum lectione Philiatros omni modo dehortor, farragine chartam & tempus perdam.

§. CLII.

In Academia Lipſienſi hanc elementarem artis medicae partem ſecundum principia & experimenta *chymica* atq; Anatomica *Helmontii*, *Williſii*, *Sylvii*, *Tachenii* aliorumque Neotericorum illuſtrare conatus eſt *Michaël Ettmüllerus*, Phil. ac

Med.

Med. D. hujusque in alma Lipſienſi P. P. Ord. & Practicus olim per omnem Europam celeberrimus. Edidit non modo Collegii *Inſtitutionum medicarum* in theſes concinnati ſynopſin, *phyſiologia*, *pathologia*, *hygieine* atque *therapevſi* comprehenſam, ſed & *Collegii Inſtitutionalis* diſcurſum theoretico-therapevticum: Quorum *illo* tyronibus, *hoc* vero provectioribus conſulere voluit.

§. CLIII.

Miſſa hac vice epitome, de *Inſtitutionibus Ettmüllerianis* id potiſſimum hic notamus, quod praeter prolegomena, quae de medicinae natalitiis, progreſſu & auctoribus, nec non de ejusdem natura, definitione ac diviſione agunt, complectantur *phyſiologiam*, *pathologiam* cum *diagnoſi* & *prognoſi*, *hygieinen* atque *therapevticam* generalem atque ſpecialem, cui harmonice *collegium therapevticum* connexum eſt.

§. CLIV.

Quod igitur ſpecialius *Phyſiologiam* ſpectat, admodum quidem prolixus eſt *Auctor* in recenſendis *primo capite* corporum naturalium principiis, materia nempe & motu, quae tamen omnia ita comparata ſunt, ut ad genuinam theoriam medicam parum vel nihil conferant: Id quod compendioſa recenſione ad D. D. *Johannem Acoluthum, Phyſicum* & Practicum *Wratislavienſem* tranſmiſſa diſſimulare non audet, quando hunc in modum ſcribit: *Pauca & parca in naturalibus ſcientia apodictica, niſi quam ex matheſi haurire licet: Reliquum omne, quod ſcimus, experimentis, phaenomenis & obſervationibus effectuum naturalium innititur, quorum fiendi cauſarumq; ratio cum utplurimum deliteſcat, hypotheſes variae oriuntur, ex quibus illae ſunt optimae, quae plurimum phaenomenorum naturalium explicationem theoricam conceptibiliorem, & applicationem practicam faciliorem reddunt.*

§. CLV.

Vix felicius negotium ipſi ceſſiſſe videtur, quando à tractatione principiorum corporum naturalium in genere ad ſpeci-

ad ſpecialem tractationem de corpore humano ejusdemque principio vitali *capite ſecundo* tranſitum fecit: Ubi recte quidem agnoſcit, *corpus humanum vivens* eſſe verum artis medicae *ſubjectum* & *objectum*; Mox tamen paria cum *mechanicis* faciendo, corpus illud vivum conſiderat tanquam automa, cujus ſtructura in ſe conſiderata, non ſecus ac reliquorum omnium animalium nihil aliud, quam machina quaedam naturalis hydraulico-pnevmatica ſit, ex variis organis, pro multiplicibus actionibus artificioſiſſime fabricata, in hoc ſolo differens à machinis artificialibus, quod hae externum habeant motorem, à quo partim exſtruantur, partim etiam moveantur; Illa autem à principo interno ſpirituoſo dependeat, à quo dicta machina non exſtruitur tantum, ſed etiam fabricata ad varias actiones, motus & operationes, pro organorum diverſitate, determinatur. Quapropter duo hic conſideranda eſſe jubet, nempe 1.) ſtructuram corporis humani materialem & 2.) ejusdem operationum principium ſeu corporis humani vivacitatem vel activitatem vitalem, ſecundum quam corpus vivere dicitur. Atque haec duo totius Phyſiologiae fundamenta imo univerſae medicinae primordia conſtituit.

§. CLVI.

Quoad ſtructuram hominis, ibi haec tria potiſſimum conſiderat, nempe materiam, ex qua conſtat, deinde ejusdem variam texturam, ut tale corpus vel tales partes emergant, ac denique diverſam materiae contextae modificationem, quae alias etiam qualitatum nomine venit, ac nullo alio, quam proprietatum nomine venire debent. In materiam, ex qua corpus humanum conſtructum eſt, inquirendo, recte quidem quatuor illa *Galenicorum* elementa inter non entia refert, verum pari incertitudine in locum deſtructorum ſubſtituit minutias corpuſculorum, inter quae ſalinae emineant, quae mutua ſua textura & partem ipſam & temperamentum ejus elementale conſtituant, quaeque particulae ſalinae cum ſulphureis mixtae, & in continuo

fer-

fermentationis motu ſuſtentatae, & ab aëre inſpirato rarefactae, reſolutae & volatiliſatae calorem concipiant, per totum corpus ſenſibilem, quem vulgo vitalem dicunt. Proindeq;, ubi tales particulae denſius agglomeratae & firmius contextae atque unitae ſint, inde partes ſolidas duraſque, ut oſſa & viſcera, enaſci credit, ſicuti easdem particulas, mediante liquido diſſolutas, & in continuo motu conſtitutas, partes componere fluidas ſeu humores opinatur: Atque ex his particulis ſumme volatilibus ſpiritus, machinae noſtrae corporeae rectores exurgere, i. e. fluidas atque ſpirituoſas corporis partes active ſeſe habere & machinam agitare, ſolidas vero paſſive & ab illis informari atq, moveri, concludit.

§. CLVII.

Principium itaque movens & vitale, quod principaliter actuat univerſamque hanc machinam movet & operationes ipſi largitur, ſecundum *Ettmüllerum* noſtrum, non eſt anima cum variis ſuis facultatibus, quas ſchola *Peripatetico-Galenica* eidem vindicavit, cum anima iſta ſit ἀπαϑής, & ad hominis vitam & corpus gubernandum, nullum jus & commercium habeat: ſed univerſum functionum animalium aeque ac vitalium ſyſtema per principia mathematico-mechanica in ſeipſis infallibilia, materiae applicata, id eſt, per particularum minutarum, omnia corpora componentium diverſas figuras, magnitudines, compoſitiones, ſitus, texturas & motus corporum naturalium & ſic animalium etiam viventium, explicandum eſt. Quia vero nihilominus hae hypotheſes materiales vix univerſales eſſe videntur, ac proinde in formatione corporum organicorum, qualia ſunt praecipue animalia, & in operationibus animalium internis, ſenſu & motu, vix applicari poſſe videntur: Hinc tale ſubſtituit principium vitale, quod quidem ſit materiale, at non craſſum, fixum vel difficulter mobile, ſed ſubtiliſſimum, ſumme activum, mobiliſſimum & maxime volatile; Atque tale eſſe credit ſanguinem, in ſpiritum reſolutum, per motum fermentativum,

 medi-

mediante quo omnia mixta ſulphureo-ſalina ſpiritum urinoſum produnt, ſpiritum, inquam, volatilem, lucidum ſeu luminoſum, lucis inſtar per univerſam corporis machinam penetrantem, qui quippe ſecundum *Auctoris* noſtri placitum, vitale ſit principium, quo non tantum corpus humanum actuetur ſed & à corruptione praeſervetur.

§. CLVIII.

Cum igitur, per modo dicta, in machina corporis humani quaſi hydraulico-pneumatica originaliter & efficienter ſpiritus & ſanguis principii moventis ſeu activi locum obtineant; Partes vero ſolidae & organicae ſubjectum paſſivum ſint, quae ab iſtis in motum concitentur, ac ab illis in eſſe, fieri & operari revera dependeant: Jam vero, uti *Noſter* ulterius ratiocinatur, operationes omnes hujus machinae reſpiciant vel conſervationem ejus *in individuo* vel *in ſpecie*, & *illae* directae ſint ad eſſe vitale ſimpliciter, vel ad eſſe animale: Hinc ad tria generalia capita omnes corporis operationes ſeu functiones redegit, nempe ad vitales, animales ac genitales. Atque proinde hoc ordine, principio adſerto convenienter, agit de nutritione & auctione, de appetitu animali, fame & ſiti, de alimentorum maſticatione ac deglutitione, de chylificatione chylique in inteſtinis alteratione faecumque ex eo ſeparatione, de chyli ſecreti per inteſtina tranſcolatione & ad alias partes diſtributione, ejusdem in ſanguinem converſione ſanguinisque fermentatione ac diſtributione ex corde ad quasvis corporis partes diſtributique uſu, de pulmonibus & reſpiratione ejusque utilitate, de lienis & hepatis officio nec non de bilis generatione, de ſeri ſuperflui, ſalibus abundantibus impraegnati, excluſione per renes, de motu ſanguinis ad glandulas, earum uſu lymphaeque ortu & natura, de motu ſanguinis ad corporis circumferentiam factaque ibidem inſenſibili tranſpiratione, de motu ejusdem ad cerebrum ſpirituumque animalium generatione & officio; Quam tractationem ſequitur

historia

hiſtoria ſenſuum tam externorum quam internorum nec non conſideratio motus partium: Ex quo deinde diverticulo in viam reverſus *Auctor*, proſequitur ſanguinis motum ad teſticulos ibidemque factam ſeminis generationem, deinde agit de conceptione foetusque formatione, de vita foetus ejusdemque nutritione in utero, tandemque univerſam *Phyſiologiam* tractatione de partu obſignat.

§. CLXIX.

Pathologiam conjungit *Noſter* cum *diagnoſi* ac *prognoſi*, quia *ſemeioticam* illius partem eſſe credit, eamque quatuor tantum capitibus complectitur, quorum *primum* de natura & ſubjecto ſanitatis, morborum atque ſymptomatum tractat, *ſecundum* differentias dictorum morborum conſiderat, *tertium* morborum & ſymptomatum, corpori humano contingentium, cauſas expendit, & *quartum* denique rationem cognoſcendi affectus & cauſas, eorumque eventum per ſigna diagnoſtica atque prognoſtica pandit atque evolvit.

§. CLX.

Eodem modo in *tertia Inſtitutionum parte* ſeſe gerit, iterum nempe *hygieinen* cum *therapevtica* conjungendo. *Illius* praecepta unico, quod de ratione ſanitatem conſervandi agit, capite complectitur, cujus quippe generales tantum regulas cum reſpectu ad differentes aetates habito tradit, & quomodo diaeta ſanis ordinanda ſit, adnectit. Fundamentum diaetae legitimae generale monſtrat, conſiſtere in recto uſu rerum ſex non naturalium, non excluſa tamen inſigni efficacia conſuetudinis in conſervanda proſpera valetudine, quae quippe in alteram tandem naturam tranſire ſolet, cujus eximiae potentiae uti paſſim ſingulares proſtant obſervationes: Ita memoratu inprimis digna eſt hiſtoria tritoris cujusdam, quam ex *Salmutho* recenſet *Ettmüllerus:* Tritor quidam, quem febre correptum herus ipſius miſertus in lectum reponi curaverat, cum in hoc noctes inſomnes ageret & indies pejus haberet, ab adſtantibus

tibus tandem petiit, ut in terram ſuper ſtramen collocaretur; Quo facto ſuaviſſime dormivit & aliis adhibitis brevi convaluit. Non minus quoque ingens conſuetudinis energia obſervari poteſt in evacuationibus artificialibus, purgatione, vomitione, venaeſectione, ſcarificatione &c. quas proinde, qui certis temporibus aliquoties admiſerunt, denuo repetere coguntur, adeo ut, ſi illas negligant vel paululum ſaltem differant, non ſolum pejus ſeſe habeant, ſed plane circa venae ſectae vel ſcarificationis locum pruritum ſeu ſtimulum quendam ſentiant. Quibus ita praemiſſis, diaetam trifariam diſtinguit, nempe in *tenuem*, *craſſam* atque *mediocrem*; Tandemque ſecundum aetatum diverſitatem ordinat eandem, ut partim ſanitas conſervetur, partim vero morbi praecaveantur.

§. CLXI.

In *therapevſi* prolixior eſt *Ettmüllerus*, & *capite primo* agit de *methodo medendi* in genere, quam nihil aliud eſſe exiſtimat, quam notitiam curandi per medicamenta & eorundem applicationem, talemq; ſubinnuit artem, cujus ope medicus auxilia invenit eaque pro ſanandis morbis legitime applicat: Tota res eo redit, ut credat *noſter*, hanc medendi methodum conſiſtere potiſſimum in judicio medici practico, ſuper judicio ejus theoretico fundato, i. e. in accurata evolutione cauſarum morbificarum & inventione cauſatorum ſeu effectuum morboſorum, nec non in artificioſa applicatione mediorum ad cauſas evolutas, pro tollendis morbis & obtinendo fine, nempe ſanitate. Quemadmodum vero judicium theoreticum viget in pathologo: Ita practicum obtinet in therapevta; Id quod tamen rationale eſſe debet, memoriae contradiſtinctum, quodque proxime in notitia oeconomiae animalis ſeu microcoſmi particularis, quam Anatomiae ſtudium ſuppeditet, remote vero in hiſtoriae univerſae naturae ſeu macrocoſmi cognitione fundatum eſſe debeat: Unde ex horum, judicii nempe theoretici & practici, diverſimode ſuper

per cognitione oeconomiae animalis & univerſae naturae fundatorum, diverſitate, diverſas & varias medicorum hypotheſes, tam in theoria quam praxi ortas fuiſſe exiſtimat, quae prout diverſimode variant, ita quoque methodum medendi & judicium medici practicum differre, indeque aliam exurgere methodum medendi *Galenicam*, aliam *Paracelſicam*, aliam *Helmontianam*, & ſic deinceps, exiſtimat: Quarum tamen nulla facile, multo minus penitus, in praxi ſit rejicienda, cum quaelibet alleget rem facti, & certa quaedam habeat experimenta, ab univerſa natura & oeconomia animali petita, quae ratione modi applicandi tantum à ſe mutuo diſcrepent. Verum ea omnia ita comparata ſunt, ut difficulter *Auctor* mihi illa ſit perſuaſurus, qui conſtanter ſemper credidi, praxin medicam eo puriorem eſſe, quo ab arbitrariis talibus hypotheſibus ſive phyſicis ſive chymicis alienior eſt atque remotior.

§. CLXII.

Interea *capite ſecundo* pergit *Noſter* ad remediorum ſeu auxiliorum, ex triplici fonte, *chirurgico* nempe, *pharmaceutico* & *diaetetico* petendorum ſeriem enarrandam, quorum tamen omnium diſtinctionem non aliunde dependere putat, quam ab operationum gradibus, ita quidem, ut diaeta mitiſſimum, chirurgia vero generoſiſſimum ſubminiſtret remedium, pharmacia interim medio modo ſeſe gerente.

§. CLXIII.

Huic vero generali medicamentorum conſiderationi ſpecialior nunc eorundem tractatio à *Noſtro* ſubjungitur. Cumque cauſae morborum ſecundum triplicem eorum claſſem, pro diverſitate partium, quas affligunt, ſint vel humorum, ſeu contentorum & ſpirituum ſeu impetum facientium vel continentium ſeu ſolidarum partium: Hinc *ſectione prima* agit de humoroſarum partium vitiis corrigendis, quae cum vel *in quanto* vel *in quali* peccare deprehendantur; Hinc *primo capite* diſquiritur, qua ratione vitioſa

humorum, inprimis vero ſanguinis quantitas ſit imminuenda, cui ſcopo venaeſectionem undique ſatisfacere, extra omne dubium repoſitum eſſe exiſtimat. Quod vero notiſſimas veterum regulas, quas circa uſum venaeſectionis revulſorium ac derivatorium ſancte obſervarunt, neglexerit *Noſter*, id ex falſa modernorum theoria, qua deludi ſe una cum multis aliis paſſus eſt, profluxit, qua quippe de circulatione ſanguinis hunc perverſum ſibi conceptum praefigurarunt, quod ſanguis aequaliter feratur per univerſum corpus, & aequali circulo à quibusvis partibus refluat, in quas influxit, non vero determinate plus minus ad hunc vel illum locum amandetur: Cujus interea theoriae parum memor *Noſter*, theoretice quidem concludit, tantam harum *revulſionum* ac *derivationum* utilitatem non eſſe: Quoad *experientiam* tamen *practicam*, non omnino de nihilo eſſe earundem obſervationem, atque adeo non ſimpliciter quidem rejiciendam, ſed corrigendam tantum eſſe: Sic enim ultro concedit, revulſione ſanguinem, in quadam corporis regione ſtagnantem in contraria vel oppoſita evacuari, ut aliquando promptius ad hanc fluat, & quantitate ejus imminuta nimium quoque ſtagnationis incrementum imminuatur. Ad quod comprobandum notabile allegat exemplum ex *Lindani Collegio Manuſcripto* de mercatore quodam *Amſtelodamenſi*, cui dexter oculus erat inflammatus; Huic cum medicus ſenex venam ſecaret in brachio ejusdem lateris, magis inflammabatur oculus; Idque mirum eſſe non poterat; Quia ſic ſanguis majori impetu ad partem adfectam ruebat: Cumque altero die Chirurgus in ſiniſtro brachio venam aperiret, oculus antea illaeſus pari cum dextro inflammatione corripiebatur; Quod videns medicus, iterum ſecat venam in dextro brachio, & ibi rurſus augeri inflammationem obſervat, adeo ut miſer aegrotans ferme excoecaretur. Tandem in conſilium vocatur D. *Lindanus*, erroremque amborum videns, ſtatim venaeſectionem in dextro pede inſtituit, atque ita

inflam-

inflammationem dextri oculi notabiliter imminui vide- runt; Cumque altero die venaeſectionem in ſiniſtro pede repetiiſſent, eundem in oculo ſiniſtro detexerunt effe- ctum & ſucceſſum; Ut, ſublata tandem inflammatione, in integrum reſtitutus fuerit aeger. Ad quem notabilem ca- ſum hanc tandem epicriſin jungit *Ettmüllerus: Haec fuit* ve- naeſectio revulſoria, *ubi quidem non laudanda copia venaeſe- ctionis, ſed videndum ſaltem, quantum* in oppoſita parte *venae- ſectio in receſſu habeat.* Tantum itaque efficaciae cum exe- rat venaeſectio *revulſoria* ac *derivatoria*, ideo non pigebit a- liud proferre exemplum, quod ex Actor. Medic. Haffnienſ. Vol. II. pag. 194. allegavit *Noſter* de muliere, quae ſub men- ſium fluxu ex venaeſectione, inſtituta in brachio ſiniſtro, hujus inflammationem, in mammis tumorem ac inflamma- tionem, cancrum minitantem ſenſit: Sicut ancilla alia, a- ctu fluentibus menſibus, ex venaeſectione in brachio, his oppreſſis, conſtrictionem thoracis, anhelitum difficilem, ſuffocationem demum cum delirio experta eſt: Sic alia mulier eodem plane modo melancholica facta refertur; Pluresque aliae proſtant obſervationes, quae hanc *revul- ſionis* pariter ac *derivationis* efficaciam abunde confirmant. Conferri poſſunt, ſi placet, quae de vi *revulſoria* ac *derivato- ria* olim ipſi diſputavimus.

§. CLXIV.

Hinc vero, poſteaquam de evacuatione maſſae ſan- guineae paulatina paucula attulit, *capite ſecundo* ad caco- chymiam, ſeu peccantes humorum qualitates corrigendas ſeſe confert, & ordine agit de alterantibus non modo *generatim*, ſed & reſpectu *acidi*, vel *alcali* ſeu *urinoſi* vel *ſalſi* ſpeciatim, itemque de alterantibus reſpectu effectus, ca- loris ſcilicet ac frigoris, humiditatis ac ſiccitatis, imo & intuitu certarum partium ſolidarum, ſi quacunque de- mum ratione laedi illas contingat, ad quam ultimam claſ- ſem aperientia, hypochondriaca, hepatica, antiſcorbutica,

incraſſantia, attenuantia ſeu expectorantia, conſervantia & nervina cum uterinis referuntur.

§. CLXV.

Relictis alterantibus ad evacuantia progreditur, quorum naturam poſtquam in genere adumbravit, ordine deinde agit de vomitoriis, catarticis ſeu purgantibus proprie dictis per alvum, de diureſi ſeu urinae provocatione, de ſudoris evacuatione, de ſalivatione tam univerſali quam particulari, ad quam poſtremam pertinent apophlegmatiſmi, errhina atque ſternutatoria. Poſtremum locum occupant clyſmata, ſuppoſitoria, peſſaria &c.

§. CLXVI.

Quae omnia poſtquam ordine explicuit, ad ſecundam claſſem morborum, ſpirituum nempe vitia emendanda, progreditur: Qua in ſerie occurrunt confortantia ſeu cardiaca & analeptica; Cumque ſpiritus etiam motu vitiato laborare poſſe *Noſtro* videantur, & quidem vel *defective* vel *exceſſive*: Hinc merito etiam, theoriae huic convenienter, de corrigentibus cogitandum fuit, quibus ſpiritus, nempe animales, tam torpidi, fixi & quaſi inſenſiles, unde actionum omnium languor & affectuum comatoſorum origo dependeret, excitarentur, quam etiam nimium volatiles, impetuoſi & ſubtiles, motuque elaſtico plus minus perturbati, atque hinc deliria, motus convulſivos ſimilesque alias anomalas actiones excitantes, quodammodo cicurarentur & ad tranquilliorem ſtatum reducerentur. Quibus omnibus tractatio de curationibus *ſympatheticis*, *magneticis* & *tranſplantatoriis* ſubnectitur, tandemque univerſum *Collegium therapevticum* curatione morborum, partes ſolidas adficientium, cauſarumque morbificarum & urgentium ſymptomatum generali remotione obſignatur.

§. CLXVII.

Sicuti autem, ut jam vidimus, *Ettmüllerus* principia *Tachenii*

chenii, Helmontii, Sylvii, Williſii aliorumque adoptaverat ſuaeque theoriae adcommodaverat: Ita eorum numero, qui eandem principiis *Philoſophiae Carteſianae* ſuperſtruxerunt, accenſere non dubitamus *Johannem Jacobum Waldſchmidium*, Profeſſorem Medicinae Ordinarium in Academia *Marpurgenſi*, & *Haſſo-Caſſellani* Principis Archiatrum. Is enim praeter alia, quae edidit, ſcripta, *inſtitutiones* quoque *rationales medicinae, recentiorum theoriae ac praxi adcommodatas* nobis reliquit. Equidem ante complures jam annos ediderat fundamenta medicinae ad Neotericorum mentem delineata & in compendium redacta: De quibus tamen ipſemet conqueritur, quod praeter innumera ſphalmata & lapſus quosdam in doctrinalibus, quam plurima quoque incondita ſerie & quaſi tumultuarie coacervata atque connexa fuerint: Unde ipſemet dubitat, num tyrones medici multum inde lucis haurire queant. Aſt vero de *inſtitutionibus* ſuis, de quibus hic nobis ſermo eſt, longe aliud fert judicium; Vocat illas *rationales*, quod ex principiis, rationi conſentaneis ſint deductae, nec non morborum remediorumque explicationes per cauſas rationales & intelligibiles in ſcenam producant. Sperat inſuper, juſtis illas cancellis ſeſe continere, cum nec in ſuperfluis luxurient, nec in neceſſariis deficiant, de quo tamen duplici naevo hucuſque conquesti ſunt, qui ſtudio huic ſeſe conſecrare coeperunt.

§. CLXVIII.

Tantorum vero bonorum datricem depraedicat *Philoſophiam Carteſianam*; Hanc enim caput ſuum vix extuliſſe exiſtimat, cum novum quaſi ſidus incolis regni medici fuerit exortum, ipſis aegrotantibus certiorem ſpondens ſalutem. Huic Philoſophiae in acceptis referendum, quod morborum apparentias per ſuas cauſas evidentiſſime explicemus; Quod ipſos morbos denudatos & tenebris evolutos in apricum deducamus; Quod porro oeconomiam animalem per motum & figuram interpretemur, nihilque admittamus, quod non clare atque diſtincte vi principio-

rum mechanicorum percipere poſſimus; Ac denique, quod remediorum vires & operandi modum ad captum omnium deſcribamus; Quae quidem omnia, ſi vera eſſent, amaris merito lacrymis deplorandum foret, quod invida fata tanta nobis beneficia tot ſeculorum intervallis denegaſſent; Jam vero cordatiores ſatis norunt, praeter phalerata verba nihil portentoſis ejusmodi pollicitationibus ſubeſſe.

§. CLXIX.

Audet inſuper tyronibus artis perſuadere *Noſter*, quod hic viam ſatis expeditam ſint reperturi, ad culmen ſcientiae medicae perveniendi. Et quantum fiduciae ipſemet *Auctor* hiſce talibus in rebus reponat, inde haud difficulter aeſtimare licebit, quod, etiamſi veterani nomen jam promeritus ſit & annos pluſquam viginti praxin medicam exercuerit, & quindecim fere Profeſſioni artis publicae praefuerit, ipſum tamen non pudeat, iſtas medicinae rationalis *inſtitutiones* legere ac relegere.

§. CLXX.

Aſt vero dandum eſt aliquid adfectui; Quaelibet enim mater ſuum lambit foetum. Si autem, quod res poſtulat, fatendum ſit, plures mihi conſenſuros eſſe reor, in pleriſque, quae pertractantur, partibus meram ἀλλοτριωσιν contineri. In parte enim *phyſiologica*, quae *Inſtitutionum Waldſchmidianarum* prima eſt, praeter trivialia illa de medicinae origine, ejuſque objecto, fine, definitione, genere &c. nihil occurrit, quod hanc medicinae theoreticae partem vel ruditer ſaltem illuſtret; Doctrina enim de elementis huc non pertinet, ſed alieni, nempe phyſici, fori eſt. Quae de chylo ac ſanguine diſſeruntur, jejuna ſunt, & ſcopum vere medicum non attingunt. Dogma de ſpiritibus eorumque diſtinctione in vitales & animales nec non de modo ſecretionis eorundem eſt ſupervacaneum & fermentum veterum redolet. Et quae de ſenſibus ſive externis ſive internis adferuntur, rectius phlioſophis quam medicis diſpu-

diſputanda relinquuntur. Temperamentorum notitia ut-ut medico ſcitu & utilis & neceſſaria ſit, a *Waldſchmidio* tamen mutila & a ſcopo medico valde aliena proponitur. In capite de partibus humani corporis praeter obſoletas quasdam diſtinctiones nihil ſolidi adfertur. Ex quibus proinde omnibus ſi quis ſtatum humani corporis naturalem, quod tamen *Phyſiologi* officium eſt, addiſcere deberet, illum Oedipo longe feliciorem & argutiorem eſſe oporteret. Quibus accedit, quod, omnium reliquorum ita dictorum Mechanicorum ritu ac more, corpus humanum horologio vel alii cuidam automati ſimile eſſe, vel eodem modo ſuas edere functiones exiſtimet; Quod ipſum principium quam miſere omnem rationalem theoreticum nexum laceret atque interturbet, ſuo tempore clarius patebit.

§. CLXXI.

Pathologia eſt altera *inſtitutionum* pars, quam ſibi pertractandam ſumpſit *Waldſchmidius*; Optaremus ſaltem, feliciori id ſidere ab ipſo factum eſſe. An jure ſugillet veteres, quod cauſas morbificas, morbos eorumque ſymptomata tam ſollicite a ſeſe mutuo diſtinxerint, diſputent alii. Id ſaltem difficultate carere non videtur, quod ſubjectum omnis morbi radicaliter partibus fluidis, denominative vero ſolidis tantum in eſſe doceat: Unde definitio morbi generalis, quod ſit partium fluidarum in temperie & mixtione alteratio, ſuos utique manes patitur. Dum vero deinde ad morborum diviſiones progreditur, antiquas recinit cantilenas de morbis cacochymiae ſeu intemperiei calidae, frigidae, ſalſae, acidae, auſterae, pituitoſae, bilioſae, viſcidae, melancholicae &c. Rectius vero intemperiem ſine materia rejicit & morbos occultarum qualitatum ad morbos turbatae humorum mixtionis refert. An vero ex morborum malignorum explicatione per figuras ſalium, per aetherem peregrinum &c. multum ſolatii ſint petituri ſive medici ſive aegrotantes, jure ambigo. Quae autem de accidentalibus morborum differentiis, temporibus atq; cauſis

cauſis morborum, nec non de uſu & abuſu ſex rerum non naturalium adferuntur, trivialia ſunt & in vulgus nota. Solum caput de ſymptomatibus brevi ac perſpicua ratione (convenienter tamen principiis ſemel adſumptis) ſeriem morborum, corpus humanum adfligentium, ſiſtit.

§. CLXXII.

In *doctrina de ſignis* tam *diagnoſticis* quam *prognoſticis* valde quidem prolixus eſt, eorum tamen maximam partem ex *Hippocrate* aliisque ſcriptoribus mutuo accepit. Miſſis autem ſignis ſtatus naturalis atque temperamentorum, illa potiſſimum ex pulſu, urina, actionibus laeſis tam vitalibus quam animalibus, victus ratione, vitae genere, ſexu, juvantibus & nocentibus nec non communiter vagantibus malis deſumenda eſſe docet, non neglectis quoque ſignis plethoram, cacochymiam, turbatam ſanguinis mixtionem & ventriculi cruditates tam acidam quam nidoroſam indicantibus. Signorum vero *prognoſticorum* hos conſtituit fontes, nempe ſigna *coctionis* vel *cruditatis*, qualia ex urina, excrementis alvi, ſputo atque ſaliva hauriuntur, vel ſigna *ſalutis* & *mortis*, qualia à reſpiratione, decubitu, pulſu, ſudoribus, morbi tolerantia, facie & oculis petuntur; Vel ſigna critica, qualia ſunt inſolitae quaedam apparentiae in partibus & actionibus tam vitalibus quam animalibus, nec non in organis excretionibus dicatis obſervabiles, cum ſymptomatum citra manifeſtam aliquam cauſam intenſione. Vel ſigna, *morborum tempora* indicantia, quae vel ex indole ipſius morbi, vel à conſtitutione ſanguinis vel ab anni tempore, vel à regionibus, vel à victu antecedente vel à viribus vel à paroxyſmorum acceſſionibus, anticipatione vel poſtpoſitione vel à ſymptomatibus vel à cruditate & coctione deſumuntur. Quanquam autem verbis vim criſium dierumque criticorum, imo & verum earum ſubjectum ſatis recte agnoſcere videatur: In illarum tamen cauſa determinanda admodum ridiculas adfert ſpeculati-

culationes: Quis enim ſani ſincipitis homo perſvaderi ſibi patietur, NATURAM, ſeu, quod *Noſter* idem eſſe credit, aetherem conſvetum, ſanguinem humoresque permeare ſolitum eſſe morborum medicum? Eundem quoque moliri criſes, humores coquendo, ſecernendo & excernendo? Quis credat, eundem illum cum aethere inſolito & peregrino ſimilem propemodum pugnam & bellum quaſi inteſtinum inire, quale in butyro antimonii, ex ſpiritus nitri adfuſione vel oleo tartari per deliquium à ſpiritus vitrioli inſtillatiane contingere obſervamus. Sicuti autem ridiculum eſt bellum, quod duo illi aetheres inter ſeſe mutuo gerunt: Ita non minus ridiculus eſt ejusdem exitus: *Peregrino* nempe *conſvetum* expellente, omnia fluida aliam induere faciem & naturam ſuccumbere: Contrarium horum evenire, & morbum cum ſalute aegrotantis terminari, *conſueto* de *exotico* & *hoſtili* victoriam reportante. Sed apage talia, quae meliora edoctis nauſeam movent.

§. CLXXIII.

Pergimus interim ad quartam *Inſtitutionum Waldſchmidianarum* partem, quam *Hygieinen* vocamus, in qua primum de ſanitatis conſervatione in genere agit, deinde vero diaetam à prima infantia ad mediam, ab hac vero ad decrepitam usque aetatem ſpecialius proſequitur, ſuis quoque monitis proſpicicens gravidis atque puerperis: Hinc longa ſerie deſcribit alimenta tam eſculenta, ex regno potiſſimum vegetabili atque animali deprompta, quam potulenta, non aquoſa tantum & cereviſiaria, ſed & vinoſa, quae tamen omnia centies ab aliis dicta ac propoſita fuere.

§. CLXXIV.

Sequitur *therapevtica*, ultima *Inſtitutionum* pars, in qua, poſteaquam pauca de methodo medendi in genere diſſeruit & naturam indicationis tam curatoriae quam praeſervatoriae, indolem quoque indicantis & indicati expoſuit, praecipuas remediorum claſſes ordine declarat, primum

mum locum concedendo alterantibus, qualia ſunt repellentia, intercipientia, emollientia, humoresq; reſtagnantes diſcutientia vel ſuppurantia &c. Poſteriorem vero tribuit evacuantibus, uti ſunt vomitoria & purgantia, quibus tamen praemittenda eſſe praeparantia atque digeſtiva, eccoprotica & lenientia, prudenter & omnino practice monet. Excipiunt haec evacuantia per urinam ſudoresq; nec non apophlegmatizantia, & maſticatoria & alia, quae particularibus evacuationibus favent. Quibus poſtremo loco omnium praedictorum medicamentorum operandi rationes atque facultates jungit & hiſtoria praecipuarum operationum pharmaceuticarum cum adparatu inſtrumentorum maxime neceſſariorum, uti & remediorum tam compoſitione quam diſtributione totum opuſculum obſignat.

§. CLXXV.

Id ſaltem hoc loco monendum reſtat, harum earundem *Inſtitutionum Waldſchmidianarum*, quas quippe Scholarum uſui ſumme neceſſarias vel ſaltem eminenter utiles fore ſibi perſvaſit, editionem alia forma machinatum eſſe incertum quendam Auctorem, cujus nominis initialia verba haec ſunt: H. H. S. J. C. nempe per quaeſtiones & reſponſiones, ſub tabularum forma rite diſtinctas, ut tyroni medico multo utique cum fructu prodeſſe queant. Placuit equidem adpellare *Vademecum Waldſchmidianum*, ut putares, eſſe reipſe ab ipſis *Waldſchmidianis Inſtitutionibus* aliquid diverſum, id quod tamen ſic ſeſe non habere, tabellas haſce ſedulo pervolventi primo ſtatim intuitu adparebit. Neque vero negandum eſt, hanc erotematicam methodum adoleſcentes, arti primum initiandos, eximie juvare, teſtibus egregiis profectibus, quos in Collegiis Examinatoriis privatis facere ſolent Studioſi.

§. CLXXVI.

Waldſchmidio ſubjungimus *Oligerum Jacobaeum*, Haffnienſem, qui varios *Inſtitutionum medicarum* naevos animadvertens,

tens, iisque ex animo mederi cupiens, in gratiam tyronum artis compendium hujuſmodi *inſtitutionum* concinnavit, in quo, reſectis inutilibus vel minus neceſſariis Phyſiologorum & Anatomicorum praeceptis, ea tantum delibavit, quae vias commonſtrarent, in quibus adſumpta alimenta mutationes ſolitas ſubire ſolent, in quibus ſecernuntur ac praecipitantur partes excrementitiae ab utilioribus & nutritioni inſervientibus, qua denique lege humores varii, in conſervationem vel individui vel ſpeciei in cribris ſeu colatoriis convenientibus à ſanguine percolantur; Cui etiam laudabili brevitati ſtuduit in reliquis *inſtitutionum* partibus, in quibus multa pariter ſuperflua & inutilia ideo reſecuit, ne nimia mole vaſtoque oceano territi tyrones, velut in ipſo veſtibulo animum deſponderent humeroſque oneri protenus ſubducerent, ſicuti Auctor ipſemet in Praefatione loqui amavit. Laudo equidem conciſam brevitatem; Valde autem metuo, ne nimis jejunum dimittat artis tyronem, ac proinde ineptum, qui ad reliquas altiores diſciplinae medicae partes aditum ſibi parare queat.

§. CLXXVII.

Caeterum in conſcribendis hiſce *Inſtitutionibus* eum ſibi ſcopum praefixum habuiſſe videtur, ut ex cathedra Academica Auditoribus ſuis eaſdem explicaret, id quod & ſedulo ipſum feciſſe, ipſemet Lectori ſuo inſinuare non dubitat. An autem ſatis arduas atque ſufficientes habuerit rationes, ſeculi noſtri felicitatem tantopere depraedicandi, quo nempe iteratis tot experimentis phyſicis, exculta Anatome ignibuſque Chymicorum eventilatis, errores nebulaeque antiquorum penitus ſint diſcuſſae, &, detracta larva, jam facie venuſtiore ars medica undiquaque eniteſcat, id merito in medio relinquo, qui jam alias conqueſtus ſum, quod Phyſica pariter atque Anatome & Chymia multa aliena in medicinam invexerint, quae, quod incrementis artis potius obfuerint quam profuerint, ſole meridiano clarius eſt.

§. CLXXVIII.

Nolumus interea ſuis, quas meruit, laudibus privare *Noſtrum:* Has enim ipſe quoque *Bartholinus*, cui cenſura libelli credita fuerat, agnoſcere coactus eſt, dum hoc de ipſo ferre judicium non dubitavit: Tantam ſcil. fuiſſe curam hiſce in *Inſtitutionum medicarum* fundamentis ſolidis, ut appareat, cum felicitate in acquirenda medulla verae cognitionis certaſſe nitorem verborum & gratiam orationis: Quare omnes Juniores ſedulo hortatur, ut ex hocce compendio tanquam optimo exemplari praecepta medica, à multis quippe ſupervacuis defaecata, hauriant.

§. CLXXIX.

Vereor autem, ne in parte *Phyſiologica*, quae tribus tantum capitibus conſtat, brevior fuerit, quam decebat. In *primo* namque agit de chylo & ſanguine, in *ſecundo* de cribratione ſeu percolatione humorum à maſſa ſanguinea & in *tertio* de temperamentis, ubi tamen multa adhuc deſiderantur, quae tyronem artis ſcire oportet, priusquam ad altiora pedem promoveat. Praecepta ſunt quidem brevia, ſingula tamen adcurate pertractata, niſi quod antiquis quibusdam commentis de ſpiritibus animalibus, ſub nomine ſucci nervoſi hodie venientibus, adhuc nimium patrocinatus fuiſſe videatur, quanquam ſpiritum naturalem, vitalem ac genitalem aequo jure exauctoratum eſſe, uti defunctum nuper hepar ſuas paſſum eſt exequias, recte omnino ſtatuat. Neque tamen etiam recentiorum lepidas fabellas penitus reticere aequum judicat: Unde, ſemen maſculinum minutiſſimis animalculis refertum eſſe, ex mirabilibus *Leuwenhoekii* viſionibus fidem facere contendit. An vero doctrinam de temperamentis, quae ſua alioquin utilitate non caret, eo ipſo clariorem efficiat, dum loco hypotheſeωs hactenus receptae, qua ſecundum praedominium quatuor humorum, temperamentum in ſanguineum, cholericum, phlegmaticum & melancholicum diſtributum eſt, aliam ejusdem diviſionem in acidum,

ſalſum, acre, ſulphureum & aquoſum ſubſtituit, merito dubito, cum pari undique prematur difficultate, ſi acidum illud, acre, ſalſum &c. in humorum maſſa demonſtrare deberet, ac illum humorum quaternionem, licet *hoc* prae *illo* longe facilius eſſe, plerique mihi ſint conſenſuri. Haec tamen temperamenta, undecunque tandem oriantur, & ratione aetatis & ſexus & temporum anni, & diverſitatis regionum &c. varium metaſchematiſmum pati poſſe & actu pati, recte utique agnoſcit.

§. CLXXX.

Quod inſuper Auctori noſtro placuerit, parti *Phyſiologicae* immediate ſubjungere *diaeteticam*, id vel ideo neminem probro ipſi facile daturum exiſtimamus, quia id ſaltem ſine exemplo non fecit. Imo idem plane inſtitutum nuperrime adhuc adprobavit *Fridericus Hoffmannus*, Profeſſor Hallenſis, in *Tomi prioris Medicinae ſuae Dogmatico-ſyſtematicae ſectione ſecunda*. Agit hic, at nonniſi breviſſimis, nervoſe tamen, de aëre, cibo ac potu, ſomno & vigiliis, excretis & retentis, motu & quiete nec non adfectibus animi: Quae omnia ſex rerum non naturalium titulo ac nomine *Inſtitutionum* ſcriptoribus alias venire ſolent.

§. CLXXXI.

Hiſce interim ſic expeditis, ad partem *Pathologicam* progreditur, ubi, poſteaquam de morbis, eorundem differentiis atque temporibus generatim egit, cauſarum quoq; morbificarum hiſtoriam eadem propemodum, quae in ſcholis hucusque recepta fuit, methodo proſequitur. Neq; à Scholarum praeceptis multum remota ſunt, quae *Libro quarto* de doctrina ſemeiotica traduntur: In quibus proinde prolixius enarrandis multum commorari non eſt neceſſe.

§. CLXXXII.

In ultima vero ſeu *therapevtica* parte, quae methodum apta remedia inveniendi eademque certo ordine, tota curatio-

curationis periodo, adminiſtrandi docet, non paucae continentur cautelae, quae animadverſionem omni modo merentur. Remedia ipſa diſtingvit in *evacuantia* & *alterantia*, quorum *illa* quantitatem, *haec* vero qualitatem humorum reſpiciunt; Ad *illa* refert phlebotomiam, emetica, catartica, diaphoretica & ſudorifera, diuretica, ſalivantia & maſticatoria, errhina & ptarmica, expectorantia atque pnevmonica, veſicantia & pyrotica aliaque plura. Ad *haec* vero, quae qualitatem fluidorum immutant, corrigunt & alterant, veluti ſi acida alcalicis, alcalia acidis, viſcida attenuantibus & tenuia incraſſantibus corrigantur & alterentur, quorſum etiam aperientia, incidentia & attenuantia, adſtringentia, emollientia, ſommifera atque narcotica &c. referenda ſunt.

§. CLXXXIII.

Nunc in eodem hoc *Inſtitutioniſtarum* theatro comparet *Paulus de Sorbait*, Belga, Medicinarum D. & Practices Profeſſor primarius nec non Sacrae Imperatricis, Eleonorae Viduae, Perſonae Medicus. Placuit *Auctori*, primae huic medicinae parti tribuere nomen *Iſagoges Inſtitutionum medico-Anatomicarum*, quae parte *phyſiologica*, *pathologica*, *ſemeiotica*, *hygieine* ac *methodo medendi* abſolvitur. Videtur eſſe ſectator medicinae antiquae, *Hippocratico-Galenicae*, de qua forte non injuria in praefatione univerſali conqueritur, quod, etiamſi opulentiſſimis olim gazis, margaritis, auro gemmiſque reſplenduerit, nunc tamen empiricorum & ciniflonum impuris manibus devenuſtata, methodo ac praeceptis miſere ſpoliata conſpiciatur. De ſua vero *Iſagoge* bene ſperare jubet Lectores, ob conciſam *brevitatem*, *facilitatem*, ob ſubtiles *difficultatum enodationes*, *utilitatem*, & ob minime fucatam, quam cum vera philoſophia habet, affinitatem & connexionem, *raritatem* largiter ipſis promittendo.

§. CLXXXIV.

Videamus vero, qua ratione hiſce ſuis pollicitationibus ſatis-

ſatisfaciat. Praemiſſis in praefatione particulari quindecim canonibus, tanquam diſpoſitionibus ac methodis regularibus tum ad medicinae ſolidam & fundatam cognitionem adquirendam, tum ad honeſte ſalubriterq; vivendum, ad partem *Iſagoges phyſiologicam* ſeſe convertit, in qua traditis variis medicinae definitionibus ac diviſione diſcuſſisque variis objectionibus, hic moveri ſolitis, ad elementorum doctrinam tradendam ſeſe accingit, quorum quatuor agnoviſſe videtur, terram nempe, aquam, aërem & ignem; Ex quorum omnium complexu, miſcela & permixtione temperamentum vivi adſtruit, idque cum *Avicenna* deſcribit, eſſe qualitatem, ex mutua quatuor qualitatum primarum actione, terminum quendam metamve ſortita, reſultantem. Hoc deinde diſtingvit in *ſubſtantificum* & *qualitativum*, quod poſterius denuo duplex eſſe ſtatuit, aliud nempe *ad pondus* ſeu *arithmeticae proportionis*, aliud vero *ad juſtitiam* ſeu *proportionis geometricae*; Quae omnia majori verborum pompa quam ſolida utilitate jam ab aliis decantata ſunt. Iisdem quatuor elementis, adſerit idem, reſpondere quoque humores, quos in alimentarios & excrementitios diſtingvit; Ad illos ſanguinem ſtricte ſic dictum, bilem, pituitam & melancholiam: Ad hos vero urinam, ſudores, lacrymas, ſanguinem puerperii, aurium excrementa &c. referendo. Cumque ex humoribus, ut vulgo fabulantur, ſpiritus generentur, facultatum inſtrumenta: Hinc, poſteaquam integras *facultatum Galenicarum* colonias enumeravit, ad hiſtoriam ſpirituum tradendam ſeſe confert, quos totidem eſſe numero, quot ſunt facultates, ex praemiſſis quidem *Auctoris* facile conſequitur, ipſam vero interea artem multis ſupervacuis entibus praeter neceſſitatem onerat. Taceo, nondum demonſtratum eſſe, an etiam ejuſmodi ſpiritus dentur? Unde conſequens eſt; Non entis nullas quoque reales fore adfectiones. Simul quoque corruit, quicquid de *calido innato* & *humido primigenio* diſſeritur. Reliqua, quae de partibus humani corporis tam externis quam internis commentatur *Auctor*, non tam ad *Phyſiologiam* quam *Anatomiam* ſpectant.

§. CLXXXV.

§. CLXXXV.

In parte *Pathologica*, explicata morbi natura in genere, exhibentur ejusdem differentiae, quae vel nituntur diverſitate partium H. C. unde exurgit differentia morborum intemperiei & organicorum, vel deſumitur a ratione partium, quas infeſtat morbus, unde oritur diviſio in idiopathicos ſeu eſſentiales, & conſenſuales ſeu ſympathicos; Vel petitur ab adjunctis qualitatibus, unde variae aliae exſurgunt differentiae morborum acutiſſimorum, manifeſtorum, occultorum, conſequentium, connexorum, legitimorum, exquiſitorum &c. Vel denique ab anni temporibus, unde aeſtivi, autumnales, hyemales & vernales ſuam denominationem trahunt.

§. CLXXXVI.

In *cauſis morborum* explicandis exquiſite Logicorum praecepta obſervat, & praeter efficientem, cauſas etiam per ſe & per accidens, principales, totales, partiales, remotas & proximas &c. prolixe quidem, ſed citra neceſſitatem practicam recenſet. Differit deinde de ſex rebus non naturalibus, quatenus omnes tam ſanitatis quam etiam variorum morborum cauſae exiſtunt. Progreditur hinc ad plethoram atque cacochymiam, ordineque oſtendit, qua ratione ſpiritus ſive quantitate ſive qualitate peccantes, ſanguis item, bilis, pituita, melancholia, ſerum, vapores, fuligines, flatus, ſabulum, calculus & vermes morborum cauſae ſubinde evadere *poſſint? Poſſint*, inquam, non aeque vero *ſoleant*; Quia illarum plures ſunt, quae rariſſime efficaciam ſuam in excitandis morbis exerere conſveverunt, uti ſunt morbi ſpirituum, defectus ſanguinis, vaporum, quos quaſi per ſublimationem ex humoribus generari & vera microcoſmi meteora eſſe, ſat liberaliter fingit *Auctor*. De ſymptomatibus vero tanto brevius loquitur, eaque vel in ſymptomata actionis laeſae, vel excretorum & retentorum vel qualitatum mutatarum diſtingvit.

§. CLXXXVII.

Partem *ſemeioticam* exorſus, agit primum de ſignis in genere, deinde vero ſpecialius diſquirit de ſignis, differentiis, judiciis & contentis urinarum, additis cautelis, medico & urologo obſervandis. Hinc progreditur ad ſphygmologiam ſeu doctrinam pulſuum eorundemque aetiologiam breviter percurrit. Obſignat tandem univerſam hanc tractationem doctrina de criſibus, cujus non modo ideam generalem ex *Galeno* declarat, ſed & ſigna bonae ac ſalutaris criſeως, ſigna itidem, quibus cognoſcenda, quasve per vias futura ſit, una cum dierum criticorum deſcriptione, exponit.

§. CLXXXVIII.

Hinc *parte quarta* convertit ſeſe ad *Hygieinen*, quae de conſervanda valetudine ſollicita eſt. His diſputatis, breviter de alimentorum natura in genere, fuſius vero de eorundem qualitate, ſumendi tempore, ordine atque praeparatione diſſerit, & qualis cuivis aetati & cuivis anni tempori congruat, diſquirit, tandemque de vegetabilibus & animalibus eorundemque partibus, quatenus vel ſalubria vel minus ſalubria ſunt, ſuum judicium candide interponit. Neque, quid de variis potulentorum generibus, aqua, vino, cereviſia variisque condimentis ſentiat, omiſit, addita brevi diſcuſſione controverſiarum ad *hygieinen* pertinentium.

§. CLXXXIX.

Ultimo tractatu brevem, univerſalem, &, ut *Auctor* loqui amat, adcuratam medendi methodum ſiſtit, quae decem capitibus cum controverſiis & centum quaeſtionibus huc pertinentibus abſolvitur. Hic autem, praelibatis pro more paucis de nomine, ſignificatione, diviſione ac fine medendi, inquirit in vera ejusdem principia, quorum duo Auctor, *Galeni* veſtigiis inſiſtens, eſſe ſtatuit. *Primum* eſt: *Ea, quae ſecundum naturam ſunt, ſimilibus conſervanda.* Alterum eſt: *Ea vero, quae contra naturam ſunt, contrariis tollenda.*

Hinc non ſine bile invehitur in Chymicos atque Hermeticos, quos quippe intolerabili auſu ac faſtu contrarium adſerere ſtomachatur. Tanto vero minus parcit *Paracelſo*, qui per characteres & verba morbos curari poſſe, adſeruit. Nec multum tribuit ſigillis, amuletis & periaptis, orationibus itidem, faſcinationibus & ligaturis, quae quippe omnia partim ſuſpecta, partim incerta, & magis, aſtrologis & pſeudochymicis tantum digna exiſtimat, additque, morbos, ſive ex cauſis naturalibus ortos ſive maleficio illatos, non maleficio vel arte magica, ſed remedio vel naturali vel divino curandos eſſe. Explicato ſic principio methodi medendi, inquiritur in naturam indicationis, indicantis & indicati cum eorundem differentiis atque diviſionibus, nec non de indicantium ſignis & veris indicantibus, curatorio nempe, praeſervatorio & vitali. Quibus ſub finem hujus tractatus quaedam de falſitate empiricorum & methodicorum in inveniendis praeſidiis, experientiae & analogiſmi una cum brevi inſtructione, hac medendi methodo recte utendi, adjiciuntur.

§. CXC.

Johannes Sterpinus hic non videbatur omittendus; Praeterquam enim, quod Acta Philoſophica Regiae Societatis in Anglia Anno 1669. ab *Henrico Oldenburgio* Anglice conſcripta, latinum in ſermonem tranſtulerit: Univerſam quoq; medicinam tribus partibus, quibus *trifolii medici* nomen impoſuit, comprehendere adlaboravit. Quod ejus inſtitutum, diffuſam artem in qualecunque compendium contrahendi, licet omni quidem ex parte improbandum non videatur: Jure tamen vereor, ut ſic tyronum deſideriis ex aſſe ſatisfecerit.

§. CXCI.

Accenſetur quidem etiam ſcriptoribus *Inſtitutionum medicarum Bernhardinus Chriſtinus à Juvellina*, Cyrnaeus; Sed cum libellum hunc, qui *Inſtitutionum* titulo ſuperbit, & cui deinde regulae, conſultationes & obſervationes una cum centuriis quin-

quinque curationum morborum & alia quaedam acceſſerunt, nullibi, quantacunq; etiam induſtria adhibita, conquirere potuerim; Hinc & in eo recenſendo tanto breviori mihi eſſe licebit. Jacturam interim fore mediocrem, ſpero.

§. CXCII.

De *Stephano Blancardo*, Phil. & Medic. D. nec non Practico Amſtelodamenſi copioſius dicendum eſt. Is enim cum *Waldſchmidio*, cujus *Inſtitutiones* paulo ſuperius recenſuimus, paria fecit, & inter eos, qui medicinam fundamentis *Philoſophiae Carteſianae* ſuperſtruxerunt, nomen ſuum profeſſus eſt. Edidit is ſuperiori ſeculo fundamenta artis medicae ſub ſpecioſo *Academiae Carteſianae* titulo, quo ſecundum principia nobiliſſimi *Carteſii*, quae ille naturae aemula eſſe exiſtimat, univerſam doctrinam medicam tam *phyſiologicam* quam *pathologicam* imo ipſam quoque *therapevticam* explicare conatus eſt. Metuo autem, ne vano ambitionis vento inflatus *Auctor*, plus ſibi tribuerit, aliisque polliceri auſus fuerit, quam actu praeſtiterit. Ambitioſum namque eſt, quod praefatione jactat, ſe, cum *Carteſius* omnia perficere non potuerit, veſtigia ejus legiſſe, & ingens illud veritatis aedificium, à magno illo Philoſopho erigi affectum, provida ratione facem ubique praeferente, effeciſſe & ad colophonem feliciter perduxiſſe. Ambitioſius eſt, quod paulo poſt de ſeipſo jactitet, ſe omnes praecedentium ſeculorum ſcriptores longo poſt ſe intervallo relinquere; Cum nemo illorum *pathologicam*, potiſſimum *aetiologiam* & medendi methodum ad illum perfectionis apicem perduxerit, ac ipſe quidem ſolus: Unde rationis uſu privatum eum eſſe oportere concludit, qui ſecundum principia tam clara tamque evidentia ad intimam hominis cognitionem penetrare non poſſit.

§. CXCIII.

Sunt autem, ut ſummatim omnia, quae dicto hoc opere praeſtitit *Blancardus*, comprehendam, quatuor rerum

 momen-

momenta, quorum *primum* ſtatum humani corporis ſanum, *ſecundum* vero modum ſiſtit, quo integritas ejus conſervari illaque quocunque modo labefactata reſtitui debeat? *Tertium* in origine morborum ſecundum principia *Carteſiana* indaganda, & *ultimum* in modo explorando verſatur, quo medicamenta in varios corporis noſtri humores operentur eorundemq; corruptam craſin alterent, corrigant atq; emendent. De evacuantibus vero altum hic eſt ſilentium.

§. CXCIV.

Ut vero, an tanto hiatu digna ſint, quae ingenti arrogantia protulit *Blancardus*, diſtinctius pateat, de ſingulis ſeorſim diſpiciamus adcuratius. In parte igitur *Phyſiologica* demonſtrare adlaborat, ſanitatem humani corporis conſiſtere, partim in partium ſolidarum integritate, partim vero etiam in celeri circuitu ſanguinis reliquorumque humorum; Qui ſi contraria nimia tarditate peccet, obſtructiones & conſequenter morbos cauſetur. In *altera* parte declarat, qua ratione convenienti diaeta & regimine humores in debita ſua fluiditate & ſic univerſum corpus in ſua integritate ſalvum conſervari debeat? In *tertia* vero, quam alias *Pathologiam* dicimus, demonſtrare contendit, omnes morbos vel à laeſione partium ſolidarum, vel ab inſpiſſatione ſanguinis aliorumque humorum, indeque orto tardo eorundem circuitu dependere; Et in *poſtrema* de medicamentis eorundemque operandi ratione, principiis adſumptis convienienter, diſſeritur.

§. CXCV.

In quibus omnibus, ut meam nunc epicriſin adjiciam, ſequentia merito deſidero: I.) Quod omnes in corpore humano ſuccedentes actus pure mechanice tanquam in automate peragi exiſtimet. II.) Quod à celeri humorum circuitu ſanitatem corporis & ab oppoſita tarditate ejusdem morbos derivet. III.) Quod chymaericis ſpeculationibus theoreticis, praxi certe inapplicabilibus, omnia ita temeret atque coinquinet, ut laſcivientis rationis fictiones, ſomnia atque ludibria ubique clare in conſpectum prodeant.

deant. Sic, ut unum ſaltem vel alterum harum rerum exemplum ſubminiſtrem, explicaturus modum concoctionis ſeu fermentationis alimentorum in ventriculo, converſionisque in chylum mediante menſtruo gaſtrico, ſupponit, materiam mundi ſubtiliſſimam, quam alias aetherem ſubtilem vocant Philoſophi, & de quo fabulantur *Carteſiani*, quod nullibi includi, nullibi excludi ſeſe patiatur, irruere undiquaque confertim examinis culicum inſtar in particulas acidas tam alimentorum quam ſalivae, cultellorum ſcindentium inſtar efformatas, quae ſubtili iſta primi elementi materia in particulas ciborum craſſiores adactae, illas aliquamdiu agitent, penetrent, diſcindant atq; diffindant, donec cum ramoſis, i. e. bilioſis unitae in chylum convertantur: Qui cum crudior & gryſeo adhuc colore inſtructus ventriculo elabatur, novam deinde fermentationem in duodeno & reliquis inteſtinis ſuſcipiat, confluentibus eo verſus non bile ſolum flava & ſucco pancreatico, ſed & reliquis glandulis inteſtinalibus ſuccum ſuum eo evomentibus. Cum autem bilis (ex hypotheſi) naturae ſit alcalinae & oleoſae, ſuccus vero pancreaticus acidae indolis: Hinc novam ibi excitari fermentationem, tamdiu continuantem, donec acumina acidi poros alcali eodem fere modo, ſicuti gladioli ſuas vaginulas, oppleverint & quaſi obturaverint, ſicque ad tranquillitatem & mutuam quietem reduxerint: Unde ſubtili aëreo-aetherea materia partes alimentorum, mutua fermentatione hoc modo junctas, non amplius tam expedite, ut antea commovere valente, globuli coeleſtes interea ſua preſſione dominatum nacti, intimius illas unirent atque conjungerent: Ex quo deinde chylus longe majorem, quam in ventriculo habebat, perfectionem & exaltationem adquirere concludit &c. Pluribus forte ſpeciminibus inutilium talium ſpeculationum, quarum non parvus numerus ſingulis ferme in capitibus occurrit, non erit opus, cum ex hoc unico *Noſter*, tanquam ex ungvibus leo, cognoſci ſatis poſſit.

§. CXCVI.

Blancardo ſubjungimus *Cornelium Bontekoe*, in *Academia* noſtra *Viadrina* quondam medicinae Profeſſorem publicum & *Friderici Wilhelmi M.* Archiatrum, qui anno 1688. Amſtelodami in lucem publicam emiſit fundamenta medicinae, ſive de effectibus alcali & acidi per modum fermentationis & effervefcentiae commentationem, ſeu rectius loquendo, commentum, quanquam non ab *Auctore* ipſo, ſed à quopiam ejus amicorum primum belgico idiomate emiſſa, deinde vero latinitate donata fuerint haec fundamenta.

§. CXCVII.

Series tractationis ubique confuſa eſt, non raro quoq; ὕστερον πρωτερον committitur, uno ut me verbo expediam, ſcopis diſſolutis non abſimile totum videtur opuſculum, ut ſuſpicio haud vana orta in me fuerit, theſes fuiſſe, confuſaneo ordine diſcipulis in Collegio privato dictatas, quae deinde ab *Auctore* ipſo non reviſae, praematuri partus inſtar lucem publicam adſpexerint. Poſtquam enim primis duobus capitibus de alcali & acido & quinque Chymicorum principiis, meliori duorum iſtorum ſalium explicationi ſervientibus, egerat, ſubjungit quinq; ſequentibus capitibus methodum, nova medicamenta praeparandi una cum enarratione praecipuorum ſimplicium, ex minerali, vegetabili & animali regno petendorum: Tum vero ſubnectit demum capite octavo fundamenta quaedam, ad novum aedificium in medicina & chirurgia exſtruendum. Quod ipſius inſtitutum ut felicibus auguriis ſuccedat, conſtituit lapides fundamentales recte diſponere & fundum omnem aequare, cui deinde omne id, quod ad fabricam promiſſam ſpectet, firmiter & ſine lapſus metu innitatur. Id vero ut reipſa praeſtet, propoſitiones quasdam phyſicas praemiſit, quas infallibiles vocat, ac proinde fundum ignorantiae paludoſum circa corporum & motuum notitiam deſiccare laborat. Huic deinde fundo bene deſiccato alcali & acidi palos, ut ipſe putat, firmiſſimos infigit,

inſigit, ac poſtea cum aqua, terra, ſpiritu, oleo, aëre & igne ita firmiter vincire ſtudet, ne ullibi vacillet ac titubet opus; Sic vero contextum plana hac effervefcentiae ac fermentationis tractatione cooperit: Quibus omnibus debite elaboratis, videtur ſibi fundamentum jeciſſe, quod immobile (ſi DIIS placeat) conſiſtat, & ſuper quod ingens illud artis medicae atque chirurgicae palatium exſtrui queat.

§. CXCVIII.

Jam, ſi quis ea curioſitate teneretur, ut ſcire cuperet, quomodo haec duo principia, alcali & acidum, ortaque inde fermentatio vel effervefcentia omnibus phaenomenis, in *Pathologia* praecipue, ſolvendis ſufficiat, anxius ſine dubio haereret *Auctor*, qua ratione ſeriae tali curioſitati ſatisfaceret? Si credat, rem phyſicis quibusdam propoſitionibus, iiſque admodum generalibus, de corporibus ac motibus expediri poſſe, ſine dubio fallitur. Morborum vero dum quatuor ſiſtit differentias, nempe morbos ſuccorum, ſyſtematis partium ſolidarum, impedimentorumq; in animae atque corporis operationibus, pluribus ſe implicat difficultatibus, quam quibus explicandis expeditam inveniat viam. Nam in exponendis morbis ſuccorum primo ſtatim in limine impingit, dum paucos morbos ex ſuccorum abundantia oriri ſtatuit: Illud vero eorundem vitium admodum familiare, ſi non unicum, eſſe credit, quod ſucci nimis inſpiſſati ſint, aut aquoſi, acres, celeres nimis vel tardi, non currentes, vel aliorſum, quam oporteat, euntes: Id quod peritae obſervationi practico-clinicae e diametro contrarium eſſe, omnes experti Practici uno ore fatebuntur. Similiter falſum eſt, in ſuccis duplicem tantum acredinem eſſe, acidam aliam, aliam vero alcalinam; Sicuti & illud aperte falſum eſt, partes ſolidas ex alcali & aqua conflari, in quibus proinde vix acidi quicquam reperiatur: Unde ſponte conſequitur, falſum quoque eſſe: Omnes morbos, a ſuccis acribus originem ſuam ducentes, acidum tanquam primariam cauſam agnoſcere. Suis item

dubiis

dubiis atque difficultatibus haud caret, quando ulterius ſtatuit, officinam principem, in qua ejusmodi morboſum acidum producatur, eſſe inprimis ventriculum cum inteſtinis craſſis, quanquam ſecundum ſpeculatoris noſtri mentem in omni quoque angulo, ubi ſucci in quiete verſantur, fermentatio contingere indeque acidum procreari poſſit; Adeo ut in omnibus quoque inflammationibus, abſceſſibus & ulcerationibus acidum reperiatur. Acredinis inopiam rarius contingere; Si vero contingat, ob ſuccorum viſcoſitatem eandem fieri, docet. Nec negandum eſſe monet, in ſanguine aliisque ſuccis non raro ſal volatile fere deficere, atque hoc in caſu acidum & viſcidum dominium ſibi arrogare: Digniorem notatu eſſe tardum humorum curſum, ſive totalem eorundem a motu ceſſationem, quod utrumque tamen ab alia cauſa provenire non poſſit, quam a ſola viſcoſitate, ex coagulatione vel ab acido, vel a frigore, vel ab impedito curſu in minimis canaliculis obturatis, nec non, quod iſtarum rerum conſequens eſt, ob caloris, virium, motuumque defectum, vel quando earum rerum preſſiones, quibus ſucci protruduntur, ceſſant.

§. CXCIX.

Dum vero ulterius morborum, ſolidas partes adficientium, ſeriem recenſet, ſuorum principiorum ne verbo quidem meminit, id quod tamen fieri oportebat, ſi novo chirurgiae aedificio exſtruendo inſervire debebant. Sed hiſce omnibus prolixius enarrandis non immoror, dummodo hoc unicum adjicere adhuc licuerit, phlogoſin *Auctori* noſtro nihil aliud videri, niſi inflammationem quandam, corpus noſtrum ſubito invadentem ac ſubito denuo ceſſantem & rubedinem in facie atque genis conjunctam habere, atque adeo adfectum eſſe partium ſolidarum &c. Quod licet forte tyrones artis ſibilo dignum judicarent, decoro tamen repugnat, quia ſpeculator noſter ſuo tempore haud paucis admirationi & in celebri academia artis ſuae Profeſſor fuit.

§. CC.

§. CC.

Converto me potius ad methodum, morbis ſanandis proficuam, quam melius inſtitui non poſſe adſerit, quam ſuccorum correctione, ſive, quod idem plane eſt, alteratione, quae tamen, quam parum diviſioni morborum antea propoſitae reſpondeat, in aprico eſt. Abſolvit autem univerſam curationem internam per remedia, quae ad claſſem temperantium, ſudoriferorum, diureticorum, catarticorum, emeticorum & anodynorum reducit: Ad externam vero revocat anodyna, diſſolventia, mundificantia, conſolidantia & cauſtica; In qua univerſa medicamentorum claſſe nihil occurrit, quod humorum correctioni directe quadret, praeter temperantia & anodyna: Reliqua enim vel evacuandi vel partes ſolidas adficiendi ſcopo deſtinata ſunt.

§. CCI.

Quod igitur temperantia haec eorundemq; efficaciam ſpeciatim attinet, ea omnibus morbis, ex acido ortis, tanquam neceſſaria deſtinare non dubitat, cum ſecundum *Auctoris noſtri* ratiocinium inter *alcali* & *acidum* ſit actio & motus, ut unum alterius actionem, vim & energiam brevi temporis ſpatio deſtruat. Ex quo fundamento colligit, quatuor eſſe temperantium ſpecies, nempe I.) alcalia tam fixa quam volatilia. II.) oleoſa & pingvia, quae tanquam hamis & ramis inſtructa, acidas particulas ita circumdent, ut aeque parum nocere amplius queant, quam enſis vaginae incluſus. III.) Aquoſa, in quibus *acidum* & *alcali* facile liqueſcat, ſicque minus pungens efficiatur. IV.) Omnia illa, in quibus *alcali* praedominium obtineat, magnetis inſtar ſeſe habere, quo acidum evertatur. Cum vero facile ſuboluerit *Noſtro*, eventum practicum praefigurationibus hiſce theoreticis non aeque feliciter reſpondere: Hinc agnoſcere nullus dubitavit, in hunc usque diem neminem adhuc oſtendiſſe, vera dari temperantia, i. e. talia remedia, quae acida ita reipſa immutarent, ut acida eſſe deſinerent, ſeu, quae omnem ſuam acredinem acidam eo

 modo

modo deponerent, quo acies cultri habetatur & obtuſior redditur. Cum aquoſa reipſa nihil aliud praeſtent, quam ut acidum & alcali intra ſeſe abſcondant, quae tamen illaeſa ἐπι το πολυ extrahi denuo poſſint. De operatione vero alcalinorum in acida & acidorum in alcalina unicuiq; perſpectum ſit, contingere hic tantum quandam partium confuſionem & mixtionem, & à nemine clare demonſtrari poſſe, num alcali, num vero acidum ſuam mutaverit figuram, quorum alterum ab altero, ſaltem ἐπι το πλειϛον, illaeſum & immutatum ſeparari queat. Denique, ſuis quoque incommodis haud carere pingvedines & olea, ultro fatetur.

§. CCII.

Inter anodyna ſolum fere opium extollit, quod quippe remediorum omnium Hercules quaſi ſit & domitor, quo nullum aliud ſuum munus celerius, promtius ac tutius exequatur, &, quod merito mireris, rariores eſſe caſus, in quibus non conveniat opium; Meras enim calumnias eſſe & craſſa nonnullorum praejudicia, qui narcoſin quandam & vim ſtupefacientem ejusdem ubique criminarentur; Tanto vero minus veritati congruere, vires aegrotantium extingvi & mortem accelerari opiatorum uſu. Optandum foret, haec omnia, uti narrantur, ita examuſſim ſeſe habere! Aſt prohdolor! Experientia clinica omnibus cerebrinis ſpeculationibus multis paraſangis praeferenda, contrarium mille caſibus comprobavit & adhuc indies comprobat, quod opiata in plerisque ab *Auctore* citatis & allegatis caſibus, nempe in doloribus arthriticis, iſchiadicis, convulſionibus, tuſſi, aſthmate, alvinis promiſcue fluxibus, teneſmo, nephritide, in omnibus haemorrhagiis, in cunctis propemodum febribus, variolis, morbillis, morbis malignis, peſte, vertigine, phrenitide, mania, epilepſia, phthiſi, tabe, nimia fame, palpitatione ac tremore cordis &c. mirum quantum potius noceant quam proſint. Quibus tamen heteroclitis encomiis non obſtantibus, invitus agnoſcere cogitur, quod in valde imbecillibus, hydrope confir-

confirmato, adpetitus defectu, morbis ſoporoſis, alvo dura &c. vel nihil opii vel exigua ſaltem ejusdem doſis vel cum multo ſale volatili permixtum exhibere oporteat.

§. CCIII.

Quod reliquum eſt, multum quidem etiam diaphoreticis atque ſudorificis, diureticis atque catarticis tribuit; Ita tamen, ut, qua ratione acido ſuppoſito cicurando vel ejiciendo inſervire debeant, nullibi adpareat, atque adeo neceſſarius nexus inter theoriam & praxin, inter principia & concluſiones ubique deſideretur. Et cum denique circa uſum horum remediorum moneat, medicum decere, veteres criticos non attendere, ſed maturandum eſſe, ut ſudor &c. acceleretur, unicuique in ſenſus incidat neceſſe eſt, *Auctorem* noſtrum, cerebrinis ſuis ſpeculationibus occoecatum, magnum ſane in praxi Herculem non fuiſſe. Unde concludo, haec fundementa ad tyronem artis potius confundendum, quam ullo modo juvandum conducere. Et ſicuti lubrica ſunt, ut vidimus, fundamenta, quibus palatium ſuum ſuperinaedificare adlaboravit: ita idem praeceps mox corruiſſe, non eſt mirandum. Pluribus eadem haec principia refutarunt *Johannes Bohnius* & *Fridericus Hoffmannus*, *ille* in Diſſertatione Epiſtolica ad D. *Joëlem Langelottum*, Ducis Holſatiae Archiatrum, *de alcali & acidi inſufficientia pro principiorum ſeu elementorum corporum naturalium munere gerendo: Hic* vero *in exercitatione Acroamatica de acidi & viſcidi pro ſtabiliendis omnium morborum cauſis & alcali fluidi pro* iisdem debellandis inſufficientia, ad Dn. *Theodorum Chriſtophorum Krug de Nidda*, Potentiſſimi Pruſſorum Regis Friderici Archiatrum & Conſiliarium Intimum ante paucos annos, mortalium coetu, qui longiori vita dignus erat, ereptum.

§. CCIV.

Convertimus jam nos ad *Michaëlis Bernhardi Valentini*, Med. D. ejusdemque ut & Philoſophiae Naturalis in Aca-

demia Haſſo-Gieſſena P.P.Ord. Medicinam Nov-antiquam, ſeu curſum artis medicae, è fontibus *Hippocraticis* juxta principia naturæ mechanica mentemque modernorum erutum & perpetuis commentariis illuſtratum, in quo per formam *Inſtitutionum* non tantum generalia medicinae fundamenta, ſed & conſpectus materiae medicae ſelectioris, methodus praeſcribendi formulas, monita practica cum potioribus & ex parte rarioribus artis chymicae, chirurgicae & obſtetriciae enchiriſibus traduntur. *Auctor* in univerſo hoc opere in eo eſt, ut pleraque modernorum noviſſima dogmata jam in monimentis *Hippocraticis* extare, Lectori perſuadeat: Unde ipſius Philoſophiae corpuſcularis, imo, ut plus dicam, ipſius quoque Mechaniſmi, quem hodie in ore habent omnes, clariſſima veſtigia ſeſe ibi reperiſſe adſerere non veretur. Quod ut tanto probabilius reddat, verba *Hippocratis, quae libro de his, quae uterum non gerunt* pag. 251. editionis Foëſianae: *Conare, ut te naturalem medicum exhibeas, ad hominis habitum & vires reſpiciendo*; ita interpretranda eſſe vult, ut per habitum & vires nihil aliud intellexiſſe videatur ſenex, quam naturae mechaniſmum, in machina hominis hydraulico-pnevmatica conſpicuum, qui non tantum in fluidorum undulatione, ſed & ſolidarum partium tono atque elatere, quem alii motum tonicum vocare ſolent, obſervetur. Cogitavit itaque *Auctor* Celeberrimus, operae pretium ſeſe facturum, ſi recepta artis & naturae principia ex fontibus *Hippocraticis* derivaret, & non tantum ex libro *Aphoriſmorum*, ſed & reliquis ejus ſcriptis, methodo jam à *Jacobo Sponio* haud infeliciter tentata, dogmata Philiatris ſcitu maxime neceſſaria erueret, & in artis formam redigeret, ſimul tamen etiam *Inſtitutiones* non ratione tantum & experientia ſed & auctoritate graviſſimi hujus Senis ita communiret, ut, quemadmodum JCti *Inſtitutiones Juſtinianeas* habent; Ita quoque medici *Inſtitutionibus Hippocratis* auctoritate munitis inſtructi eſſent, quae omnium inſtar eſſent, & quibus orthodoxiae gloriam aequo cum aliis jure adfectare poſſent, ne amplius

ſine regula ubique recepta oberrare cogerentur. Laudo equidem *Auctoris* inſtitutum, atque certiſſime perſuaſus ſum, non ſine ingenti labore multa egregia dogmata ex fontibus *Hippocratis* eruta eſſe: An vero multi quoque textus non obtorto collo ad multa Neotericorum dogmata confirmanda trahantur, peritioribus dijudicandum relinquo; Nobis enim nunc omnia (loco potiſſimum alieno) adcurate excutiendi otium non ſuppetit. Illud ſolummodo brevibus hic indicamus, quod univerſum hoc artis medicae curriculum, ſyſtematice tractatum, octo partibus comprehendatur, duabus nempe principalibus, *hygieine* atq; *therapevtica*, & ſex, minus principalibus, quae aut illas antecedunt, ut *phyſiologia*, *pathologia* & *ſemeiotica*, aut conſequuntur, ut *diaetetica*, *pharmacevtica* & *chirurgica*.

§. CCV.

Idem cum *Valentino* propoſitum in animo habuit *Joachimus Targirus*, medicinarum Doctor, in medicina ſua compendiaria, in qua, propoſitis veterum ſententiis, novam, &, ut loqui amat *Auctor*, veriſſimam artis medicinae formam ac rationem breviter ac diludide explicare conatus eſt. Cum enim prudenter obſervaſſet, aetatem noſtram in ipſam perturbationem diſciplinae veteris improvide incidiſſe, nova nondum conſtituta aut ſaltem nequaquam confirmata; Jam vero tantum abſit, ut veterum inventa omnino rejicienda ſint, ut potius ſine fideli horum obſervatione remediorum atque morborum nullam fuiſſe artem judicet; Interea tamen etiam, quae recentiorum induſtria notavit, alto promiſcue ſupercilio contemni pariter non debeant: Hinc temperie quadam ſuo in compendio uti, i. e. nova cum antiquis conjungere aequum duxit *Auctor*; Unde merito invehitur in perverſos modernorum mores, qui, relictis conſtitutis tritisq; praeceptis veterum, debiles tantum errantesque ſuas proponant ſententias. Quid enim hodie familiarius, quam cernere volumina, nihil fere continentia, praeter jejunas repetitasq;

 compi-

compilationes eorum, quae tractant hodie Phyſici! Nimiam iſtam philoſophandi ſubtilitatem uti in cetera vivendi ratione, ita in ipſa potiſſimum medicina non tam utilem quam noxiam potius eſſe, in hunc usque diem ſatis experimur. Proinde nulla in re occupatus eſſe voluit *Noſter*, niſi quae ad artem ſalutarem pertineret. Quare multa dejicienda, plurima convertenda, ſed non pauca etiam, quae crudeliter ab aliis vexata & è medicina ejecta erant, quaſi poſtliminio reducenda ac reſtituenda fuiſſe, è re ſua fore credidit.

§. CCVI.

Univerſo in opere ita ſeſe geſſit, ut, quaecunque in deſcriptione artis ab antiquis peccata eſſent, detegeret & clarius explicata daret: Corporis vero oeconomiam continua ſerie in functionibus naturalibus pertractavit, & partem medicinae *phyſiologicam* ita purgatam expeditamq; propoſuit, antiqua ut ejus partitio, nova vero & magis dilucida rerum explicatio videretur. *Pathologiae* quoque, quae de morbis agit, non mediocrem attulit opem, morbique naturam atque definitionem apud antiquos obſcuram & ambiguam illuſtravit, rejecta putida eorum diſtributione, & ſubſtitutis iis morborrum generibus, quae non à commentitia quadam temperie, ſed ab iis rebus hauriuntur, ex quibus humanum corpus revera conſtitutum eſt. Cauſarum quoque & ſymptomatum naturam ita ſibi expoſuiſſe videtur, ut, quae à veteribus iis de rebus ſcripta ſunt, nihil aliud, quam confuſionem quandam & obſcuritatem intellectus, docere videantut. Cumque ſignorum ratio & differentiae eorundem ab falſa Philoſophia ita depravata eſſent, ut *Theſeo* opus fuerit, qui tanto in labyrintho filum duceret: Noluit quoque ſuis hic deesſe partibus. Atque hoc eſt ſchema totius operis, quod in Praefatione ad Lectorem ipſemet adumbrare voluit.

§. CCVII.

Videamus nunc, an & quatenus hiſce ſuis promiſſis ſatisfe-

ſatisfecerit! In *parte prima*, quae *Phyſiologiam* ſiſtit, ordine agitur de medicina ejusque diviſione, de elementis eorundemque miſtione, de temperamentis non totius tantum, ſed & aetatum atque partium, de calido nativo, de triplici partis ſimilaris ſubſtantia & humoribus ſecundariis, de mutatione calidi nativi, de animae facultatibus in genere, ſpeciatim vero de facultate animali, vitali ac naturali, de generatione animaeque functionibus. Ex quibus omnibus nunc paucula, *Auctori* noſtro ſingularia, excerpemus. Vulgaris primum medicinae partitio in quinque partes eidem diſplicet, cum ſemeiotica, quam vulgo tertiam artis partem faciunt, phyſiologiae & pathologiae adhaereat, atque adeo quatuor partes ſufficere queant; Quod jam alios advertiſſe, hinc inde monuimus. Quaeſtionem, an medicina ſit ars, an ſcientia, merito tanquam inutilem nullo numero habet, cum intuitu *hygieines* & *therapevtices*, quae praecepta & remedia procurandae valetudinis cauſa ſuggerunt, ſit ars, reſpectu vero *Phyſiologiae* atque *Pathologiae*, quae in cognoſcendis corporis humani functionibus atque affectibus occupatae ſunt, ſcientia potius dici mereatur. Ejuſmodi ſcientiam in arte facienda medico ut ſumme neceſſariam ideo merito commendat; Quia medicinae exercitium non à ſolo inſtinctu motuque mechanico pendet, ut vulgaris fert perſvaſio, inſuperque corpus humanum non aliorum corporum inſtar iners ſit atque otioſum, ſed agens in ſe, variis viribus & facultatibus inſtructum habeat, quod intentionem medici variis modis illudere ac fruſtrari poſſit, imo ipſa quoque inſtrumenta, quibus medicus utitur, non ita ſua in poteſtate habeat, ſicuti alii artifici lapidis vel ligni inſtar obſequuntur: Hinc doctrina atque ſcientia, ad abditas rerum naturas & cauſas perveſtigandum, opus eſt, vera nempe & genuina ſcientia rerum humanarum, cum ipſa veritate conſentiente, nullis figmentis falſae Philoſophiae contaminata.

§. CCVIII.

Praeterea recte confutat errorem veterum, quando ſolidis tantum partium nomen vindicarunt, ſanguinem vero & reliquos humores horum ex numero removerunt, cum non ſolidis tantum agendi poteſtas ſit conceſſa, ſed ipſa quoque contenta ſeu fluida, non ratione imaginariae facultatis, illique adjunctae functionis inter partes recipi aut ab iis excludi debeant: Sed quod ſociata inter ſe ſint, quod à ſe mutuo dependeant, ac denique in commune commodum conſpirent, atque eo ipſo & nomen partis ſatis ſuperque mereantur, & ſubjecta ſanitatis morborumque ſtatuantur. Neque ſine ratione partitionem partium in *ſimilares* ac *diſſimilares* repudiavit; Quia, quas antiqui ſimilares partes adpellarunt, manifeſta diſſimilitudine notantur, qualis compoſitio in cute, arteria, vena, nervo, muſculo &c. admodum conſpicua eſt. De elementis id quoque rectiſſime agnovit, non ſolummodo, quod doctrina veterum de illis admodum ſit obſcura & ex Philoſophia temere in medicinam detruſa; Verum etiam, quod figmenta illa atque inſomnia ſcholaſticorum ad medicinam nihil prorſus faciant, ac proinde ſat commode praeteriri poſſint. Diſputationem de temperamentis & natam & educatam eſſe credit in Philoſophia veterum, quae, cum lumini eſſe ingenio humano, noſtram detegere ignorantiam & errores emendare deberet, denſis potius tenebris omnia obduxit, juſtum ſcientiarum ordinem pervertit, veraſque rerum naturas occultavit, mutavit, extinxit; Eam quoque doctrinam non à propria & intrinſeca rerum forma, ſed à ſenſibili qualitate denominatam eſſe, ut aliud calidum, aliud frigidum & aliud ſiccum dicatur: Jam vero ſenſum & tactum noſtrum temperamentorum iſtorum valde iniquum conſtitui judicem. Calidum nativum, ſpiritum & humidum primigenium vana & in medicina inepta vocat nomina. Contentiones de natura fervidiores, quam res poſtulabat, fuiſſe, merito dolet; Quanquam ob interpretationem antiquorum obſcuram, nullam hujuſce vocis in medicina

dicina uſum eſſe, ideo putandum non ſit. Supponit itaque in omni animalium & plantarum generatione inteſtinum aliquod in ipſa materia, ſeu corpore plantae & animalis, generationis & motionis activum principium, quod primum ſit illius naturae, quam medici conſiderant, quaeque non male dicitur opifex & conſervatrix corporis cauſa. Neque tamen naturam iſtam à vita noſtra diverſam eſſe contendit, ut mirari non debeamus, illam perfecto operi in omni vita inſidere. Quo in ſignificatu vocis naturae nullum committi poſſe peccatum confidit, dummodo, quod alii credunt, ne propter finem agere fingatur.

§. CCIX.

Spirituum doctrinam à veteribus traditam reformaturus *noſter*, ſupponit, praeter ſpiritus innatos, qui ſtabiles in unaquaque parte & fixi credebantur, tres influentes & vagos ab illis dictos eſſe; Naturalem, qui ex jecore per venas, vitalem, qui ex corde per arterias, & animalem, qui in cerebri ventriculis genitus per nervos in omne corpus diffunderetur: Quorum omnium productio ita fieri quondam putabatur, ut naturalis materia eſſet vitali, & vitalis iterum animali. De ſpiritu vero inſito hoc ſingulare addebant antiqui, vinculum illum eſſe, quo anima cum corpore conjungeretur, perque illum & calidum nativum ſingularumque partium facultates conſervarentur. Verum enim vero, quanquam ex ſingulis humani corporis partibus peculiarem elici poſſe ſpiritum concedat; Ejuſmodi tamen ſpiritum ante ſeparationem fixum, otioſum atque potentia tantum calidum eſſe & actuoſum demum actuque calidum fermentatione evadere exiſtimat, illumque revera unicum tantum eſſe ac ſimplicem, nempe animalem, cujus materia partim ex elemento tertio, particulis ſcil. tenuibus, volatilibus ac potiſſimum oleagineis, ad quas tamen etiam particulae acres ſaliaque volatilia accedant, conſtituatur, partim vero ex elemento primo ab igne in corde accenſo, partim denique ex ele-

Q mento

mento ſecundo componatur, forma vero in motu illo, quem primum & ſecundum elementum ex ſe, tertium vero propter iſta habet, ac inde in illa corpuſculorum tertii elementi ſeparatione, propter quam libere & ſeorſim moveri & quaſi volare inter ſeſe poſſunt, conſiſtat. Si quis tamen ternario ſpirituum numero delectaretur, illi libertatem indulget, *naturalem* quaerendi in chylo, atque pro effectu primae coctionis habendi, alterum vitalem quidem adpellandi, qui tamen naturalis rectius diceretur, quod in perficiendis ſuis functionibus primarium ſit inſtrumentum, quique ex ſubitanea ſanguinis incaleſcentia, quae ſingulis pulſibus fieret in corde, oriretur; Ac tertium denique, qui animalis audiret, quique in cerebro non tam gigneretur, quam ante genitus à reliquo conſortio ſepararetur.

§. CCX.

Ad facultates animae explicandas devolutus, accuſat iterum veteres, quod facultates iſtas, quae neceſſario ex humani corporis natura proficiſcerentur, ad animam tanquam cauſam principem retulerint; Cum nihil ſit inanius dicere, quam corpus noſtrum, ut ex elementis, temperamentis, calore & ſpiritu conſtitutum eſt, iners atque otioſum eſſe, neque aptius quam cadaver ad vitae munia atque functiones efficiendum: Cum potius ſit avtomaton non tantum naturalium & vitalium per ſanguinem, humores & organa naturalia, ſed etiam animalium functionum per cerebrum, ſpiritus, nervos & organa animalia. Actu & per ſe vivere corpus noſtrum, quia & ad agendum aptiſſimum eſt inſtrumentum & ſeipſum viribus aſſidue reſtaurat; Quae reſtauratio cum internam alimenti ſubactionem conjunctam habeat: Hinc ſpiritum produceret, ex quo motus & ſenſus atque adeo vita animalis oriretur. Quo circa actiones non ceſſare in corpore, nec hominem mori, infert, quod anima diſcederet, propterea illam abire, quia corpus aptum porro inſtrumentum non

eſſet,

eſſet, organaque corrupta, ad functiones iſtas efficiendas non amplius accommodata. Unde conſequitur, naturale, vitale & animale non eſſe unius animae in homine partes, ſed ſociata tantum & connexa dici poſſe, non vero in unius animae ſubſtantiam conſpirare.

§. CCXI.

Relictis facultatibus ad functionum explicationem ſeſe accinxit *Auctor*, easque in tria genera partitus eſt; Primam illarum ita ſolius corporis propriam eſſe putat, ut mero naturae inſtinctu perficiatur; Unde etiam *naturalem* optimo jure dici poſſe perſuaſus eſt, cum ad haſce functiones expediendum ſola partium diſpoſitio motusque corporeus concurrant. *Animales* vocat, in quas nullum imperium conſtitutio corporis aut illius motus obtinet, ſed quae ab anima ſola proficiſcuntur. Poſtremum genus adpellat *compoſitas*, quae ex animae cum corpore ſocietate proficiſcuntur, quarum cauſae ortusque tam animae, quod juncta cum corpore, quam corpori, quod mente praeditum eſt, aſſignari poſſunt. Uti vero functiones naturales non ſolum in alimentis digerendis ac diſtribuendis ſunt occupatae, ſed & ſangvificatio, circulatio ſanguinis, nutritio, generatio opusque univerſum tam ſecretorium quam excretorium ad hance claſſem pertinent: Ita ad functiones animales retulit ſenſus atque motus. Quae univerſa tractatio uti latiſſime ſeſe diffundit: Ita non minus ſingulares multas *Auctoris* opiniones comprehendit, quas tamen prolixitatis nimiae vitandae gratia ſtudio hic omittimus.

§. CCXII.

Pergimus potius ad *Pathologiam*, quam non minus, ut *Phyſiologiam* ab erroribus & figmentis veterum repurgavit *Targirius*. Et quemadmodum in primo ſtatim *Theoriae Pathologicae* limine de natura morbi in genere agi conſuevit: Ita non obſcure ab *Ipſo* accuſantur veteres, quod veram morbi indolem ejusdemque genuinum fundamentum

 profun-

profunde ignoraverint. Equidem, quod ordinem in *Pathologica doctrina* ab Ipſis ſervatum attinet, quo primum de morbis, deinde de cauſis, porro de ſymptomatis tandemque de ſignis agunt, nihil magnopere deſiderari poſſe videtur: At vero, dum morbum dicunt affectum contra naturam, qui naturae vim inferat ejusque actiones laedat, ſicque ille ſolus tantum partes ſolidas cum ſimilares tum organicas occupare credatur, atque adeo in contentis, ſanguine nempe reliquiſque humoribus cauſae, in ipſis vero functionibus, ſi quae vitia obſerventur, ſymptomata adpellentur, quia in partis ſubſtantia non inhaereſcunt: Recte utique antiquos inculpaſſe videtut *Noſter*, quod naturam morbi ejusque fundamentum ignoraverint: Quia morborum, cauſarum atque ſymptomatum non diverſa maximeque contraria eſt natura, ſicuti veteres voluerunt, ſed ſaepe eadem & ſolo reſpectu diverſa, imo cauſae & ſymptomata in ſe morbi eſſe ſolent, qui quandoque nullo modo, ſaepiſſime omnino à ſe invicem dependent. Accedit, ipſas quoq; fluidas corporis humani partes ab inſultibus morboſis tutas non eſſe, cum ſublata humorum aequabili mixtura neceſſario conturbatus ſequi debeat motus, & vitia ſanguinis, quae in motu, ſive nimium aucto ſive imminuto conſiſtunt, neminem latere poſſint.

§. CCXIII.

Eodem, ni fallor, jure condemnavit ſententiam *Galenicorum*, qui, uti ſolis partibus ſolidis facultates inditas esſe voluerunt, easque pro ſanitatis domicilio ſolas habuerunt; Ita quoque illas ſolas in *Pathologia* morborum ſubjecta fecerunt: Quo ipſo manifeſte iterum prodiderunt, quod indolem ſanguinis reliquorumque fluidorum non intellexerint, quae quippe praeter vitium in quantitate, pravam ſubinde diatheſin induere, ſicque morbum excitare poſſunt ac ſolent, etiamſi nulla pars ſolida ſimul laeſa ſit, quanquam interea id quoque diffitendum non ſit, neque crebro neque diu fluidarum partium morbos per ſe conſiſtere, quin ſtatim functiones nonnullas, quae ſolidis

partibus

partibus vulgo attribuuntur, laedere, impedire imo ipſam deinde ſolidarum ſubſtantiam afficere atque impedire ſoleant. Atque adeo triplex morbi ſubjectum conſtituit *Targirius*, & primum quidem, ſi contentum, deinde, ſi pars ſolida, tandemque ſi utrumque, quod frequentiſſimum eſt, laedatut.

§. CCXIV.

Examinata morbi natura, in genere veterum ſententiam de variis morborum differentiis diſcutiendam ſibi ſumpſit. Cumque illi in *phyſiologicis* partes humani corporis in ſimilares ac diſſimilares ſeu organicas diſtinxiſſent; Opportunum ipſis viſum eſt, ipſos quoque morbos in *ſimiliares* atque *organicos* partiri, ſimilares vocando, qui partis *ſimilaris* conſtitutionem perverterent, *organicos* vero, qui inſtrumenti ſymmetriam infringerent: Verum quos illi ſimilares adpellant, *Noſter* longe adcommodatius morbos materiae, ſicut *organicos* rectius *ſtructurae morbos* dici poſſe exiſtimat, per morbum materiae indigitando omnem pravam vitioſamque conſtitutionem, quae ad materiam cujuscunque partis ſpectat, pro eo, quod opponitur ſtructurae, quae cum diverſis quoque modis vitiari poſſit imo ſoleat: Hinc diverſi quoque ſtructurae morbi exoriuntur, quos in catalogo morborum organicorum recenſere ſolent Auctores, quique ad morbos *ſolutae unitatis* ſat commode reduci valent: Cum enim morbi ſolutae unitatis, uti ſunt fracturae, vulnera, ulcera, caries &c. ſtructuram partis ſolidae ſemper adficiant, & plerumque quoddam humorum vitium ſecum trahant: Non modo ſuperfluum foret, morbis ſolutae unitatis novam conſtituere claſſem, ſed & vel ad alterutrum praedictorum ſingulatim, vel ad utrumque ſimul referri poſſe, manifeſtum eſt.

§. CCXV.

Idem de morbis intemperiei, quos pro qualitatum primarum numero earundemque varia conjunctione ad numerum octonarium reducunt antiqui & quatuor ſim-

plices totidemque compoſitas agnoſcunt, ſentiendum eſſe exiſtimat; Cum enim nulla ſit intemperies, ſive ſimplex ſive compoſita, nulla qualitas ſive prima ſive ſecunda, quae non, quod affectiones corporis ſint, vel ad materiae vel ad ſtructurae diſpoſitionem reduci valeant: Iterum ſupervacuum foret, tot morborum intemperiei differentias ex lacunis veterum repetere. Cui obſervationi rectiſſime addit, nullam intemperiem plane nudam, omnique materia & ſubjecto orbatam in rerum natura reperiri; Quod neceſſe eſt, ut accidentia, quaſque qualitates vocant, alicui ſemper ſubſtantiae inhaereant. Conatus equidem fuit *Auctor*, haſce veterum inanes ſpeculationes quomodocunque excuſare: Provide tamen ſimul monuit, cavendum eſſe, ne *Galenum* defendendo, minorem ipſius veritatis rationem habeamus: Quia, experientia teſte, nimiae Philoſophorum argutiae in curandis adfectibus non raro plus nocere, quam prodeſſe ſolent.

§. CCXVI.

Cum inſuper ad adfectuum *ſimilarium* claſſem ab Antiquis referantur morbi *totius ſubſtantiae*, eoque nomine inſitum ſpiritum, calorem illius, facultates ipſamque formam complecti ſoleant, ut morbi totius ſubſtantiae ab illis vocentur, qui illa, primum & per ſe evertunt: Hinc *Auctor* noſter, qui id omne, quodcunque in morbo totius ſubſtantiae contingit, non a vulgaribus qualitatibus, ſed ab inteſtina minimarum particularum forma, propria nempe magnitudine, figura & motu, dependere putat, operationes illas, quae toti ſubſtantiae adſcribi vulgo ſolent, nihil aliud praeter certa fermentationis genera eſſe exiſtimat, atque adeo ſanguini tantum atque ſpiritui, non vero ſolidis inſidere partibus concludit: Qui tamen conceptus, ſi verum fateri fas fuerit, aeque obſcurus eſt ac ille veterum, quem de morbis totius ſubſtantiae ſibi formarunt.

§. CCXVII.

Diviſioni morborum in *idiopathicos* & *ſympathicos* illud addere

addere conſultum duxit, *idiopathiam*, quam vocant morbum *per eſſentiam*, non male in *protopathiam* & *devteropathiam* diſtingui poſſe. *Protopathiam* dicit proficiſci, non ab alio morbo in corpore latente, ſed quocunque primum loco genita fuerit, ibi ſuam quoque cauſam, agnoſcere, neque ullum alium illum anteceſſiſſe: *Devteropathiam* vero concedit oriri quidem in illa, quam obſidet, parte, ſed ab alio morbo, ante corpus exercente, procreari. Caeterum pleraque, quae de *idiopathia* vulgo diſſeruntur, errorem *Galenicorum*, quo morbi ſolis partibus ſolidis inſidere creduntur, arguere, non diſſimulat.

§. CCXVIII.

Denique circa morbos, quos vulgo *malignos* adpellant, illud animadvertendum eſſe jubet, non ideo vocandos eſſe *malignos*, quod alia, quam natura eorum poſtulare videbatur, adjuncta ſint ſymptomata, cum revera iis cauſis, a quibus producitur malignitas, reſpondeat, quaeque non minus, quam alias cauſae manifeſtae ad naturam morbi ſpectent, & vix poſſibile ſit, morbum malignum ulla alia quam naturae ſuae convenientia comitari ſymptomata: Sed quod ignota, neque obvia ſint ſymptomata, differantque ab iis, a quibus nomen morbis impoſitum eſt.

§. CCXIX.

Poſt morborum differentias de earundem cauſis agere conſveverunt *Pathologi*, cui conſuetudini *Noſter* quoque litat, idque inprimis laude dignum judicat, à medicis cauſas tantum efficientes conſiderari, omittique tot alia cauſarum genera, quae magis cum ſubtilitate quam cum fructu tractantur a Logicis. Neq; id reprehendendum exiſtimat, humanum corpus ſubjectam cauſarum materiam conſtitui. Cum enim cauſa & morbus ſaepe eadem res ſint, manifeſtum eſſe putat, non aliam cauſarum, quam morborum ſubjectam materiam poni poſſe. Contra vero id minus laudabile in vulgari medicina eſſe exiſtimat, quod

in

in ſolis humoribus morborum cauſas radicare contendat: Cum enim una eademque res ſaepe cauſae & morbi nomen mereatur, erunt quoque cauſae in partibus ſolidis, quibus fluidae continentur, neceſſario quaerendae. Reliqua, quae de diſtributione cauſarum, inprimis efficientis in *procreantem* & *conſervantem*, in externam & internam, de ſingulari cujusque morbi cauſa nec non de morborum organicorum cauſis &c. adferuntur, ideo, quia nimiam prolixitatem parerent, omittimus.

§. CCXX.

Tranſitum potius facimus ad poſtremum, quod in *doctrina pathologica* tractandum ſuſceperat *Auctor*, nempe enarrationem ſymptomatum, quae eo ordine inſtituitur, ut primum ſymptomata facultatis naturalis exponantur, uti ſunt atrophia, quae depravatum corporis nutricatum denotat, deinde vitia adpetitus, qualia ſunt anorexia ſeu appetitus dejectus, dyſorexia ſeu appetitus imminutus, bulimos, appetentia canina, pica & malacia, cruditas ventriculi pituitoſa, acida & nidoroſa, ſingultus, nauſea & vomitus, cholera, ructus, paſſio coeliaca & lienteria, diarrhoea, dyſenteria, teneſmus, alvi adſtrictio, ileus &c. Pertinent quoque ad eandem facultatem iſchuria, dyſuria, diabetes, gonorrhoea, menſtruorum ſuppeſſio, vel nimius fluxus, & menſtrua ſeu fluor albus. Sequuntur deinde ſymptomata facultatis vitalis, quae ſunt deliquium animi & reſpirationis vitia. Vitalibus vitia ſenſuum tam externorum quam internorum, his ſymptomata facultatis moventis, & his deniq; ſymptomata, in quibus vel omnes vel pleraeq; actiones laeduntur, ſuccedunt, & agmen claudunt ſymptomata qualitatum corporis mutatarum, eaque, quae excretionis & retentionis ſymptomata medicis adpellari conſveverunt. Quanquam autem negandum non ſit, multa in hiſce omnibus contineri ſingularia *Auctoris*, ea tamen hac vice ideo excerpi non licet, quia, ne lectori nimia prolixitate taedium creemus, jure metuendum nobis eſt.

§. CCXXI.

§. CCXXI.

Reſtat itaque *Liber tertius medicinae compendiariae*, quae partem ejus *ſemeioticam* complectitur, in qua primum de ſigno ejusque diſcrimine, deinde de ſignis corporis ſalubris & declinantis in morbum, porro de urinis & pulſibus agitur, tandemque de criſibus brevis tractatio adnectitur: Quam tamen ultimam doctrinam an intime inſpexerit *Noſter*, non una eſt dubitandi ratio. Quanquam enim criſin in febribus ſaepe fieri, negare non audeat; Non aeque tamen putat neceſſe eſſe, omnem ſubitaneam febrium ſolutionem per criſin fieri: Quia febris res eſſet praeternaturalis, & vel juſto vehementior, ut in acutis & ſtatu paroxyſmorum, vel juſto imbecillior, quemadmodum ſaepe in principio paroxyſmorum, ſanguinis fermentatio eſt; Quod utrumque tamen falſum. Interea frequentiores eſſe poſſe criſes concedit duabus de cauſis, primum cum naturae opus non impeditur à medicamentis, quae materiam criſi ſubtrahere poſſunt; Deinde, ſi aeger vitam ducit in calida regione, robuſtamque naturam, quae impetu quodam noxios humores expellere ſolet, adeptus ſit. Caeterum nihil aliud per criſin intelligit, quam extraordinariam humorum fermentationem, non diſſentientem ab ea, in qua febris ipſa conſiſtat, niſi quod conjunctam haberet hoc tempore notabilem humorum ſegregationem & expulſionem, quam cita morbi converſio conſequeretur. Quod licet recte utique agnoſcat, immerito tamen negat, iſtam humorum ſe- & excretionem numero dierum ſeptenario alligatam adſtrictamque eſſe: Namque de diebus criticis eorundemque efficacia id notari jubet, non eſſe apud nos eandem dierum in acutis rationem, ac fuit in Graecia, quam antiquiſſimi medicinae cultores incoluerunt: Idem tamen apud nos locum habere non poſſe exiſtimat, cum propter regionum diverſitatem, tum propter vitae genus medendique rationem, ab antiquorum moribus & conſuetudine omnino diſſiden-

 tem.

tem. Verum horum omnium contrarium ſolertior in acutis obſervatio facile unumquemque docebit.

§. CCXXII.

Haec interim in ſynopſi ſunt, quae in *medicina* ſua *compendiaria* diſcuſſit *Targirius*. Et ſicuti id ipſius laudibus detrahi neque poteſt neque debet, quod veterem medicinam ſolide excuſſerit ejusque naevos clare ob oculos poſuerit: Ita negari quoque non debet, quod ſubinde recentiorum ſpeculationibus plus juſto tribuerit, cujus rei ex doctrina ſymptomatum permulta allegari exempla facile poſſent, niſi brevitatis ratio eſſet habenda.

§. CCXXIII.

Ordo interim ad alium *Inſtitutionum medicarum* Reformatorem, *Paulum Ammannum*, Profeſſorem *Lipſienſem* nos ſenſim deducit, qui quippe pariter conſilium de *Inſtitutionum medicarum* emendatione neceſſario ſuſcipienda perſcripſit. Recte enim Praefatione ad Studioſos Medicinae ſic ratiocinatur: Quod, prout artis alicujus principia ſeſe habent: Ita quoque ars ipſa ſeſe habeat, h. e. ſi firma fuerint eadem, nunquam vacillabit; Contra, ſi minus firma, variis mutationibus atque viciſſitudinibus erit ars etiam obnoxia. Hinc tot controverſiae in theoria, tot varietates in praxi medica occurrunt, patientibus non raro nocivae.

§. CCXXIV.

Quod vero ſpeciatim Inſtitutiones medicinae attinet, illas duplici vitio laborare exiſtimat Ammannus, *incertitudine* nempe & *prolixitate*: Incertitudinem ex eo patere dicit, quod antiquiſſimae opiniones, quae tamen parum vel nihil veritatis in ſe continerent, fundamenti loco tyronibus hactenus fuerint propoſitae: Eodemque modo rem certam eſſe de prolixitate, cum nonnullorum, v. g. *Sennerti* inſtitutiones in vaſta plane volumina excreverint, quanquam praeter omnem non modo neceſſitatem, ſed & ſolidam

ſolidam, quae redundare inde poſſet, utilitatem. *Galeniſmi*, ut ſic loquar, infenſiſſimus fuit hoſtis; Quare etiam ad hunc eradicandum & damnoſas auctoritatum venerationes abolendum, hoc conſilium de *inſtitutionum* emendatione ſuſcepiſſe videtur.

§. CCXXV.

Servata autem librorum & capitum ſerie, quae ab *Inſtitutionum* ſcriptoribus obſervari vulgo ſolet, *primo* ſtatim in *libro* pleraque, de quibus alii, verbi cauſa de originibus, natura, definitione ac diviſione artis nec ne de variis medicorum ſectis prolixe diſſerere conſveverunt, praetermittit & tanquam inutilia rejicit; Cum haec omnia non diſcenda, ſed legenda tantum ſint. De facultatibus animae, earundemque origine atque differentia enunciat, medicinae cultorem ea omnia operoſe & philoſophice ſcrutari imo ne ſcire quidem debere: Cum facultates per ſe non laedantur, ſed per accidens & laeſo tantum organo. Diſplicet inſuper *Noſtro* diſtinctio antiquorum in ſpiritum *inſitum* & *influentem*, cujus farinae ipſi quoque videtur diſtinctio inter *calorem inſitum* & *influentem*: Interea tamen non modo exiſtentiam ſpirituum agnoſcit, ſed etiam differentiam quandam inter vitales & animales admittit, quae tamen, num *ſpecifica* ſit, id quod communiter volunt, ignorare ſe ingenue confitetur. Doctrinam *Galenicorum* de temperamentis ſeu complexionibus partim cognitu difficilem, partim falſam, certe in medendo minus utilem vel neceſſariam eſſe credit; Cum dogma illud *Galeni* reipſa nihil aliud ſit, quam tantummodo tradux, quo figmenta de qualitatibus & miſtionibus elementorum propagentur; Quod idem *Helmontium* quoque ſenſiſſe novimus, cujus ille dogma adoptare non dubitat. Mitto alia complura cenſus *Phyſiologici*, quae cenſurae ſuae ſubmittere non veretur *Ammannus*.

§. CCXXVI

Neque paucioribus laborare naevis *pathologiam*, inde concludit *Noſter*, quod *noſologia* ſeu doctrina de morbis ple-

eaque ſua fundamenta hauriat ex *phyſiologia*, cujus cum vix milleſimam partem exacte perſpectam habeamus; Colligi hinc facile licet, tanto minus pathologiam cognitam eſſe poſſe: Quale namque eſt fundamentum, tale quoq; aedificium ſuperſtructum ſit oportet; Nempe ſi *illud* eſt lubricum atque incertum, hoc quoque alterius indolis vix eſſe poterit. Itaque concludit: *Pathologiam veram noſtra in arte adhuc deſiderari.* Pleraſque morborum definitiones non juxta propriam atque intrinſecam morbi ideam vel naturam formatas eſſe; Quod inde, vult, patere *Noſter*, quia alias morbi, praecipue interni, certius feliciorique cum ſucceſſu curari poſſent; In qua tamen artis parte, nempe therapevtica ſummum adhuc defectum obſervari quotidie liceret.

§. CCXXVII.

Ideo ipſam quoque *ſemeioticen* incertitudinis poſtulare non dubitat; Cum impoſſibile ſit, *ſignum* eſſe poſſe certum, cum de *ſignato* adhuc dum diſputetur: Proinde iterum concludit: Totam *ſemeioticam* meris conjecturis & falſis hypotheſibus niti, quas ſi examinaveris, aeque incerta erit doctrina de ſignis ac ipſa pathologia. Plura hic excerpere ideo conſultum non eſt, quia inferius in tractatione ipſa haec talia monendi occaſio recurret.

§. CCXXVIII.

Inter *mechaniſmi* adſertores & propugnatores ſtrenuos ſuum nomen tuetur *Fridericus Hoffmannus*, Comes Palatinus Caeſareus, Regiſque Boruſſiae Conſiliarius intimus nec non in *Academia Fridericiana* P. P. celeberrimus, qui jam anno 1695. fundamenta medicinae aphoriſtica forma ex principiis, ut ipſe loqui amat, naturae mechanicis in uſum Philiatrorum propoſita edidit, de quibus ipſemet *Praefatione ad Lectorem* praedicare non dubitat, quod ſola mechanica, Anatomiae & Chymiae nupta, ab humili ad altum hactenus duxerit rerum medicarum ſcientiam; Quod, qui hac notitia rite inſtructus ſit, rerum abſtruſarum cauſas eruere,

dubia

dubias medicorum controverſias ac ſententias diſſolvere, remediaque valentia in deploratis plane morbis quam feliciſſime invenire poſſit; Quod ipſa haec fundamenta (quo potius, quam plebejo *Inſtitutionum* nomine uti maluit) ab omni prolixitate controverſiarum & quaeſtiuncularum maleferiatarum mole, nauſeoſa ſententiarum compilatione ſint aliena, nihilque omiſſum ſit, quod in medicina neceſſarium judicari queat.

§. CCXXIX.

Conſcripta interim ſunt more pleriſque *Inſtitutionum* conditoribus hucuſq; ſolemni, etiamſi inſcriptionem talem prae ſe non ferant. Orditur enim Illuſtris *Auctor* a parte *Phyſiologica*, in qua primum agit de natura medicinae, deinde de principiis rerum phyſico-mechanicis, porro de ſanitate, vita, temperie & natura, de partibus ſolidis ac fluidis humanae machinae, principaliter de ſanguine, lympha, chylo, lacte, bile, ſemine & ſpiritibus animalibus, de motu machinae illius vitali ac ſenſu, de uſu viſcerum, ſecretione animali ac nutritione, nec non de conceptione, generatione & partibus illi inſervientibus.

§. CCXXX.

Hinc ad *Pathologiam* progreſſus tractat de morbis eorumque cauſis, de febribus & morbis malignis, de morbis, vel ex vitio ac motu lymphae ac ſeri enatis, vel ex circulatione ſanguinis inaequali & impedita, vel ex vitio ac motu ſpirituum animalium, vel denique ex vitiis primarum viarum ortis.

§. CCXXXI.

In *Semeiotica* exhibet ſigna morborum a ſanguine, urina, pulſu & ſaliva petenda, ſubjunctis ſignis & differentiis morborum eſſentialibus; Quibus praemiſſis, agit demum de cognoſcendis morbis ex vitio lymphae & ſpirituum animalium ortis & totam hanc tractationem concludit hiſtoria prognoſeως atque criſeως medicae.

§. CCXXXII.

Semeioticam excipit *Hygieine*, quae primum generales deinde ſpeciales regulas diaeteticas proponit, nec non de vario ſex rerum non naturalium uſu & abuſu diſſerit.

§. CCXXXIII.

Colophonem addit *therapevtice*, quae, expoſitis regulis medendi generalibus & medicamentorum elementis, illorumque operandi modo, ſpeciatim tractationem evacuantium, ſudoriferorum, diureticorum, ſalivantium &c. eorundemque uſum & abuſum proſequitur; Ultimo loco alterantibus, quaeque motum humorum vel accelerant vel nimium ſiſtunt, ſervato, cum variis cautelis practicis eo ſpectantibus.

§. CCXXXIV.

Verum, quae reliquis mechanicorum principiorum adſertoribus pollicem premunt, eaedem quoque difficultates *Noſtrum* urgere videntur. Sunt enim adſertiones, quae principiorum inſtar reliquae tractationi ſubſternuntur, ſic ſatis paradoxae multiſque vexatis dubiis expoſitae, uti ſunt: Naturam totam, & ſic ipſam quoque medicinam, *debere eſſe* (abſoluta quaſi neceſſitate) mechanicam: Unde DEUM ipſum maximum & Ter Optimum Mechanicum vocat, qui ſtatice & mechanice res omnes produxerit: Hinc ipſam quoque medicinam definit, per artem utendi principiis phyſico-mechanicis. Corpus noſtrum eſſe *inſtar machinae* ſeu *automatis*, quod ex variis organis ratione figurae & magnitudinis certo ordine ac ſitu diſpoſitis & conſtructis gaudeat, quae tamen moveri & animari debeant a partibus fluidis corporis noſtri; Vitam perfici cauſis mere mechanicis, nec mentem quicquam facere ad corporis ipſius vitam, nec vitam ſpectare ad mentem, ſed ad corpus. Primum motus principium in machina corporis noſtri, omnium Philoſophorum conſenſu, eſſe animam; Perinde autem eſſe, ſi quis animam iſtam nominare velit naturam, ſive, ſpiritum potentiis mechanicis inſtructum

ſive materiam aetheream ſubtiliſſimam, ordinate tamen ac ſpecifice agentem. Naturam iſtam ſeu animam hominis facile *characteriſari* ſpecifico motu, quem deinde jugiter cuſtodiat, unde deinde conſuetudo naturae naſcatur. Eandem illam Naturam menſurae, numeri, temporis ac ordinis eſſe obſervantiſſimam, ac proinde omnia ordinate tam in productione, quam in conſervatione corporis morborumque curatione facere &c. Atque haec erat idea, ſecundum quam univerſum artis medicae ſyſtema ſibi & aliis tunc temporis praefigurabat.

§. CCXXXV.

At vero ſucceſſu temporis non pauca hoc in ſyſtemate emendanda eſſe ipſe putavit. Hinc anno 1707. novam ideam fundamentalem univerſae medicinae, ex mechaniſmo ſanguinis methodo facili, attamen demonſtrativa, ut putat, adornatam condidit eamque D. *Andreae Gundelsheimero*, Conſiliario Aulico eoque tempore Archiatro Regiae Majeſtatis Boruſſicae, inſcripſit atque dedicavit. Conqueritur in *Praefatione ad Lectorem*, & id quidem optimo jure, artem pulcerrimam ſub ingenti illa opinionum varietate & diſſenſionum copia plurimos connexionum hiatus & principia inter ſe pugnantia aluiſſe; Se itaque, monitore & conſultore *Gundelsheimero*, hanc in ſe provinciam ſuſcepiſſe ac tentaſſe, qua ratione nobiliſſimam artem in ſcientiae formam redigeret, & principium aliquod clarum, perſpicuum, maxime vero unum & inconcuſſum ſtatuminaret, ad quod omnes cauſae earumque claſſes facillima connexione reſtringi, & ex hoc unico fonte omnia, quae tam in ſano quam aegroto hominis ſtatu, morborumque curatione & medicamentorum virtute explicanda occurrunt, clariſſime deduci poſſent, additque, ſe FORSAN PRIMUM (abſit tamen invidia) hoc iter ingreſſum eſſe, ut artem in demonſtrando certam, in curando vero fidam redderet. Et ne quis forte ſibi temere perſuaderet, tyronibus tantum hanc ideam ſcriptam eſſe, huic ſtatim praeju-

praejudicio occurrit, & veteranis quoque & magiſtris artis noſtrae eandem non parum profuturam haud vane pollicetur eoque nomine commendat. Ingenue tamen fatetur, fundamenta medicinae, de quibus his proximis §. egeram, & male typis exſcripta & tam adcurata connexione, ſicuti de hac idea, lectori perſuadere conatur, concinnata non eſſe. Unicum autem fundamentum, quo in univerſa *Pathologia* nullum detur praeſtantius, cui tota medicina ſit ſuperſtruenda, judicat eſſe motum vitalem, nempe circulationem ſanguinis, qualis in corporibus organicis vigeret. Hunc ſanguinis circulum egregie vitam tueri, excernendo corporis ambitu ea, quae corruptionem minari eidem queant. Ex eodem quoque fonte modum agendi remediorum profluere & fundamentum curationis omnium morborum imo egregiam quoque praeſervationis methodum promanare, certiſſime ſibi perſuaſum habet.

§. CCXXXVI.

Iſtud vero principium, quod in circulatione ſanguinis reponit, phyſico-mechanicum eſſe, ex materia & motu petendum, ita demonſtrare contendit: Motum nempe ſanguinis circularem dependere a motu ſyſtoles atque diaſtoles fibrarum muſculoſarum & motricium, puta cordis, arteriarum aliarumque partium, nec non fluidorum temperie debitaque quantitate. Motum vero & impulſum ſolidorum non ens immateriale ſed materiale ſubtiliſſimum proxime praeſtare, atque id nihil aliud eſſe, quam fluidum iſtud catholicum, aethereo-aëreo-elaſticum, activiſſimum, quod veteres animam mundi ſenſitivam, animam ore hauſtam & ſpiritum, corporis noſtri dominum vocarunt. Itaque ens illud immateriale ſeu animam rationalem ad motum hunc vitalem nihil conferre, ſed ſine ejusdem concurſu ſolo corporeo motu & impulſu eundem abſolvi, diſertis verbis enunciat. Si autem quaeratur, quomodo, ſi pure corporei & mechanici ſint hi motus, nihilominus tam ordinate, concinno nempe ordine, certa proportione,

cer-

certoque tempore, quae quippe circumſtantiae omnes immateriales & ab altiori provenire principio videantur, ſuccedat? Reſpondetur: Id artificioſae ſtructurae, diſpoſitioni ac proportioni partium ſolidarum ac fluidarum ad motum, unice tribuendum eſſe; Qua per cauſas externas & mechanicas mutata, motiones iſtae inordinatae reddantur, diaeta tamen ac medicamentis in ordinem redigendae.

§. CCXXXVII.

Interim ex hoc jam fundamento rationem vitae, ſanitatis atque morborum deducere adlaborat; Et vita quidem in animantium corporibus nihil aliud ipſi denotat, quam perennem fluidorum per tubulos beneficio ſolidorum impulſum atque progreſſionem, qua corpus per ſe corruptibile a corruptione praeſervetur, non excluſo tamen etiam motu inteſtino *ſpirituaſcentiae*; Ubi id tantum moneo, non motum ſanguinis circularem vitae formalem rationem conſtituere, nec a corruptione corpus praeſervare, ſed eſſe tantum inſtrumentum vitae & vindicationem corporis a putredine procedere potius a jugi & continuo ſucceſſu ſecretionum, ſub iſto ſanguinis circuitu procedentium; Quibus demum una cum excretionibus fatiſcentibus corruptio & mors ingruit. Sanitatem vero conſtituit in quodam quaſi aequilibrio motus ſolidorum ac fluidorum; Quo praeſente & anima recte ratiocinetur & ſenſuum adſit vigor & vitalium motuum robur & ſecretiones cum neceſſariis excretionibus per emunctoria rite ſe habeant, & ſomnus, & appetitus & digeſtio & nutritio recte procedant. At vero ſi hoc modo ſanitatis notio accipiatur, metuendum jure, ut ullus mortalium perfecte ſanus dici mereatur: Quia impoſſibile eſt, ubique praecavere, ne a dicto iſto aequilibrio plus minus recedatur. Statum denique morboſum reponit in circulo ſanguinis immoderato vel impedito vel inaequali, idque propter laeſum aequilibrium ſolidorum, pulſus atque toni, nec non fluidorum intemperiem & proportionem indecentem. Cum autem circulus iſte ſanguinis

S & poſ-

& poſſit & ſoleat utique variis modis mutari, nec tamen ſtatus corporis morboſus in ſenſu rigoroſo & exquiſito ſtatim & inevitabiliter ſubſequatur: Hinc iſta quoque qualicunque adumbratione ſtatum morboſum non exhauriri, cuivis comprehendere facillimum eſt.

§. CCXXXVIII.

Ex hiſce autem jam infert atque concludit: Omnes morbos ad haſce quatuor claſſes rectiſſime referri poſſe: Nempe vel ad intenſionem toni ſeu *ſpaſmos*, vel ad *atoniam* ſeu ejusdem toni debilitatem vel totalem amiſſionem vel ad *febres* vel ad *convulſiones*. Atque hoc ordine & ſerie omnes jam morbos deſcribit, ut primum de *ſpaſmis* & *atonia*, deinde de *febribus* & *convulſionibus* agat, ac poſtremo cauſas morbificas immateriales & virulentas, nec non plethoram atque cacochymiam, prout variorum morborum cauſae evadere poſſunt, exponat. Hinc progreditur ad cauſſas morborum naturales, aëremque, alimenta, clima, diverſumque vitae genus &c. tanquam cauſas morborum remotas conſiderat, quibus etiam morbos, aliorum morborum cauſſas, uti & illos, qui ex imprudenti medicatione ſuborti ſunt, una cum ſymptomatum generatione ſubjungit. Univerſa vero tractatio obſignatur deſcriptione medicamentorum varii generis variiſque ex fontibus petitorum, cum adnexa methodo medendi & fundamentis omnis rationalis therapiae, quod in eodem illo motu ſeu circulo ſanguinis & fluentibus inde ſe- & excretionibus reponit, quo quippe non modo corpus, corruptioni totum ex ſe obnoxium, ab eadem vindicatur vitaque incolumis conſervatur, ſed & cauſae, vitae inimicae, propulſantur & adfectus morboſi averruncantur. Ad quod praeſtandum Natura tanquam inſtrumento utatur ſpaſmo, qui eſt motus in ſyſtemate fibroſo auctus, quo humores ſtagnantes reſolvantur, obſtructa reſerentur & ſupervacua vitalique circulo contraria per congrua emunctoria expellantur.

§. CCXXXIX.

Eodem jure iſtam ſibi laudem vindicare poteſt *Archibaldus*

baldus Pittcarnius, quondam medicinae Profeſſor in *Academia Lugduno-Batava*, quod *methodo plane demonſtrativa*, id quod ante Ipſum NEMO auſus fuerat, *Inſtitutiones medicas* tradiderit. Ejus elementa phyſico-mathematica, in gratiam ſtudioſorum medicinae delineata, duobus libris comprehenduntur, quorum *prior* theoriam, *poſterior* vero praxin exhibet. Aequitas juſque fateri jubent, tanta cum ἀκριβεία, ut plane demonſtrationum mathematicarum vim aemularetur, hanc artis medicae partem elementarem nunquam adhuc publicam adſpexiſſe lucem. Procedit enim per poſtulata, definitiones, propoſitiones & problemata, prorſus ſicuti Geometris in more poſitum eſſe ſolet. Ita enim decebat virum celeberrimum, medicinam ab omni philoſophorum ſecta liberam colere, atque prima ejusdem elementa Geometriae auxilio abſque omni conjectura philoſophica, abſque omni tandem partium favore aut praejudicio nude ſimpliciterque tradere, ſicuti ipſimet horum elementorum editores in limine Praefationis loqui amant.

§. CCXL.

Ordo in illis adhibitus, quoad *theoriam*, reſpondet ordini *Inſtitutionum Sennertianarum*, ubi tamen breviter ſimul adnotatur, quid *ille* quidve alii *Inſtitutionum medicarum* ſcriptores peccaverint. In *praxi* vero ſequitur methodum a *Riverio* adprobatam; Ita tamen, ut ab omni errore plane liberum fuiſſe *Pittcarnium* nullibi pronunciare auſi fuerint, qui *elementa Pittcarniana* ediderunt, cum ille ipſe in re medica nec fallere nec falli ſtuduerit, & artem ſuam non niſi per demonſtrationes & obſervationes perficiendam eſſe, voluerit, libertatem interim ſentiendi & ſeveram veri inquiſitionem ubique amplexus. Proteſtantur interea ſolemniſſime, ne quis *Noſtrum* vel tanquam novatorem vel plane haereticum rejiciendum exiſtimet, quia alias & *Democritus* & *Hippocrates* & *Serapion* & *Apollonius* & alii principes viri tanquam novatores eſſent condemnandi. Illud autem, quod in commendando hoc *Auctore* mirifice mihi placuit, id praecipue fuit, quod, cum inter medicos ipſos

non ſatis conveniat, dum latentes rerum cauſas ſcientia non comprehendunt, ſed conjectura proſequuntur, quod, inquam, harum conjecturalium quaeſtionum inveſtigationem ſupervacuam eſſe contenderit, quoniam incerta & incomprehenſibilis ipſa plerumque natura ſit, & nihil vel parum conjecturalem hanc diſciplinam ad artem medicam facere profeſſus, in uſu & experimentis, per veras motus regulas demonſtratis, eam poſuerit.

§. CCXLI.

Prius vero, quam rem ipſam curatius perſtringamus, ex ipſo *Auctoris* praeloquio, quod eſt ipſa *inauguralis Oratio*, quam anno 1692. *Lugduni Batavorum* habuit, cum medicinam docendi munus ibidem adgrederetur, quaedam excerpere placet, quae jam dudum animadverſione quadam digna nobis viſa fuere. Obſervat itaque primum *Pittcarnius*, medendi peritiam ſtudio philoſophico fuiſſe paulo antiquiorem, cum medendi perpetuae, philoſophandi autem fortuitae tantum cauſae fuerint. Et cum priſcis temporibus Philoſophi omnes unius tantum ſectae fuerint, & medicina ante omnem Philoſophiam nata, ſequitur, naſcentem medicinam nulli Philoſophorum ſectae alligatam fuiſſe. Cumque in medicina vel tradenda vel facienda non liceat id tanquam principium adſumere, de quo viri & mathematis docti & minimis praejudiciis irretiti diſputant; Hinc iterum conſequitur: Cauſarum phyſicarum inveſtigationem, qualem Philoſophi inſtituere ſolent, medicis neque utilem neque neceſſariam eſſe. Nec decere medicos, ulli philoſophorum ſectae ſeſe adjungere, cum illud potiſſimum ſit, quod artem medicam tot ſeculis incultam reddidit & impedivit, quo minus ad optatum perfectionis faſtigium, quo hominibus & per homines licet, eniti & vita mortalium in tuto collocari queat. Neque oportere artem illam, quae mortalibus ſanitatem pollicetur, diſputantium conjecturis & ſomniis involvi: Quia prudentis non eſt, illi vitam ſuam concredere, cujus ratio-

nes

nes pleriſque falſae, pauciſſimis probabiles videntur; Sed oportere potius medicos Aſtronomorum inſtitutum ſibi imitandum proponere, ſi de genere humano bene mereri cupiant; Obſervationes nempe, quae inſtitutae ſunt & ubique inſtituuntur, circa morbos morborumque auxilia conferre, & nulla habita ratione opinionum, quae ſenſu perceptis certitudine cedunt, ex eo, quod fieri ſolet, quod futurum ſit ac faciendum, colligere. Porro vero in medicina tractanda nihil principii loco admittendum, quod non ſit aeque certum, ac ea, quae in ſenſus incurrunt; Quia aequum non eſt, ut vitae humanae, quam curioſitati, minus conſulatur. Pertinet huc metus vacui, qualitates occultae, vis attractiva aliaque talia, quae majores noſtri a ſecta mutuati in medicinam tranſtulerunt; Quanquam diffitendum quoque non ſit, recentioribus, qui a detecto ſanguinis circuitu nihil non ſperare & poterant & debebant, nimium ſectae amorem obſtaculo fuiſſe, quo minus debita ex invento illo felicitate potirentur, imo, qui delicta majorum aliis vitanda tam ſolerter monſtrare poterant, ipſimet monſtrata vitare non potuerunt. Eſto, feliciter ipſos proſcripſiſſe qualitates occultas, pedibus conculcaſſe eosdem inanes vacui metus formarumque ſubſtantialium ſtrepitus; Annon vero aeque abominanda idola in artem introduxerunt, qui occulta fermenta poroſque dicto audientes intulerunt? Quo quaeſo diſcrimine figurae particularum ignotae differunt a qualitatibus occultis veterum? Materiae ſubtiliſſimae, quam *Carteſius* primi elementi nomine inſignivit, quid diſtat aſtrorum influxus? Utrum inhoneſtius, vaſis liquores quosdam attrahendi vim concedere, an nobis ipſis poteſtatem facere, fluida vaſorum orificiis apta, in ſcenam protrahendi? Quis, ſympathia & antipathia veterum rejectis, homines de pugna & amicitia duplicis aetheris, intra canales corporum occurrentis, diſſerere paratos ferat? Quis calido innato & adventitio aetherem conſuetum & peregrinum paria facere, mutatiſque ſolum verbis eandem narrari fabulam, non animadvertat?

Ex quibus tandem omnibus colligitur, diverſitatem figurarum fermentorumque a medicis ſectae inſervientibus, invectam, nullam in medicina ſive facienda ſive docenda adferre utilitatem. Ut nihil aliud ſupereſſe videatur, niſi ut medicinam, non hiſce figmentis impoſitam, ſed uſu probatam excolamus, neque nos incauto ſectae ſtudio tantillum dimoveri a veritate, medicamve dignitatem vulgi arbitrio ſubjici patiamur, notamque incertitudinis, ex amore ſectae nimio manantem, ab arte noſtra amoliamur.

§. CCXLII.

Ecquis autem jam noſtrum eſt, cui haec *Pittcarniana* non mirifice placeant? Quis non ex praemiſſis hiſce expectabit fundamenta ſolida & inconcuſſa, cui ſine ruinae metu ars noſtra ſuperſtrui queat? Et quis denique certam & infallibilem morborum curationem inde ſibi non pollicebitur? Aſt eheu! Quam fallaces, quam deceptrices ſunt ſpes humanae? Qui enim definitionibus & axiomatis *Pittcarnii* parem cum *Euclideis certitudinem* ineſſe credit, is fallit & fallitur. Tranſeant utcunque *Pittcarnii* noſtri poſtulata; Non eandem ſane fortunam habebunt ejusdem definitiones. Sic, ut paucis tantum exemplis res illuſtretur, vita a *Pittcarnio* definitur: Quod ſit circulatio ſanguinis a corde pulſi per arterias & per venas reducti: Ubi meminiſſe eundem oportebat, aliam eſſe *inſtrumentalem*, aliam vero *formalem* vitae rationem. *Priori* modo ſi intelligendam eſſe cupiat definitionem vitae, concedo; *poſteriori* vero, nego. Corpus animatum definitur, quod ſit compoſitum ex canalibus diverſi generis, liquores diverſi generis vehentibus; Quae definitio ita comparata eſt, ut etiam machinae hydraulicae, quae tamen a nemine, quod ſciam, inter corpora animata unquam relata fuit, adplicari poſſit. Deficit enim principium corporis animati, quod eſt anima, non certe compages diverſorum canalium, diverſos liquores ferentium. Facultas porro animalis definitur: Quod ſit vis illa, quae e ſanguine intra cerebrum circu-

circulante exercetur, per ſecretionem liquoris cujusdam in nervos derivabilis, quem deinde deſcribit, eſſe liquorem illum a cerebro in nervos derivatum. Sed quis unquam facultatem animalem hoc modo deſcriptam vel legit vel audivit? Niſi forte, qui ſtudio ſectae, a quo tamen alieniſſimum cupit medicum, fuerit addictus? Unanimis potius conſenſus eſt, facultatem animalem conſiſtere in exercitio ſenſuum atque motuum? Taceo, non entis nullas praedicari poſſe affectiones. Quis, dari ſpiritus animales, idoneis argumentis unquam demonſtravit aut demonſtrandum adhuc in ſe ſuſcipiet? Provocamus omnes, qui fabula iſta univerſo orbi medico tot ſeculis hucusque illuſerunt, ut unicam ſaltem ſtringentem rationem pro horum ſpirituum abuſive ſic dictorum, exiſtentia adferant. Reliqua brevitatis gratia non attingo.

§. CCXLIII.

Quoad propoſitiones, conſtat ſimiliter, non omnes ita comparatas eſſe, ut ſine cenſura dimitti queant. Ita temperamenta dicuntur morbi nativi; Unde ſequeretur, quod, cum nemo ſine temperamento naſcatur, neminem quoque ſine morbo nativo in hunc mundum prodire, contingat, id quod experientiae & ſummae illi aegrotandi infrequentiae contrarium eſt. Temperamenta ipſa deſcribuntur, quod non ſint, niſi diverſa cacochymiae genera; Ubi manifeſtum eſt, temperamentum confundi cum intemperie. Quis diceret, hominem v. g. ſanguineo-plethoricum laborare aliqua cacochymiae ſpecie? Etſi interea non negetur, hoc temperamentum nonnunquam, non tamen ſemper, vitium in qualitate pedisſequum habere poſſe. Ejusdem indolis eſt propoſitio: Tria tantum generalia temperamenta dari. Si enim phlegmatici a cholericis & hi a melancholicis univerſo corporis habitu & actibus tum vitalibus tum animalibus & rationalibus differunt: A reliquis omnibus diſcrepabunt etiam ſanguinei, quorum quippe habitus corporis & omnes in univerſum actus omnino

mnino ſunt diverſi. Cetera, quae ſane plurima ſunt, attingere, brevitas propoſita haud permittit.

§. CCXLIV.

Unicum reſtat problema, ſed quod omnium medicorum attentionem merito ad ſe vocet, nempe hoc: *Dato quovis morbo, remedium ipſi proportionatum invenire.* Sive: *In omni morbo ex indicante indicatum invenire, & inventum adhibere.* Hic Rhodus, hic ſalta. Id ſane, ſi methodo *Pittcarniana* praeſtari liceret, omni auro cedroque longiſſimis paraſangis praeferenda foret. Sed ſubjungitur ſtatim, deſideratum, ſcilicet, medicamentum, quod ſtatim tollat rareſcentiam (orgaſmum) & motum imminuat, nullo fere ſymptomate ſubſequente, NON DARI; Quod vi eorum, quae Libro II. Cap. 1. §. 35. docentur, addo.

§. CCXLV.

At vero veniamus nunc ad examen eorum, quae primis XI. Capitibus Libri I. partis theoreticae elementorum medicinae *Pittcarnianorum* docentur. Primo igitur ſtatim capite agitur de elementis, longe tamen alio modo, quam ab *Inſtitutionum* ſcriptoribus hucusque fieri conſuevit. Quae proinde res jam aliquoties nos commovit, libere enunciandi, doctrinam hanc in medicina fatuam, otioſam & ſuperfluam eſſe. Hic ſane nihil praeſtatur aliud, quam ut demonſtretur: *Nullam dari materiam aetheream ſeu ſubtilem.* Ut hinc tanto melius coargui queat *Waldſchmidius* cum ſuis aſſertis, qui ſane huic materiae ſubtili non parum efficaciae in multis effectibus excitandis tribuiſſe videtur. In ſanitatis notione, quam *capite ſecundo* tradere laborat, aeq; perplexos adfert conceptus, ac in ipſa definitione vitae. Nihilominus ex hiſce praemiſſis reprehendit reliquos *Inſtitutionum* ſcriptores, praecipue *Sennertum*, quod male medicinam definiverint; Quod ſanitatem explicare conati ſint, non explicata prius natura vitae; Quod male itidem partes corporis diſtinxerint in *ſimilares* & *diſſimilares*, quae quippe

quippe partitio plane ſit inutilis, cum quaelibet pars actionem edat perfectam, & fibra eodem modo ſeſe contrahat, ac muſculus. Peſſime quoque quosdam medicinae Proceres feciſſe arguit, quod partes corporis in *continentes, contentas* & *impetum facientes* diſtinxerint, quas quippe poſtremas inter contentas, mea autem ſententia longe rectius inter non entia referre debuiſſent. Denique redarguit quoque vulgarem medicinae diviſionem in phyſiologiam, pathologiam, &c. Sed iterum citra ſonticam rationem; Diſtincta enim eſt cognitio corporis humani ſani a notitia corporis morboſi: Unde qui diſtinctis in partibus diſtinctum corporis humani ſtatum conſiderat, nullius peccati reum ſeſe facit.

§. CCXLVI.

De temperamentis *capite tertio* acturus, duos maxime palpabiles committit errores, alterum, quod temperamentum nihil aliud eſſe credat, quam veram intemperiem ſeu morbum naſcentem; Alterum vero, quod, expuncto temperamento ſanguineo, tria tantum agnoſcat, bilioſum nempe, melancholicum & pituitoſum ſeu phlegmaticum, cum ſanguineum, ſecundum *Auctoris* noſtris ſententiam, nihil ſit aliud, quam plethora ſeu omnium liquorum, ſanguinem conſtituentium copia vulgari inſignior: Cujus tamen ſententiae falſitas inde ſtatim perſpici poteſt, quod non omne temperamentum ſanguineum ſemper cum plethora ſit conjunctum, nec reliqua temperamenta plethorae ſemper expertia ſint, ſicuti in variis eorundem mixturis quotidie obſervari licet. Recte interim negavit temperamenta partium ſolidarum, in quibus vulgo quidem operoſi, ſed tanto certius vani & praeter neceſſitatem negotioſi ſunt *Inſtitutionum* ſcriptores. *Capite quinto* multum ſibi negotii faceſſit *Auctor*, ut obſcuris veterum terminis, calido innato & humido radicali clariorem lucem & explicationem adfundat, & quid per illas voces deſignare antiqui debuerint, non quid actu deſignaverint, in apri-

eum producat. Atque adeo per calidum innatum deſignari debuiſſe, exiſtimat, illam attritionem partium ſanguinis, quae ab ipſius motu circulari, praeſertim in arteriis, producitur. Cum vero humidum radicale ſit ſanguinis, erit calidum innatum in humido radicali fundatum nihil aliud, quam ſanguis circulans ſeu ipſa vita animalis. Aſt mallem ego obſcuros iſtos veterum terminos penitus e Phyſiologia exploſos, ut ab omni ambiguitate ars ſimul ac ſemel liberaretur. Ita enim variis obſcurarum vocum explicationibus & interpolationibus ſeſe fruſtra fatigandi, adempta eſſet occaſio, & *Pittcarnius* labore iſto ſuperſedere quoque potuiſſet, *Waldſchmidium* carpendi, qui per calidum innatum intellexit reliquias ſanguinis in corde rarefacti, vel recentiorum quorundam, inprimis *Williſii* ſententiam perſtringendi, qui calorem innatum fermentationis ſanguinis a materia ſubtili inductae & ab actione ipſius perpetua conſervatae, effectum eſſe voluerunt: Cum nulla talis fermentatio, ſenſu *Williſii* eorumque, qui fermentationem cum motu inteſtino confundunt, in ſanguine detur.

§. CCXLVII.

Capite quinto ſiſtitur brevis, ſed elegans oeconomiae animalis delineatio, facto initio a ciborum comminutione mediantibus dentibus in ore peracta, quam ſequitur eorundem per oeſophagum in ventriculum detruſio, in quo ope perpetui motus a muſculoſa ſtomachi tunica peracti & diaphragmatis beneficio partes ciborum ita conquaſſentur & atterantur, ut in chylum tandem convertantur, qui deinde contractione ventriculi alterna & muſculorum adſitorum ope ad inteſtina expellatur, ſaliva ſive quocunque alio ſero ex glandulis ventriculi exſudante & ad concoctionem ciborum nihil aliud conferente, quam ut molleſcant & ſic facilius comminui queant. Ex chylo deinde elaboratur ſanguis, quem haematoſeωs modum tanto clarius explicaturus *Noſter*, varia circa ſanguinem experimenta

rimenta inſtituit, ut certior inde reddatur, quaenam eidem coagulando aut liquefaciendo aut in naturali fluxilitate conſervando comparata ſint? Quibus ita praemiſſis concludit, ſanguificationem nihil eſſe aliud, quam comminutionem chyli per motum cordis & arteriarum, per quem fit, ut partes chyli purae & aeque lubricae ac partes ſanguinis evadant, & in liquidum (ad ſenſum) homogeneum intra canales faceſſant. Unde ſponte conſequitur, ad ſanguificationem nullo in corde aliisque partibus fermento opus eſſe. Pergit interea ad actum nutritionis, quem pro partium diverſitate modo ſanguine, modo ſero, modo gypſea quadam materia peragi contendit. Nutritionem ſequitur negotium reſpirationis & ſecretionis variorum liquorum variis in partibus atque viſceribus.

§. CCXLVIII.

Atque haec, quae hactenus recenſita ſunt, *Phyſiologiam Pittcarnianam* concernunt. *Pathologia* ejusdem eſt tanto brevior; Siquidem unico tantum capite natura morbi in genere cum diviſione eorum generali ita proponitur, ut natura morbi conſiſtere dicatur in circulatione ſanguinis inſolita, hoc eſt, aucta vel imminuta, idque aut per totum corpus aut per aliquam ſaltem ejus partem. Vereor autem, ne haec morbi definitio ſuo definito longe ſtrictior ſit: Quia multi dantur morbi, qui cum circulatione ſanguinis, ſive aucta ſive imminuta nihil alunt commercii. Circa morborum diviſionem in organicos, ſimilarium partium & ſolutae unitatis, reprehendit inutiles labores *Sennerti*, *Zypei* & *Waldſchmidii*, quibus poſterioribus adhuc imputare non veretur, quod *Sennerti* ſcrinia compilaverint. At vero cum hae morborum diſtinctiones jam dudum ante *Sennerti* aetatem fuerint in uſu, exiguum ſane operae pretium feciſſe putandi forent praedicti *Auctores*, ſi nihil aliud ex *Sennerto*, quam putidas iſtas diſtinctiones mutuati eſſent. Majoris uſus eſſe exiſtimat diviſionem morborum in *ſimplices* & *compoſitos*, ubi per morbum ſimpli-

cem id intelligendum eſſe putat, quod ab *Inſtitutionum* ſcriptoribus ſymptoma adpellatur, per morbum vero compoſitum complexionem ſymptomatum indigitat: Qua quippe ratione ex *Inſtitutionibus* magna removeretur confuſio, quae a plerisq; circa deſcriptionem morbi & ſymptomatis committeretur. Unde ſimul inutilia judicat ſigna morborum a ſignis ſymptomatum diſtincta, inutiles enumerationes morborum cauſarum, diſtinctarum a cauſis ſymptomatum, inutilem denique indicationem, quae ab urgente ſymptomate deſumeretur, quaſi nempe diſtincta foret a caeteris indicationibus. Laudat interim *Wedelium*, quod ille diviſionem omnium morborum, i. e. eorum genera per tabulas optime exhibuerit, licet in febribus erraverit.

§. CCXLIX.

In cauſis morborum determinandis iterum alienus eſt tam a placitis veterum quam recentiorum, ut ſententia ejus haec ſit, omnes morborum cauſas longe rectius dividi poſſe in actiones corporum aliorum noſtrum in corpus, aut actiones corporis noſtri in ſeipſum, quas tamen omnes tum demum morbificas fieri credit, ſi vel augeant vel impediant ſanguinis circulationem: Quanquam in meras tandem tricas id omne reſolvatur, quicquid de energia morbifica quarundam rerum externarum non naturalium vulgo dictarum diſſeritur. De cauſis morborum internis, quorſum inprimis a ſcriptoribus *Inſtitutionum* plethora & cacochymia refertur, ſibi perſuadet *Auctor*, quod ſint morbi ipſi ac proinde ab illis non diſtincti. Ita v. g. de plethora *ad vaſa*, a qua illam *ad vires* vix diſtingvit, enunciat, quod ſit morbus ipſe; Id quod tamen aliter ſeſe habere, innumeri plethorici ſuis exemplis confirmare poterunt, qui plethoram ſuam, niſi commota vel in orgasmum alicunde concitata fuerit, ſat commode ferunt. De temperamentis vero jam ſuperius animadvertimus, quod perverſum iſtum ſibi conceptum formaverit, nihil eſſe illa aliud, quam diverſa cacochymiae primo naſcentis genera,

nera,

nera, imo potius morbos quosdam nativos, id quod tamen jam antea confutatum eſt.

§. CCL.

In tradenda *ſignorum doctrina* ideo prolixus eſſe noluit *Auctor*, quod ea, quae de hiſce rebus communiter docentur, ab omnibus eodem fere modo deſcripta leguntur. Nihiloſecius tamen ut aliquid feciſſe videatur, ſigna temperamentorum, quaeque ab urina ac pulſu petuntur, breviter expoſuit. Capite interim, quod ſequitur, ſeptimo criſes cum diebus criticis deſcripturus, Lectores ad *Sennertum, Zypeum, Waldſchmidium* aliosque *Inſtitutionum* ſcriptores mavult ablegare, ut ex illis ſententia veterum de criſibus earundemque cauſis intelligatur. Ipſe interim ſuam, quam etiam veram ſimul declarat, opinionem paucis ſic exponit: Cum coctio materiae morbificae & humoris excernendi, ſecundum *Auctoris* noſtri mentem, nihil ſit aliud, quam ejusdem commutatio in magnitudinem vel parvitatem debitam, ut poſſit vi circulantis ſanguinis abripi per canales & excerni per vaſa, alicui excretioni dicata; Hae autem excretiones ſint criſes ipſae; Inde conſequitur, criſes fieri poſſe per quascunque glandulas ſubcutaneas, inteſtinales, renales, ſalivales. At ſi non poſſit materia morbifica in eam magnitudinem aut parvitatem mutari, quae orificiis illius vaſis excretorii reſpondeat, tum aut abſceſſum, aut haemorrhagiam, quae tamen utraque criſis minus proprie cenſenda ſit, oboriri: Attamen, ſi quantitas materiae ſit notabilis, opus quoque eſſe notabili tempore, ut materia morbifica ad debitam magnitudinem aut parvitatem motumque optatum deducatur. Cumque multae eaeque conſtantes ſint cauſae, quae efficiunt, ut ſanguis & humores ejus peccantes in regionibus *Graeciae* ac *Syriae* diverſae ſint fluiditatis, partibusque conſtent alterius cohaeſionis & molis, quam ſanguis *Germanorum* ac *Britannorum*: Hinc fieri non poſſe putat, quin diverſa temporis ſpatia requirantur ad coctionem in illis & his partibus efficiendam,

ciendam, nec utrisque eadem tempora plerumque ſufficiant. Unde concludit: Non niſi perraro & quaſi per miraculum fieri poſſe, ut iidem apud nos dies critici ſint, qui *Hippocrati* & *Galeno* fuerunt. Atque hinc ulterius infert: Quod, ſi criſin ſolum vocare debeamus eam excretionem, quae tertio vel ſeptimo die aut tempore ex diebus ternis ſeptenariisque compoſito contingat, tum in Britannia nullam unquam criſin eventuram, exiſtimandum ſit. Imo, ſi qui medici in *Scotia* criſes ſenſu *Hippocratico* obſervaſſe videri voluerint, eos aut in *Gallia* aut in *Italia* inſtitutos, ibique praejudiciis veterum inbutos eſſe, certum ratumque haberi debeat. Sed de hiſce omnibus, ſi ad verae ſolidaeque experientiae trutinam examinentur, admodum vereor, ne nuditatem ſuam ſtatim prodant.

§. CCLI.

Duobus proxime ſequentibus capitibus, *octavo* nempe ac *nono* caſtigantur errores *Sennerti*, *Zypei* & *Waldſchmidii*, quos circa medendi methodum commiſiſſe dicuntur, & quorum proinde peccata ita redarguit *Pittcarnius:* Male ſcilicet quatuor indicationes adnumerari quatuor indicantibus, cauſae nempe morbi *praeſervatoriam*, morbo ipſi *curatoriam*, virium conſervationi *vitalem* & ſymptomati urgenti *innominatam:* Cum & cauſae internae morbo adeo ſint conjunctae, ut, illis ſublatis, hic neceſſario tollatur, & nulla quoque indicatio a viribus medico ſuppeditetur & ſymptoma urgens nullam quoque indicationem a morbo diſtinctam ſubminiſtret. Unde id tandem conficit: Unum tantum indicans eſſe, nempe morbum, & unam tantum indicationem, nempe curatoriam. Q. E. D.

§. CCLII.

Similiter falſitatis *Auctor* redarguit ea, quae ab *Inſtitutionum* ſcriptoribus de multiplici differentia indicatorum, ſcil. cauſam morbi tollentium, vitam conſervantium, ſymptomata mitigantium & morbum ipſum removentium diſſeruntur. Ex ipſa enim medendi methodo demonſtrare conten-

contendit, vitam ſervari, tollendo morbos & ſymptomata; Atque adeo nullum eſſe indicatum vitale: Symptomata eſſe morbos ipſos, & ſymptomata urgentia eſſe morbos urgentes, i. e. cito interimentes, adeoque iis reſpondere indicatum curatorium: Cauſas vero morborum univerſales, nempe plethoram & cacochymiam eſſe pariter morbos; Atque ſic omnem iſtam differentiam indicatorum eſſe ſupervacuam concludit. Quibus omnibus breviſſimum ſubjungitur caput de ſecretionibus, quatenus illae per medicamenta, cuilibet illarum dicata, ſunt promovendae, una cum breviſſima methodo, medicamenta iſta, ex *Williſio* & *Königio* petenda, in *formulas* congerendi, quarum aliquot *capite ultimo* partis theoreticae recenſentur.

§. CCLIII.

Quibus ita ordine enarratis, nunc ad alteram elementorum *Pittcarnianorum* partem, nempe practicam tranſitum facimus, ubi *primo* ſtatim *capite* de febribus agitur, & hac voce velocitas circulationis uniformiter, i. e. per aequalia temporis intervalla aequaliter aucta intelligitur, quae rareſcentiam ſanguinis ſive tanquam cauſam ſive tanquam effectum ſemper comitem habeat. Ex quo deinde fundamento omnia febricitantium ſeu legitima febri conflictantium phaenomena deducuntur, uti ſunt pulſus frequentior, & propter motum uniformiter auctum, aequalis, calor ſolito major, dolor in capite, dorſo ac lumbis, vigiliae inſolitae, reſpirandi difficultas, ſiccitas linguae ac ſitis, averſio alimentorum vel appetitus ceſſatio, urina parcior quidem, attamen ſaturatior &c. in quibus omnibus *cauſaliter* explicandis mira fictionum & gratuitarum ſuppoſitionum efficacia conſpicitur. Quare vero febris legitima, h. e. nulli alii morbo complicata, absque ſenſu frigoris ſeu rigore invadere dicatur, niſi forte frigus externum febrim excitet, ejus rei, praeterquam quod hiſtoriae morbi repugnet, nullam aliam comprehendo rationem, qvam quod cum ſuppoſita ſanguinis rareſcentia, omni

febri,

febri, ipſo *Auctore* fatente, conjuncta conciliari non potuerit. Interim mira ille fabulatur de aucta ſangvinis mole & aucta inde ſpirituum animalium ſecretione, unde validiores cordis contractiones exſurgant, atque ſingulis contractionibus longius expellatur ſangvis; Atque adeo citius etiam ad quamvis arteriae ſectionem ſive intra ſive extra cerebrum perveniat, unde citius diffluere cogentur ſpiritus in cor, & ſic major erit ſangvinis celeritas & per conſequens rigoris ſeu frigoris abſentia. Unde concludit, *nullam dari febrim algidam*, aut, ſi detur, eam debere etiam conſtare *motu ſanguinis aucto;* Alioquin nullum haberet, unde cognoſci poſſet, febris indicium.

§. CCLIV.

Quod theoriam intermittentium ſpecialem (loquitur autem de intermittente regulari) attinet, in illis praeter ſymptomota motus aucti & rareſcentiae, quae in paroxyſmo intermittentium augmenti partem & ſtatum componant, notabile eſt circa acceſſionem pondus corporis, quod videtur auctum, & inertia, deinde frigus incipiens ab extremitatibus & pulſus parvus, poſtea calor a cordis vicinia incipiens & poſtremo accedens ad artus, tum pulſus major ac denique ſudor paroxyſmum ſolvens. Iſtam vero inertiam & gravitatem corporis derivat vel a paucitate ſpirituum animalium, vel ab obſtructione partis, intra quam ſpiritus & ſanguis admitti non poſſunt: Paucitatem vero ſpirituum vel a defectu ſanguinis vel ab ejusdem craſſitie deducit, quorum unum aeque veroſimile eſt ac alterum; Unde gratuitam & multis modis coactam adſertionem *Auctor* ipſe prodit, quando ſubjungit: *Nunc enim non ſupponimus ſanguinem in cerebro nimis rarum & ea ratione prementem, uti cum loquimur de inſultu frigoris.* Unde manifeſtum eſt, Auctorem *ſupponere*, i. e. fingere ſanguinem, modo rarum, modo denſum, prout hoc vel illud phaenomenon, obtorto licet collo, explicare neceſſitas expoſtulat. Caeterum curationem febris legitimae nulliq; alii morbo cohae-

cohaerentis facillimam pollicetur, quanquam Practici artis experti difficulter id crediderint, ſola nempe VSione & remediis, rareſcentiam ſanguinis contemperantibus, qualia ſunt ſaccharum ſaturni, nitrum purificatum, ſpiritus ſulphuris, ſuccus limonum, acetum deſtillatum, emulſiones ex quatuor ſeminibus frigidis majoribus, ac praecipue veſicatoria ex pulvere cantharidum parata, quae quippe partem ſeri maxime rareſcentis egregie vacuent. Notat interim de venaeſectione, minus illam fore neceſſariam, ſi cui aliquod noſſe contigerit medicamentum, quod ſtatim tollat ſanguinis rareſcentiam & motum ejus imminuat, nullo tamen fero ſymptomate ſubſequente. Donec vero illud inventum fuerit, venaeſectionem utique celebrandam eſſe. Interim diligenter advertere jubet, nulla in febri legitima temere exhibenda eſſe ſudorifera, eo quod motus & rareſcentiae augmentum, non cito deſiturum, efficiant.

§. CCLV.

Quoad curationem febrium intermittentium, iterum commendat venaeſectionem, niſi aetas ſenilis & effoeta impediat; Quia credit, miſſionem ſanguinis imminuere ſeu corrigere craſſitiem; Id quod verum eſſe, praxis meipſum ſaepius edocuit. Deinde ad lentorem e primis viis derivandum, quem purgantia vix poſt ſeculum educerent, vomitorium adeo mature, ut ante paroxyſmi reditum operatio ejus abſolvi poſſit, ſuadet, idemque, aliquando ſaepius exhibendum injungit, modo aeger ſanguinem vel exſpuere vel evomere non ſit aſſvetus. Poſt exhibitum emeticum, quoties opus eſt, ſtatim a paroxyſmo finito, dari jubet febrifugum, ſive potius attenuans & aperiens, morbo nempe a lentore producto & febrim comitante vel excitante, oppoſitum, quale credit eſſe ex amaris parandum, quodque & diureſin & diaphoreſin & alias itidem ſecretiones promoveat, uno verbo, corticem peruvianum ſeu chinam chinae, in pulvere intervallo duorum paroxyſmorum, ultima vero doſi ſex horis, ſi fieri poteſt, ante ſequentis periodi acceſſionem, exhibendam; Quanquam

U alii

alii non ſine veritatis conſenſu crediderint, tantum abeſſe, ut cortex peruvianus ſe & excretiones promoveat, ut eas potius ſiſtat & multa periculoſa ſymptomata habeat pediſſequa. Superveniente forte & quidem importunius alvi fluxu vel vomitu, quae tamen utraque evacuatio indolem criticam prae ſe ferre videtur, tunc jubet praedicto febrifugo admiſcere laudanum; Citius enim & perfectius morbum debellatum iri credit, ſi laudanum febrifugo admixtum fuerit, quod niſi multis experimentis comprobatum fuerit, difficulter credent practici. Ex his interim deducit *Auctor noſter:* 1.) ſal corticis peruviani aut ipſius ſpiritum, ſalia lixivialia aut ſpiritus quoſvis parum prodeſſe adverſus febres intermittentes; Quod, licet de ſpiritibus verum ſit, ad ſalia tamen lixivioſa extendi nequit, quorum quippe beneficio plus millies febres intermittentess feliciter fugatae ſunt. II.) Purgantia non debere propinari poſt exhibitum corticem, cum purgantia, ſi fortia ſint, ſolummodo educant partes ſanguinis aqueas, ut ſic reliquiae magis craſſeſcant; Si vero fortia non ſint, nec febrim tollere poſſint.

§. CCLVI.

Curatio febris continuae illuſtratur exemplo Juvenis robuſti, in quo poſt venaeſectionem exhibitum eſt vomitorium, poſt vomitum vero clyſter injectus. Datum deinde fuit Julapium mane, ex aqua carduibenedicti, calendulae & theriacali, lapidibus cancrorum & ſpiritu ſalis vel nitri dulcis nec non ſyrupo limonum: Hora vero ſomni ſumpſit emulſionem ex ſeminibus quatuor frigidis majoribus & papavere albo in aqua pura cum ſyrupo papaveris albi, & ſic tandem convaluit, an bonitate methodi, an vero beneficio vegetae Naturae, jam non diſquirimus. Atque haec, quae de curatione febrium adlata ſunt, ſpeciminis loco ſufficere poſſunt, ut inde dijudicare quilibet poſſit, quid ex *praxi Pitcarniana* polliceri nobis debeamus.

§. CCLVII.

§. CCLVII.

Noſtro pariter aevo *inſtitutiones medicas* evulgavit *Hermannus Boerhaave*, in Academia Lugduno-Batava Profeſſor medicinae digniſſimus. Uti nemini meritas ſuas laudes detrahere conſuevimus: Ita fatendum utique nobis eſt, celebrem Virum hic magnam ingenii ſui vim adhibuiſſe, ut ſecundum ea, quae ſequitur, principia mechanica, novum Inſtitutionibus medicinae lumen accenderet. Proinde aliis perite dijudicandum relinquo, annon plerisq; aliis *Inſtitutionum medicarum* ſcriptoribus, iſta mechanice negotium tractandi methodo, palmam vel praeripuerit vel dubiam ſaltem fecerit? Scopum, quem in ſcribendo praefixum ſibi habuit, nemo facile taxabit, niſi omnia ſiniſtre vel capiendi vel interpretandi pertinax animo inſideat opinio. Ita enim profecto rem ſeſe habere, concedent facile omnes: *Sua quemque optime intelligere, & ſua cuique prae ceteris placere, unde & clarior doctrina & animata plerumque ſequitur oratio; Quumque ſuo quisque ſenſu abundet, multa refutanda frequenter inveniet, unde gravem fruſtra laborem aggravat, minusque incitata dictione utitur.* Id quod centies toto illo plurium annorum tractu, quo formandis Philiatrorum animis incubui, mea experientia verum eſſe deprehendi. Quicquid vero horum omnium ſit, qui ad functiones corporis humani dextre explicandas purum *mechaniſmum* non ſufficere (id quod tamen Mechanicorum omnium *πρωτον ψευδος* eſt) ſed praeter *mechanicum* principium aliud adhuc, nempe *organicum* requiri exiſtimat, multa & id jure quidem deſiderabunt, quae tamen prolixius hac vice diſcutere, non eſt hujus loci.

§. CCLVIII.

Partitionem hucusque receptam quod attinet, nihil in ea innovavit; Retinuit namque vulgatam *Inſtitutionum* in quinque partes diviſionem, ita quidem, ut in *Phyſiologia* partes & fabricam corporis humani, vitam & ſanitatem, quaeque ex his conſequuntur, effecta explicata daret;

In *Pathologia* ſiſteret morbos, eorum differentias, cauſas & effecta: In *Semeiotica* ſigna, quibus tam in ſano quam aegro corpore, quis, qualis ſit, fuerit, futurus ſit gradus, ordo, effectus vel remedia eorundemque uſus, quibus & vita & ſanitas conſervari queant, declararet, & in *therapevtica* denique materiam medicam, medicamenta, eorum praeparationem utendique variam rationem proponeret. Quae vero in *prolegomenis* de origine, progreſſu, fatis, nobilitate, utilitate & neceſſitate artis medicae, nec non de ejusdem definitione & objecto more *Inſtitutioniſtarum* diſſeruit, ea, utut citra reliquae tractationis praejudicium abeſſe potuiſſent, attamen, cum ſua ſe brevitate commendent, tolerari utcunq; valent.

§. CCLXIX.

Aſt vero de principiis demonſtrandi altior erit inſpectio; In quibus quippe admittendis, ſi quis paulo moroſiorem ſeſe gerat, id vitio eidem vertendum non erit. Principia iſta clara, diſtincta, potiſſimum vero certa eſſe oportere, generale eſt axioma, quod ſua ſtatim luce radiat. Similiter; Incipiendum eſſe a ſimpliciſſimis, cognitu facillimis atque certiſſimis, & ab his deinde ad ea ſemper pergendum, quae proximo gradu harum conditionum praegreſſa attingant; Atque ita accurate ad compoſita, obſcura, difficilia progrediendum eſſe, id omni pariter dubio vacat. Illa vero, quae diſtincta, clara atque certa eſſe oportet, ſola in iis, quae pure corporea in homine, mechanica eſſe, nemo aeque facili brachio concedet. Et cum Clariſs. *Auctor* ipſemet agnoſcat, reperiri quoque in homine alia, quae per dicta iila principia intelligi nequeant, atque adeo per eadem ne quidem demonſtrando explicari poſſint: Hinc alia quidem ratione circa haec utendum eſſe, provide monet: Perpetuo tamen dubium relinquitur, an illa etiam, quae ille pure corporea in homine eſſe exiſtimat, mediantibus ejuſmodi principiis pure mechanicis declarari ac demonſtrari poſſint? Quibus interea nihil obſtantibus, libere fateor, inter omnes recentiores

tiores ſcriptores neminem *Boerhaavio* adcuratius & concinniore connexione functiones oeconomiae animalis ſecundum principia hygroſtatico-hydraulico-mechanica explicuiſſe; Quam etiam ob rationem omnibus, qui noſtrae ſeſe informationi credunt, commendamus, ſuademus & auctores ſumus, ut haſce ſibi *Inſtitutiones* familiares reddant, vel, ſi proprio marte tantum onus humeris ſuis impar ſuſcipere renuant, noſtra vel alia manuductione prius utantur, ut deinde *mechaniſmum* cum *organiſmo* recte conjungere diſcant.

§. CCLX.

Cum etiam nonnulli in votis habuerint, ut quis *Eclecticae Medicinae* Patronus hac etiam forma ac methodo *Inſtitutiones medicas* concinnaret: Illorum quoque deſideriis adſurrexit *Johannes Helfricus Juncken*, Med. Lic. & *Phyſicus Francofurtenſis ad Moenum*, qui fundamenta medicinae modernae *eclectica*, praemiſſo tamen Phyſices compendio, ad *Carteſii* mentem potiſſimum conſcripto, ex celeberrimis medicis neotericis per omnes ac ſingulas artis partes tradit, de quibus ſperat, quod univerſa medicina per varia opinionum & ſententiarum diſcrimina hactenus volutata, iisdem nunc firmius inniti queat. Vereor autem, ne iisdem, quae hactenus *Philoſophiae Eclecticae* objectata ſunt, incommodis prematur *medicina eclectica*: Non enim defuerunt, qui eandem pallio pannoſo comparare auſi ſunt, quod eadem, uti illa, opinionum diverſicolorum & lacerae veſtis inſtar male cohaerentium varietate & farragine laborare videatur: Quod tamen judicium certas ob rationes hac vice meum non faciam.

§. CCLXI.

Quod Phyſicam, non *eclecticam*, ſed *Carteſianam* & citra exceptionem *ſectariam* medicinae praemiſerit, dubium ſtatim non nemini parere & argumentandi anſam ſubminiſtrare poſſet, an etiam *Philoſophia ſectaria medicinae eclecticae* facem ſit accenſura? Imo, annon potius judicium, ſectariis

principiis imbutum & corruptum ad medicinam ſit adlaturus, qui ex *Phyſica ſectaria* in *medicinam eclecticam* aliquid luminis ſibi foeneratur? Neque quicquam eſt, quod *Auctorem* noſtrum tueri poteſt, quod a vulgari ſcholarum methodo receſſerit, & phyſica principia medicis praemiſerit, quam vulgare illud *Brocardicum: Oportere medicum ibi incipere, ubi phyſicus deſierit*; Quod, an unquam de phyſica tali *ſectaria*, quae in generaliſſimis tantum ſpeculationibus occupata eſt, intellectum fuerit, aut etiamnum intelligi poſſit, haud injuria dubitamus. Nos quidem variarum opinionum farraginem, de qua ſua in Praefatione jure conqueritur *Auctor*, ejuſmodi phyſicam parere poſſe, non dubitamus: Minimum vero lucis tyronibus artis, ad eam vel commodius diſcendam vel felicius exercendam, accendere, audacter negamus.

§. CCLXII.

Miſſis ergo, quae de phyſicis principiis, tanquam pro meliori fundamentorum medicinae complemento, praefatus eſt *Auctor*, ad rem ipſam propius nos convertamus. Poſtquam itaque in *prolegomenis* more ſolito tractavit de primis medicinae initiis, objecto atque fine, ſubjungit diviſionem in tres principaliores partes, nempe *phyſiologiam*, quae in fabricam & actiones humani corporis inquirit, in *pathologiam*, cui tanquam miniſtram jungit *Semeioticam*, & in *therapevticam*, cui tamen *pharmacia* & *chirurgia* ancilletur, ſicuti *Hygieinen* ad artem prope culinariam relegare non veretur. Interea ſane rationes, quare medicina a multis retro ſeculis tam ſteriles multisque dubiis & incertis traditionibus implicata manſerit, non contemnendas attulit, quae huc fere redeunt: Quod crebrior medicinae mutato contigerit; Quod ſuperiorum ſeculorum medici ſaltem occupati fuerint in *Graecorum* & *Arabum* medicorum verſione & falſa explicatione; Quod methodus *Hippocratis*, per obſervationes tradita, fuerit neglecta; Quod *Ariſtotelis* Philoſophia peſſimo conſilio a *Galeno* in medicorum

ſcholas

ſcholas fuerit introducta, quanquam certiſſimum ſit, Philoſophiam *Carteſianam* parem cladem attuliſſe; Et quod *Chymia*, primarium medicinae experimentalis ſubſidium, fuerit neglecta &c.

§. CCLXIII.

Verum enim vero, ſi nunc in primam *fundamentorum Junckenianorum* partem, nempe *phyſiologiam* oculos convertere placeat, primo ſtatim obtutu πρωτον illud ψευδος occurret, quod & aliorum Neotericorum oculis glaucoma induxiſſe, jam ſaepius hinc inde animadverſum eſt. Conſiſtit illud in eo, quo ſecundum *Auctoris* noſtri adſertionem, corpus humanum vivum nihil ſit aliud, quam ſtatua humana vivens, quae, ſicuti horologium, ex variis partibus conſtructum eſt, quarum vi operationes ſuas edit: Ita illa aeque per diſpoſitionem partium ſingularem hominibus convenientem certos motus & actiones exerceat ac machina quaevis alia, cujus principium fuit artifex: Cui adſerto contrarium eſſe videtur, quod ſub initium primi capitis *Phyſiologici* idem humanum corpus horologio vel ſimili machinae tantummodo comparandum eſſe dicatur, quod ſane non poteſt eſſe unum idemque, niſi quis *το eſſe* & *ſimile eſſe*, unum idemque ſignificare, abſurde contendat. Sicuti autem praeter corpus organicum, varia ratione extenſum, in homine adhuc aliud, nempe cogitans, reperitur principium: Ita ulterius inde infert: Duplex in homine reſidere principium actionum, aliud nempe *cogitans*, aliud vero *extenſum*, a quo utroque etiam diverſi generis operationes promanent, quarum aliae ſoli menti, aliae ſoli corpori, aliae vero ambabus ſubſtantiis conjunctim competerent. Ad actiones à ſola corporis ejusdemque partium legitima ſeu proportionata diſpoſitione provenientes, reducit conceptionem & generationem ipſiusque foetus in utero nutritionem, reſpirationem, ventriculi adpetitum & alimentorum adſumptionem & ſubſequentem eorundem in ventriculo & duodeno chylificationem, ipſius chyli depurationem & motum

motum per inteſtina, ingreſſum & progreſſum per vaſa lactea, ſanguinis elaborationem & circulationem, nutritionem, ſe- & excretionem urinae, inſenſibilem tranſpirationem & ſudores, menſtruam excretionem mulierum, bilificationem in hepatae, nec non ſpirituum ita dictorum animalium generationem ac diſtributionem una cum adjunctis corporis animalis, uti ſunt temperamentum &c. quarum omnium functionum principium vitale ſit mere materiale & mechanicum, nempe ſpiritus animalis, quem ratione ſummae ſuae ſubtilitatis, mobilitatis ac virtutis elaſticae cum ſpiritu ſubtiliſſimo, arte chymica parato vel plane cum radiis luminis comparare non dubitat.

§. CCLXIV.

Relicta *Phyſiologia*, ad *Pathologiam* tranſitum facit *Auctor* noſter, quam theoriae medicae partem in *generalem* ac *ſpecialem* diſtingvit. In *illa* de morbis in genere, in *hac* vero de illis ſpeciatim, nec non de eorundem cauſis tam externis quam internis uti & effectibus agit. Ad cauſas externas, praeter ſex res non naturales, etiam caſum & contagium refert; Caeterum omnes morbi ſunt vel fluidarum vel ſolidarum partium: Ad primam claſſem pertinent praeternaturalis humorum abundantia vel contrarius defectus, ita tamen, ut illa hoc longe frequentior ſit; Deinde vitioſa humorum qualitas ſeu cacochymia, cujus varias adſerit ſpecies, nempe viſciditatem & craſſitiem, tenuitatem nimiam, aciditatem, auſteritatem humorum, acrimoniam eorundem ſalſam, alcalinam &c. Huc etiam, ſecundum *Auctoris* mentem, ſpectat praeternaturalis humorum circulantium motus, qui quippe perverti & vitioſus reddi poteſt ac ſolet, dum vel nimium augetur vel imminuitur vel alia ratione depravatur. Vel ipſa plane humorum ſubſtantia vitiatur, quando vel in flatus reſolvuntur, vel in calculos concreſcunt, vel in pus, mellaginem, pultaceam vel adipoſam materiam convertuntur, unde deinde in ventriculo & inteſtinis flatus generentur, hic calculi excreſcant,

creſcant, alibi vermes excludantur, vel melicerides, atheromata ac ſteatomata alibi producantur. Suos porro morbos vindicat ſpiritibus animalibus ſeu impetum facientibus partibus, quatenus vel eorundem ſubſtantia a maligna quadam aura, veneno animali vel exhalatione venenoſa infecta in varias tendentias cieatur, unde epilepſias & convulſiones originem ſuam derivare exiſtimat: Vel quatenus quantitate debita deficiunt, vel in motu ſuo varia ratione depravantur, cum in ſtatu hominis regulari & ordinario hunc ſpirituum motum regularem quoque & ordinatum eſſe oporteat, & in continua quaſi & aequali undulatione conſtitutum. Poſtremum in hiſtoria morborum locum concedit vitiis laeſionis partium ſolidarum, quorſum pertinent morbi magnitudinis auctae, uti ſunt varii tumores, vel imminutae, uti atrophia eſt: Ad quem ordinem etiam morbi in numero ſive aucto ſive imminuto, morbi conformationis vel figurae vel ſitus vel ſolutae unitatis pertinent.

§. CCLXV.

Pathologiae ideo ſubjungit *Semeioticam Auctor*, qua, quo quis promptior eſt atque peritior in morbo cognoſcendo, eo quoque felicior erit in eodem curando. Sunt autem, quod in laudem *Auctoris* hic reticendum non fuit, in univerſum, quae in hac parte occurrunt, & lectu jucunda & ſcitu abſolute neceſſaria. Conſtituit autem *Junckerus* noſter duplex *Semeiologiae* membrum, quorum alterum *dignotionem*, alterum *prognoſin* patefacit. Circa prius ita ſeſe gerit, ut primum ſigna ſalubria & inſalubria, deinde vero ſigna actionum ſive integrarum ſive laeſarum nobis exponat. Ita ex actionibus vitalibus ſigna nobis praebent functiones ventriculi, reſpiratio, pulſus, nutritio, urinae aliorumque excrementorum excretio, uti ſunt dejectiones alvi, ſudores, ſputum, lacrymae, menſes & haemorrhoides in adſuetis, vomitus & haemorrhagiae narium: Ex animalibus vero ſigna deſumuntur tam a ſenſibus externis quam internis, a motibus voluntariis, ſomno atque vigiliis & certo

quoque reſpectu a dolore. Neque minus ſignorum fontes praebent modi quidam tam generales quam ſpeciales corporis, uti ſunt ex priorum genere calor & frigus, nec non habitus totius corporis & oculorum certa diſpoſitio; Ex poſteriorum vero claſſe lingua ejusque mutationes, non excluſa quoque corporis diſpoſitione ratione temperamenti, virium, ſexus, aetatis, vitae generis atque conſvetudinis, imo & ipſius haereditariae diſpoſitionis ratione habita.

§. CCLXVI.

In altero *Semeiologiae* membro, quod de prognoſi agit, exhibet primum ſigna reconvaleſcentiae & non-reconvaleſcentiae, deinde ad ſigna temporis & eventus, cruditatis item & coctionis progreditur, quibus deinde ſubjungit ſigna criſeωs, quatenus vel per haemorrhagiam narium vel eruptionem menſium atque haemorrhoidum, vel per ſudores, vel vomitum, vel alvi fluxum vel urinam contingit. Cum vero ſubinde etiam per metaſtaſin ſeu transpoſitionem materiae criſes ſuccedere ſoleant: Hinc illud cognoſcendum eſſe judicat, vel ex morbi natura, vel ex virium robore, vel ex hujus illiuſve partis imbecillitate, dolore varioque humoris motu. Tandem vero ſigna criſin conſequentia ſuppeditat, quae vel ex euphoria vel cacophoria dignoſcuntur atque petuntur vel ex laudabiliore vel illaudabiliore vultu, ex diverſis pulſus conditionibus, remiſſione vel perſeverantia febris, appetitus aliquali reſtitutione vel faſtidio continuato, alvi apertione vel adſtrictione, tranquillitate vel perturbatione mentis, ſomno atque vigiliis, urinae alvinorumque excrementorum varia conditione & ſymptomatum quorumcunque remiſſione vel pertinacia.

§. CCLXVII.

Ad *Therapevticam*, *Auctoris* noſtri ductum ſeqvuti, devenientes notamus, tradi hac in parte methodum medendi tanquam medicationis artificialis fundamentum, eoque

nomine venire artem, quae per indicationes auxilia invenit, ut illis labefactata corporis machina reſtituatur. Prius vero, quam curationi ſeſe accingat medicus, duo in genere requirit *Auctor*, primo, an curationem ſuſcipere debeat? deinde, quid & quomodo agere debeat? Quibus ita praemiſſis ſingulas remediorum claſſes percurrit breviter, & eo quidem ordine, ut primum purgantia, quibus etiam digeſtiva & laxantia cum clyſteribus ſubordinat, exponat, deinde vero ad emetica progrediatur & hinc demum de minuenda humorum quantitate per venaeſectionem agat. Miſſis evacuantibus tractat de praeternaturali humorum circulantium qualitate corrigenda ſimulque eliminanda, ubi occurrunt diaphoretica ac ſudorifera, diuretica, reſolventia cum evacuantibus particularibus, uti ſunt apophlegmatizantia, maſticatoria, ſalivantia, thoracica, cephalica &c. ſingularia quoque medicamina deſtinans acido podagrico, acido febrium intermittentium, acido ſcorbutico &c. idque tanta cum fiducia, ac ſi res jam plane confecta eſſet inter Practicos, omnibus hiſce in morbis & affectibus acidum peccare. His tandem ſubjungit indicata & curationem morborum ſpirituum ut & ſolidas partes concernentium.

§. CCLXVIII.

Poſtrema *fundamentorum Junckenianorum* parte *Pharmacia* ſiſtitur, quam prorſus neceſſariam medico eſſe exiſtimat *Auctor*. In hac ita ſeſe gerit, ut operationes *generaliores* & quaſi miniſtras praemittat, deinde vero ad *ſpecialiores* progrediatur. Ad *illas* refert ſolutionem, ita tamen, ut pulveriſationem, triturationem & laevigationem ſimul includat, ultimae tamen iterum ancilletur ſectio, conciſio & contuſio, raſio, limatio atque tritura, cui inprimis famulatur cribratio atque lotio: Ad *ſpeciales* vero revocat deliquium, digeſtionem, nec non ſolutionem juvantes operationes, ut ſunt expreſſio, decantatio, colatio, filtratio, deſpumatio, clarificatio, extractio, liquefactio &c; Omnium nobiliſſimam operationem dicit eſſe deſtillatio-

 nem,

nem, quam tamen, pro meliori ſucceſſu, praecedere debere injungit macerationem & ſubinde fermentationem vel putrefactionem, quae ultima multum juvetur contuſione, humido, calido, ſale ac digeſtione. Deſtillationem excipit ſublimatio, quae quippe prioris tantum ſpecies eſt, uti & rectificatio, cohobatio & circulatio: Quibus abſolutis agit de calcinatione, fuſione, detonatione, fulminatione, vitrificatione, amalgamatione, caementatione & reverberatione, quas omnes ordine excipit fixatio. Nunc vero demum inſtrumenta pharmacevtica exponere incipit, quorſum ignem, aërem, aquam, furnos variaque vaſa refert. Producta inde emergentia ſunt aquae deſtillatae, balſama, calces, condita, confecta, conſervae, croci, elixiria, eſſentiae, extracta, farinae, feculae, flores atque ſublimata, lapides, lixivia, magiſteria, olea, reguli, reſinae, rob, ſalia, ſyrupi, ſucci, ſpiritus vel vinoſi vel acidi vel urinoſi, ſulphura, tincturae &c. Agmen denique claudit compoſitio medicamentorum, cujus regulis generalibus traditis, circa pondus & doſin tam abſolutam quam reſpectivam, agitur de compoſitione medicamentorum in ſpecie, quae in externa & interna diſpeſcuntur: Ad illa pertinent apozemata ſeu decocta, boli, electuaria, emulſiones, infuſa, looch, morſuli ac rotulae, pilulae, potiones & pulveres: Ad externa vero reducit cataplaſmata, collyria, cucuphas & ſacculos cum emplaſtris, epithematis, gargariſmatis, linimentis & unguentis.

§. CCLXIX.

Noſtro quoque tempore tentamen & examen medicum *Inſtitutioniſticum* per quaeſtiones & reſponſiones juxta mentem veterum pariter atque recentiorum orbi eruditorum, barbaro tamen ſtylo, aures moleſte adficiente, expoſuit *Petrus Linſing*, Phil. ac Med. D. S. Caeſareae Majeſtatis Perſonae medicus & Inſtitutionum in Alma Catholica Caeſareo-Archiducali Univerſitate Oenipontana Profeſſor Ordinarius. Quod deinde tentamen in gratiam Philiatrorum

Pragen-

Pragenſium plurimis quaeſtionibus adnutu & conſenſu praefati *Authoris* adauctum & illuſtratum denuo edidit *Johannes Franciſcus Löw*, S. R. J, & Caeſarearum provinciarum haereditariarum eques, Med. D. & in celeberrima & antiquiſſima *Carolo-Ferdinandea* Univerſitate *Pragenſi* medicinae practicae P. P. Hi, praemiſſis quaeſtionibus prolegomenalibus, ut *Auctores* loqui amant, de medicae artis exiſtentia, eſſentia, origine, ſectis, objecto, fine ac diviſione ejusdem in *phyſiologiam* & *hygieinen*, *pathologiam*, *ſemeioticam* ac *therapevticam* ita agunt, ut haec ultima tamen *chirurgiam*, *pharmaciam* atque *diaetam* ſub ſeſe comprehendat. Ubi circa conjunctionem phyſiologiae cum hygieine idem feciſſe videtur, quod jam ſuperius *Oligerum Jacobaeum* & *Fridericum Hoffmannum* pariter feciſſe & adprobaſſe animadvertimus.

§. CCLXX.

Verum deſcendamus ad ſpecialia & conſideremus ante omnia, cujus momenti ſint quaeſtiones phyſiologicae? Equidem ſi rem ex aequo ponderare vellemus, dicere poſſemus, quod ad Phyſiologiam vere medicam eminus ſaltem reſpiciat: Cum pleraque, excepta doctrina temperamentorum, quae de elementis, humoribus, ſpiritibus &c. adferuntur, a ſcopo medico admodum ſint aliena, atque adeo, ſive diſcantur ſive ignorentur, indifferens: Nihilominus tamen quaedam naturae phaenomena, methodo mechanicorum, haud infeliciter explicat; Quae etiam ratio nos movit credendi, *Auctores* hoſce inter omnes medicinae ſectas ab ea, quae dogmatico-mechanica adpellari amat, non valde alienos eſſe, etiamſi in totum eandem non amplectantur. Unde ad quaeſtionem: Quid ſit inſtinctus Naturae? Reſpondetur: Eſſe motum localem, uti totius, ita & partium exiguarum, certa magnitudine & figura praeditarum, ſecundum quas res naturales diſtingvantur & varias denominationes operationesq; ſortiantur. Imo eandem quoque ob rationem ſententia *Carteſii* de principiis dogmatico-mechanica, & quidem per excellentiam declaratur,

claratur, quia ille rerum omnium principia plane mechanica ſtatuit, quae per omnia phaenomena tum in corporum compoſitione tum reſolutione occurrentia evidentiſſime & ad captum ſeu intellectum facillime explicari poſſunt. Attamen provide additur: Principia haec mechanica ſatis quidem commode adhiberi poſſe ad multos naturae effectus explicandos, ſed ea tamen non ſufficere in omnibus, praeſertim cum animalium vires & functiones explicandae ſint. Id quod ſufficit, ut inde cognoſcamus, non puros putos eſſe mechanicos *inſtitutionum* harum *Auctores*, de quibus inpraeſentiarum loquimur, ſed ex antiquis pariter atque recentioribus in ſuos uſus id collegiſſe, quod congruum ipſis videbatur, ſive quadret, ſive minus. Πὺξ ϗ λάξ.

§. CCLXXI.

Hiſtoria partium ſolidarum maximam partem ex Anatomia petita eſt, quae tamen praeſupponenda, non denuo hic docenda vel inculcanda erat. Humoribus quoq; adnumerantur ſpiritus ſeu impetum facientes partes, uti vulgo vocantur, quorum exiſtentiam partim talibus argumentis probant, quae in meras tandem principii petitiones reſolvuntur, partim vero *Hippocratis* auctoritate ſuffulcire & corroborare nituntur: Qualibus argumentorum generibus non multum roboris ad demonſtrandum ineſſe, jam aliunde ſatis notum eſt.

§. CCLXXII.

Phyſiologiae ſatis commode ſociatur *Hygieine*, quae eſt ſanitatis tutrix, diaeta ſeu ratio vivendi; Eſtque ſecundum *Noſtros* triplex, nempe *prophylactica*, quae morbos futuros pariter ac imminentes avertit, deinde *ſynteretica*, quae praſentem ſanitatem tuetur, & *analeptica*, qua valetudinarii reficiuntur. Diaeta in genere aureis hiſce regulis circumſcribitur: Quae juvant & proſunt, ſervanda; Quae nocent, fugienda eſſe; Sanis nonnunquam pro medicina eſſe, medicina non uti; Sanum eſſe, qui bene digerit & bene egerit: Quibus a C. *Celſo* additur alia, qua forte nulla

nulla datur melior, nempe haec: *Sanus homo* (inquit *Celſus*) *& qui bene valet & ſuae ſpontis eſt, nullis obligare ſe legibus debet, atque nec medico nec alipta egere: Hunc oportet varium habere vitae genus, modo ruri eſſe, modo in urbe, ſaepiusque in agro, navigare, venari &c.* Speciatim deinde diſſeritur de uſu & abuſu rerum non naturalium ſive neceſſariarum, v. g. de aeris, plagae ſeu regionis coeli & loci ſeu ſitus ſalubritate, deinde de alimentis tam eſculentis quam potulentis, porro de motu, quiete & exercitiis, ſomno & vigiliis, excernendis animique pathematibus: Ad res non neceſſarias ſeu fortuito contingentes referuntur equitatio, curſus, vociferatio, ambulatio, ſaltus, luſus, balnea, acidulae, lotiones pedum, manuum, capitis, veſtes, lectus & lectiſternia &c.

§. CCLXXIII.

In *Pathologia* agitur primum de morbis eorundemque differentiis tam eſſentialibus quam accidentalibus, poſthaec de cauſis morborum in genere & ſpeciatim de externis, cui tandem tractationi ſymptomatum hiſtoria ſubjungitur.

§. CCLXXIV.

In *Semeiologia* excerpenda ideo prolixus eſſe nolo, quia fontes, ex quibus doctrina ſignorum petitur, iidem propemodum ſunt, ex quibus alii etiam hanc ſcientiam, morbos tam cognoſcendi ac dignoſcendi, quam varios eorundem eventus divinandi ac dijudicandi, depromere ſolent. Placuit tamen, quod ſigna inſalubria tam adcurate diſtincta fuerint in pathognomonica ſeu inſeparabilia, quae morbum ſemper comitantur, & epigenomena, quae per cauſae propagationem ſuperveniunt, atque adeo ſemper & ubique morbum non comitantur. Haec enim ab omnibus ea, qua requirebatur, ἀκρίβεια diſtincta non ſunt.

§. CCLXXV.

In ultima harum *Inſtitutionum* parte ſiſtitur *Therapevtica*, cui multae utiliſſimae regulae practicae in genere praemittuntur,

tuntur, priusquam ad ſpecialia fiat tranſitus, uti ſunt: Medicum, ut miniſtrum Naturae ad ejus molimina attendere debere; Non ſermone tantum, ſed ipſo opere vere medicum haberi; Viſitationes crebras patientium eſſe celebrandas, & in illis ſedulo vultum, vires, victum & mutationes morbi examinandas ac perdiſcendas; Nihil movendum, neque immutandum, neque alimentis neque medicamentis, ſi natura bene agit per ſe, quod debet; Remedia ſaepe mutanda non eſſe, quae ab initio bona ſunt viſa, licet non ſuccedant; Non pudeat quenquam medicum, in arduis caſibus tempeſtive alios medicos in conſilium vocare; In conſiliis cavendam eſſe contentionem & diſputationem, quae quippe medicos dedecet & aegros non juvat, ſed adflictis addit adflictionem; Semper urgentiori & periculoſiori quantocyus ſuccurrendum, etiam remediis temerariis, ſi opus ſit, ne, his omiſſis, aegrum certo mortis periculo exponat medicus; Morbum parvum non eſſe attollendum nec magnum parvi faciendum: Id enim medicos turpis lucri & ignorantiae ergo facere; Morbo non cognito, ad magna remedia nunquam progrediendum, ne errorem vel periculum committat & pulmonem curet, ubi ventriculus patitur; In formulis remediorum praeſcribendis accuratum eſſe oporteret medicum; In aegris conſiderandam eſſe aetatem, ſexum, conſuetudinem, morbum, vitae genus, regionem, vires & ipſum denique medicamentum; Opiatorum & narcoticorum abuſum eſſe fugiendum, nec ea porrigenda exhauſtis & viribus proſtratis, cum iis ſint viaticum ad aeternitatem; Idem intelligendum eſſe de abuſu purgantium vomitoriorumque; Medicamenta incognita, male praeparata, obſoleta & deſtructa nunquam eſſe ordinanda: Et quae ſunt alia ejuſmodi monita plura, quae, ſi a Practicis ea, qua par eſt, ſolertia in facienda praxi obſervarentur, certiſſimum eſt, multis aegrotantium querelis ſuperſedere poſſe Practicos.

§. CCLXXVI.

§. CCLXXVI.

Quod ipſi ab *anonymo* quodam exprobratur vitium, quaſi nempe aphoriſmos *Hippocratis* a *Wedelio* in poriſmata reſolutos ad verbum transſcripſerit, ejus mentione non facta; Id ſilentio praetermitto: Dicat ipſe, ſi adhuc in vivis fuerit, ſuam cauſam, ſeque contra tam gravem *plagii* imputationem ipſe defendat.

§. CCLXXVII.

Ex Gallis Dn. *le Francois*, Facultatis Pariſienſis Doctor medicus, idem foviſſe videtur propoſitum, quod *Paulum Ammannum*, Profeſſorem olim Lipſienſem, commovit, ut ad *inſtitutionum medicarum* emendationem, neceſſario ſuſcipiendam animum adplicaret, ea tantum differentia inter utrumque intercedente, quod *ille* magis *conſilium de univerſa medicina emendanda* ſubminiſtrare cordi habuerit. Uti vero nullum dubium eſt, quin conſilia talia Reipublicae medicae admodum ſalutaria, utilia imo & neceſſaria ſint: Ita tamen eo potiſſimum collineare deberent, ut juſta primum & futuris uſibus practico-clinicis recte inſervitura theoria conderetur, cui dein ceu ſolido fundamento tota praxis clinica ſupeaſtrui poſſet. Quae eadem *Auctoris* noſtri animo inſediſſe videtur opinio, dum non ſine ratione conqueritur, praecepta ſcholarum ſyſtematibus, praxi medicae contrariis, inniti, parum a docentibus de juſta remediorum adplicatione moneri, atque hinc parum vel nihil utilitatis in diſcentes redundare inde poſſe. Accedit, tyrones artis neſcire verum ſibi eligere Doctorem, qui, ſi ipſe praxin clinicam nunquam exercuerit, atque adeo obſervationum utilium ſupellectilem colligendi occaſione deſtitutus ipſe fuerit, ſanorum & praxi adplicabilium praeceptorum loco, inanes ac ſaepius cerebrinas ſuppeditabit ſpeculationes, quibus, ſi dein praxin ſuam ſuperſtruat, falli eum multis modis oportet. Semper mihi viſum eſt, promiſcuam talem in ſtudio medico, quod ſanitatem & vitam hominum pro objecto habet, informationem ſtudioſae juventuti nocentiſſimam eſſe.

§. CCLXXVIII.

Atque, hiſce ordine ſic praemiſſis, non ſolum de obſtaculis, medicinae incrementa impedientibus removendis, ſed & de juſtis atque legitimis mediis, quibus ad ſtatum meliorem ac feliciorem evehi poſſit ars medica, ſolide diſſerit.

§. CCLXXIX.

Anno 1731. *inſtitutiones medicinae theoreticae*, phyſiologiam & pathologiam comprehendentes, publicae luci expoſuit *Antonius Deidier*, Regis Conſiliarius ac medicus, nec non in alma Monſpelienſium Academia chymiae P. P. ordinis S. Michaëlis Eques & Societatis Regiae Londinenſis ſocius, nec non Galliae triremium Archiater. Quid in illis praeſtiterit Clar. Auctor, ideo prolixius exponere mihi haud licet, quod in hunc usque diem meas in manus nondum pervenerunt.

§. CCLXXX.

Ex *Anglis* vero hoc noſtro ſeculo *manuductionem phyſico-medicam* communicavit *Petrus Paxton*, qua Academicae juventuti methodum & adminicula ſuppeditavit, ad artis medicae cognitionem facili negotio perveniendi. Fundamentum nempe, cui hanc ſuam promiſſionem ſuperſtuit, tam a vera partium, quibus C. H. componitur, ſtructura, quam etiam a continuo fluxu & mutatione earundem petit atque morborum myriades, in Europaeis regionibus homines infeſtantium, non tam a naturae humanae fragilitate, quam potius a luxuria & male ſano vivendi ordine dependere demonſtrat.

§. CCLXXXI.

Ex eadem nobiliſſima *Anglorum* natione in publicum quoque produxit ac delineavit medicinae ac morborum ſtatum *Johannes Woodwardus*, M. D. inque Collegio *Gershamenſi* ejusdem Prof. P. nec non medicorum Collegii & ſocietatis regiae membrum, aliis jam ſcriptis in Actis eruditorum Lipſienſibus hinc inde recenſitis ſatis notus. Relictis otioſis & ſterilibus theoriae vulgaris figmentis, quibus per-

multi

multi hac noſtra aetate animos ſuos paſcunt, ſecuturum ſe potius naturae ipſius atque obſervationum ductum ſpondet, nec tamen ratiocinia ſe omnino neglecturum, fidem ſimul facit. Quod ſcriptum ut fructuoſius legeretur, commendat praeliminariter evolvi alium a ſe editum librum ſub rubro: *Idea naturae humanae morborumq;, quibus eſt expoſita, cum methodo iisdem medendi.*

§. CCLXXXII.

Cum vero tractatui huic non pauca immiſcuiſſet, quae aliorum Doctorum Londinenſium placitis erant contraria, tritamque hactenus & conſuetam medendi methodum dereliquiſſet, inprimis autem DD. *Freindium* atque DD. *Meaden* acerbius paullo tractaſſet, crabrones hoc ipſo ſcripto tantopere irritavit, ut permulti adverſarii certatim quaſi, ceu fieri adſolet, in ipſum conſpiraverint; Unde non defuerunt, qui per ſatyras, dramata muſica, quae operas vocant, imo libellos famoſos ludibrio publico *Woodwardum* exponere ſategerunt, imo DD. *Mead irae*, quae furor brevis eſt, fraena eousq; laxare haud erubuit, ut *Woodwardo* in platea publica obviam factus, gladium ſtringere & hoſtiliter ipſum invadere haud fuerit veritus. Ad quem temeritatis & audaciae gradum cum multis ob legum civilium rigorem pervenire non liceat: Convitiis ſaltem & inhoneſtorum verborum farragine obruere conantur illos, qui dogmata male ſana, in ipſorum tamen animis altius radicata, imo communi quaſi conſenſu adprobata, philiatrorum animis evellere ſanioraque praecepta inſtillare moliuntur.

§. CCLXXXIII.

Valet nimirum hunc usque in diem tritum illud: VERITAS ODIUM PARIT. Fata, quae hucusque expertus ſum ipſe, *Woodwardianis* haud plane diſſimilia ſunt. Quamvis enim ad eum usque inſolentiae & furoris gradum nondum pervenerint adverſarii mei, ut gladium publice, id quod *Woodwardo* contigit, in me ſtringerent: Non ceſſarunt

runt tamen, injurioſis merasque calumnias ſpirantibus ſcriptis me impetere, exiſtimationem ac famam meam aliis ſuſpectam reddere, retia clanculum tendere idque omne moliri, quod fortunae meae qualecunque detrimentum adferret: Verum cuncta haec conſilia in irritum hucusque recidiſſe, in ſinu gaudeo, taliumque emiſſariorum, alienis paſſionibus inſervientium, oblocutiones non pluris, quam catellorum latratus aeſtimavi, quos proinde ne dignos quidem judicavi, quibus vel verbulum amplius reponeretur. Tantos interim tumultus excitavit adamatorum *ſpirituum animalium*, quorum ſyſtema verum ignorantiae aſylum eſt, relegatio! Tantopere crabrones irritavit *corticis peruviani*, impoſturarum pleniſſimi, inſimulatio!

§. CCLXXXIV.

Facilem quoque in medicinam introductionem, fundamenta & neceſſaria praeliminaria ad praxin continentem, concinnavit J. *Pechey*, Collegii medici Londinenſis membrum. Non videtur vero Auctor proprias meditationes una continua & naturali ſerie iſto in libro propoſuiſſe, ſed ex celebrioribus tantum ſcriptoribus congeſſiſſe. In inſtitutionibus, quae primam ejus partem conſtituunt, phyſiologiam, hygieinen, pathologiam, ſemeioticam ac therapevticam; In ſecunda materiam medicam ſuccincte expoſuit, quae tamen una cum reliquis, quae pertractavit, momentis rerum, non ſunt hujus loci.

§. CCLXXXV.

Anno 1712. in theatro ſcriptorum artis medicae elementarium comparuit *J. von Gaukes*, Med. D. pariter Anglus, qui Diſſertationem edidit *de medicina, ad certitudinem Mathematicam evehenda, continentem certa artis hujus principia, & quomodo ex iis omnia mechanice & methodo Mathematica demonſtrari* poſſint. Optandum equidem omni modo foret, ad certitudinem Mathematicam artem in omnibus ac ſingulis ſuis partibus evehi poſſe: Longe vero alia quaeſtio eſt,

an hoc ab Auctore noſtro praeſtitum ſit? Illa certe principia, ſive phyſica, ſive chymica, ſive mechanica, ſive hydraulica fuerint, quae tamen pro certis & indubitatis venditantur, talia non eſſe, ipſa illorum indoles ſatis evincit; Per phyſica enim intelligit materiam, motum & formam, necnon tria *Carteſii* elementa, quae nemo alius facile aliter conſideraverit, quam ut hypothetica. Per *chymica* denotat particulas & moleculas, quas machinarum inviſibilium nomine indigitat. Per *mechanica* deſignat potentias mechanicas vulgares & per *hydraulica* machinas & inſtrumenta hydraulica. Verum qui demonſtrationum Mathematicarum genium rite callent, facili opera comprehendent, Auctoris noſtri putatitias demonſtrationes cum Mathematicis nil niſi nomen commune habere. In quo concedendo non difficilis erit, qui propoſitiones adlatas cum demonſtrationibus ipſis conferre non dubitaverit.

§. CCLXXXVI.

Ante aliquot annos edidit quoque inſtitutiones medicas *Johannes Browne*, Med. D. quas quidem variis ex Auctoribus collectas, mechaniſmo nihilominus ſtructuraeque partium ſolidarum ac fluidarum, ex quibus quippe corpus humanum componitur, ſuperſtruere conatus eſt. Quatuor itidem conſtant partibus, *Phyſiologia* nempe, *pathologia*, *ſemeiologia* ac *therapevtica*, quae, qua ratione ſyſtematice inter ſe mutuo cohaereant, ex Praefatione patere poteſt: Ex qua proinde paucula excerpere nobis liceat.

§. CCLXXXVII.

Principia, quae fundamenta demonſtrationum eſſe debent, requirit mechanica, a materia nempe & motu ſeu diſpoſitione corporum ad motum petenda. Sanguinis motum a ſyſtole & diaſtole fibrarum muſcularium motriciumque, quinimo a temperie & quantitate fluidorum vult eſſe derivandum; Motionem vero & impulſum ſolidarum

 par-

partium non immateriale vel ideale quid eſſe, ſed materiale, ſubtiliſſimum tamen, catholicum nempe illud fluidum, propter elaſticitatem ſumme activum, ſub reſpiratione ad nos accedens, quod a veteribus anima mundi adpellatum eſt: Hoc ſubtili elaſtico aëre exhalante, cum vita noſtra vult actum eſſe. Hanc vitam deſcribit eſſe conſtantem motum fluidorum, per certos canales vel vaſa ſolidorum impulſu adjutum & corruptibile corpus ab interitu vindicantem: Motu hoc bene ſuccedente, partem vel totum corpus vivere & a corruptione praeſervari, interrupto vero illo nec reſtituto, mortuum eſſe pronunciandum: Mortem vero a deficiente ſanguinis motu dependere& cum diſpoſitione ad putrefactionem eſſe conjunctam. Sanitatem non ſimpliciter in motu ſanguinis circulari conſiſtere, ſed in certo motus hujus ordine, in moderato liberoque progreſſu ſanguinis, cordis pulſu fibrarum tono adjuto, fundatam eſſe, ſeu ab aequalitate motus ſolidarum pariter ac fluidarum partium dependere. Ad continuandum hunc motum partium moderatum & aequalem partium ſolidarum impulſum, partim humorum debitam & diverſae vaſorum amplitudini diverſoque fibrarum vigore reſpondentem quantitatem, partim legitimam elementorum proportionem pro fluidis, maſſam ſanguineam conſtituentibus temperandis, partim vaſa libera & aperta, per quae ſanguis abſque obſtaculo pertranſire valeat, requiri. Prae reliquis tamen pulſum & tonum partium utramque facere paginam ad ſanitatem conſervandam; Pulſum cor & vaſa reſpicere, quae a centro ad circumferentiam humores pellunt: Tonum vero fibris deberi ac membranaceis muſculoſiſque partibus, quibus contra a circumferentia ad centrum urgentur: Utraque motus ſpecie recte vigente, ſecretiones bene ſuccedere & hominem perfecta frui ſanitate. Ad *pathologiam* & *therapevticam*, prolixitatis nimiae vitandae cauſa, non progredior.

§. CCLXXXVIII.

Pedem potius promoveo ad *Johannem Mariam Lanciſium*, ſummi

ſummi Pontificis Romani CLEMENTIS XI. archiatrum, qui Romae diſſertationem *de recta ſtudiorum medicorum ratione inſtituenda* publice recitavit, quae cum adplauſu excepta fuit.

§. CCLXXXIX.

Neque dubitamus eximium quendam inter ſcriptores *Inſtitutionum medicarum* locum concedere *Johanni Baptiſtae Morgagno*, in Gymnaſio Patavino olim Theoretices Profesſori longe celeberrimo, nunc vero Anatomico illius Primario. Quanquam enim in hunc usque diem ignorem, an, quas meditatus eſt, novas Inſtitutiones, lucem jam adſpexerint: Earundem tamen ideam inaugurali Oratione, qua Profeſſionem Theoretices in Univerſitate Patavina auſpicabatur, praeliminariter delineavit. Optamus animitus, ut, ſi dictis *Inſtitutionibus* ultimam manum nondum admoverit, propediem id faciat, eoque ipſo votis atque deſideriis diſcentium aeque ac docentium ſatisfaciat. Sperare enim integrum eſt, ſolidi quippiam atque conſummati ab hoc Celebri Viro profecturum, qui in peritia ſecandi tot hactenus egregia ſpecimina edidit: Siquidem certisſimum eſt, Anatomiam longe ſolidiora elargiri poſſe fundamenta, ad certitudinem mathematicae aemulam medicinam evehendi, quam ex phyſica, chymica, hydraulica mechanica &c. expectare unquam licet.

§. CCXC.

In hunc finem, ut nempe principia artis faciliora redderentur Philiatris, conſpiravit ſociamque operam contulit *Hermannus Fridericus Teichmeierus*, M. D. ejusdemque in Academia *Jenenſi* P. P. Ord. *anthropologiae* elementa ſeu theoriam C. H. edendo, *in qua omnium partium actiones ex recentisſimis inventis anatomicis, & rationibus tum phyſicis tum chymicis, tum denique mechanicis, in uſum Auditorii ſui declarantur.* Uti enim mechanicis principiis addictus eſt: Ita & ad mentem Mechanicorum ratiocinatur; Atque adeo corpus hominis habet & agnoſcit pro machina, in quo quippe multifaria

reperian-

reperiantur machinarum minorum, inimitabili artificio ab omnipotente numinis manu coagmentatarum genera, puta vectes, trochleae, funiculi, pendula, antliae cum ſuis embolis, cylindris, valvulis ac tubulis, exemplo oculi, auris aliarumque ejusmodi machinularum. Imo ulterius ille progreditur, atque, inter C. H. & laboratorium chymicum maximam intercedere analogiam, adſerere nullus dubitat; Adeo ut, ſecundum ejus ſententiam, in illo aeque *coagulationes*, *ſolutiones*, *digeſtiones*, *filtrationes* &c. ac in laboratorio quodam chymico contingant. Quae cauſſa ipſum quoq; permovit, ut in explicanda officiorum, quibus viſcera perfunguntur, ratione, ad principia nunc mechanica, nunc chymica, nunc utraque recurrere conſultum judicaverit.

§. CCXCI.

Circa finem praecedentis ſeculi *fundamenta medicinae reformata, phyſico-anatomica*, quae A. 1693. Bruxellis recuſa ſunt, edidit *Franciſcus Zypaeus*; Et licet inficias eundum non ſit, multa lectu digna in *Zypaeanis* hiſce medicinae fundamentis occurrere: Non pauca tamen, reformatione hac non obſtante, emendatione nova indigere, ex elementis *Pittcarnii* jam ſuperius allegavimus.

§. CCXCII.

Alia plane via inceſſit *Johannes Bartholomeus Adamus Beringerus*, qui veteres cum recentioribus conciliare conatus eſt; Quem in finem *connubium Galenico-Hippocraticum* ſeu *ideam inſtitutionum medicinae rationalium* ſecundum veterum & recentiorum ſententias compendioſe contractarum in lucem protraxit, quae *Herbipoli* A. 1708. prodiit. Retinuit is quidem diviſionem *inſtitutionum* in quinque partes, aliis ſolemnem, *phyſiologiam* nempe, *pathologiam ſemeiologiam*, *hygieinen* & *therapevticen*, ſed in omnibus breviſſime ſeſe geſſit, pauciſque theſibus ſingulas complexus eſt; Ut ſcopus ejus fuiſſe tantum videatur, veterum aeque ac recentiorum principia & offerre & inter ſe mutuo conferre; *Ut ſaltem*

quandam cynoſuram ac regulam exhiberent, ad medicinam noviter adſpirantibus, qua ducti, ſi non portum attingere, ſaltem perſpicere, & in vaſto ſcientiae medicae oceano ſententiarum periculoſarum ſyrtes ac ſcopulos caute declinare diſcerent.

§. CCXCIII.

An vero ad finem hunc feliciter ſint perventuri philiatri noſtri, ex ſpeciminibus paucis, quae hic excerpta ſiſtemus, nullo negotio cognoſcere ipſis dabitur. Sanitas ipſi dicitur *corporis humani ejusque partium conſtitutio naturalis, ad actiones ejus integre & naturaliter edendas apta & deſtinata.* Hanc conſtitutionem, putat, conſiſtere *in ſpirituum harmonia, horum debita temperie, & partium ſolidarum legitima conformatione & continuitate decenti.* Diviſionem partium in *continentes, contentas* & *impetum facientes* calculo ſuo probat. In *elementorum* numero eligendo placuit ipſi imitari *Carteſium*, atque adeo cum ipſo particulas *primi, ſecundi* ac *tertii elementi*, ſeu materiam *ſubtiliſſimam, ſubtilem* ſeu *aetheream* & *craſſiorem* ſeu *terreſtrem* adoptat; ſtatim tamen ſubjungit, hanc hypotheſin, ſi non caeteris veriorem, ad captum tamen & dilucidationem ſtudii medici, & ſingulorum in eodem abſtruſorum explanationem faciliorem magis adcommodatam eſſe. In deſcribendis temperamentis SEXCENTA HIPPOCRATIS fundamenti loco ſubſternit: Unde ſtatim patet, inter *temperamentum* & *temperiem* (quam confuſionem plures admiſerunt) non rite ipſum diſtinxiſſe. In tradenda ſpirituum doctrina a fabuloſis traditionibus hucusque in ſcholis receptis ne latum quidem unguem recedit. Habet illos pro *ſubſtantia tenuiſſima, ſubtiliſſima & volatiliſſima, ad totum complendum, & functiones C. H. rite obeundas deſtinata.* Defendit quoque cum veteribus *ſpiritum inſitum*, eumque vere exiſtere, non tantum ex *morbis haereditariis*, certae cuidam parti implantatis, ſed & *a particularibus a parentibus communicatis idioſyncraſiis* & *curationibus magneticis* probat. Functiones animam ſuo in corpore mediantibus ſpiritibus peragere exiſtimat; Hoc tamen ſolvendum

proponit problema: Annon cum Clar. *Stahlio*, medicinae Prof. Hallenſi celeberr. *rejectis ſpiritibus*, certae functiones *per animam vitaliter in corpore agentem* clarius explicentur? Plura ejuſmodi ſpecimina allegare ſuperſedeo.

§. CCXCIV.

Ante 24. propemodum annos *ſynopſis inſtitutionum medicinae*, auctore *Theodoro Zwingero*, Profeſſore Medicinae Baſilenſi, tribus capitibus comprehenſa, lucem adſpexit publicam. In *primo* phyſiologia ſiſtitur, in qua de principiis rerum naturalium, de C. H. principio vitali, nec non de nutritione, chylificatione, reſpiratione, ſecretione, ſenſu, motu ac partu egit Auctor. In *ſecundo* pathologiam exhibuit, quae de natura, cauſis, differentiis & ſignis morborum tractat. In *tertio* hygieinen ac therapevſin breviter adumbravit, methodumque medendi una cum remediis pharmacevticis ſuccincte adumbravit; Cunctas vero haſce partes recentiorum obſervationibus & experimentis eximie illuſtravit.

§. CCXCV.

Eundem propemodum cum *Beringero* finem propoſitum ſibi habuit *Johannes Andreas Fiſcherus*; Is enim *iliada in nuce*, ſeu medicinam ſynopticam, conciliatrici medicinae ſubſecuturae praemiſſam, publicam in lucem emiſit; Unde hanc ejus intentionem haud obſcure colligi licet.

§. CCXCVI.

Paucos ante annos eandem hanc elementarem artis medicae partem in ſtudioſae juventutis gratiam & uſum illuſtrare ſuſcepit *Chriſtianus Vaterus*, Pathol. P. P. Ord. in Acad. Vitebergenſi, nec non phyſicus provinc. Saxon. ut & conſiliarius & archiater Principis Serveſta-Anhaltini. Univerſum nempe *inſtitutionum medicarum* ambitum ſuccinctis aphoriſmis tradere & exhibere, experimentisque hodiernis phyſicis, mechanicis, anatomicis & chymicis confirmare adlaboravit. Duas eſſentiales earum partes, nempe *phyſiolo-*

phyſiologiam atque *pathologiam* admodum compendioſe tractavit, in *ſemeiotica* vero *medica* tradenda prolixior fuit, cujus etiam *prognoſticae parti* prae caeteris hanc merito praerogativam vindicat, quod *medicus* hac ipſa *fidem authoritatemq;* *apud aegros* ſibi *conciliet:* Requirit tamen ſimul, ut in *prognoſi* formanda *caute ſe gerat, ne temerario judicio ſibi aliisque noceat, & artem, alias ſatis certam, cavillationi* aliorum exponat.

§. CCXCVII.

Methodus, qua uſus eſt *Vaterus* in tradendis hiſce *inſtitutionibus*, diſputatoria fuit; Nulla enim, mea ſententia, melior, nulla adcommodatior eſt hac ipſa, ad doctrinas juvenum animis inſtillandas, ut judicium non modo acuatur, ſed & memoriae tenacius firmiusque imprimantur, quae legendo & explicando in collegiis antea propoſita fuerant. Quae eadem me quoque movit ratio, ut haſce inſtitutiones meas methodo primum diſputatoria, deinde vero etiam explicatoria traderem.

§. CCXCVIII.

Syſtematicam univerſae medicinae adumbrationem, pro ſtudioſorum adminiculo, tradidit *Johannes Stephanus Strobelbergerus*, e Ratisbona ad thermas Carolinas medicus Caeſareus. Scopus ejus, ut ipſemet mentem ſuam declarat, neutiquam fuit, ut medicinam per compendium traderet, id quod ne poſſibile quidem eſſe exiſtimat, ſed id potius voluit, *ut plerosque medicinae titulos ordine quodam ſyſtematico proponeret, ut ceu loci communes in ſtudioſorum medicinae uſum venirent, ad quos, quicquid alibi apud probatos authores notabile occurreret, referrent, &, ſi quid declarandum ſeſe offerret, ex iſtis ſtatim peterent.*

§. CCXCIX.

Huic inſtituto convenienter, praemiſſis artis medicae praecognitis, de objecto ac fine ejusdem, nec non de ejus neceſſitate, privilegiis, nobilitate vel contemtu, receptam ejus diviſionem in *theoricam* ac *practicam* partem

tem proponit, in quarum *illa* corporis humani principia & affectiones, in *hac* vero circa affectiones iſtas exercitatio, uſus & praxis explicantur. Principia partim ex *phyſica*, partim ex *anatome* petenda eſſe exiſtimat; Ad phyſica refert res naturales, nempe 1.) elementa 2.) temperamenta. 3.) humores. 4.) membra. 5. facultates. 6.) operationes, 7.) ſpiritus, & quae his annexa, ut ſunt ſexus, aetas & recta beneque vivendi ratio.

§. CCC.

Uti vero ſanitatem deſcribit, eſſe habitum C. H, ortum ex bona temperie calidi, humidi, frigidi ac ſicci, ac dein ex recta conformatione & continuitate partium corporis ad actiones (*vitales, animales & naturales*) recte obeundas: Ita *morbum* nihil aliud eſſe opinatur, quam *privationem ſanitatis*, ſeu defectum dictarum operationum, ortum ex intemperie calidi, humidi, frigidi, ſicci; Vel ex partium ſolidarum in corpore mala conformatione vel diſcontinuatione. Ex quo breviter ſic adumbrato ſchemate intelligi haud difficulter poteſt, quid pro ſuis uſibus tyrones artis colligere inde poſſint vel debeant?

§. CCCI.

Juſtus Veſti, in Acad. *Erfurtenſi* Pathologiae Prof. Publ. fundamenta medica, olim luci publicae expoſita, denuo reviſa, multisque locis aucta, ſub titulo *inſtitutionum medicarum reformatarum* circa finem praecedentis ſeculi denuo edidit publicique juris fecit. Firmiter equidem is, ut in *praefatione ad Lectorem* ipſemet monet, apud animum ſuum propoſuerat, nullo amplius ſcripto publico ſe in lucem proditurum, atque judicio hominum ſeſe expoſiturum, eo quod medicae artis facies Prothei inſtar ſeſe quotidie fere mutet, ut, quod hodie indubitatae veritatis adſertum eſſe videtur, acriterque defenditur, cras iterum rejiciatur atque Clariſs. Virorum ſcripta laudentur ab his, culpentur ab illis, ſi ſub aequorum vel iniquorum judicum cenſu-

ram

ram cadant; Nihiloſecius tamen, cum is, qui proximo ac publico inſervire ſtudet, aequo animo utramque ferre debeat fortunam; Metus cenſurae iſtius iniquae in animo ejus ita tandem evanuit, ut haſce *inſtitutiones*, easq; *reformatas* publicam in lucem prodire paſſus fuerit.

§. CCCII.

At vero, ſi hac noſtra aetate viveret clariſs. Author, ſine dubio miraturus eſſet ſcriptorum ſatyricorum copiam, quibus nihil fere aliud agunt eorundem opifices, quam ut aliorum labores perſtringant, &, quod in proverbio dicitur, ex muſca faciant elephantum. Pauci effluxêrunt anni, ex quo in ſocietatem quandam rigidi quidam cenſores coiverant, qui alto ſupercilio comminabantur, ſe *ſemieruditorum* opellas examuſſim examinaturos, & acri ſale ſatyrico conſperſuros eſſe omnes illos, quos ex *ſemieruditorum* ordine acri hac cenſura dignos eſſent reperturi; Qui tamen ambitioſi conatus, cum permultis viris eruditis, aequis aliorum judicibus, magnopere diſplicuerint, mox ſua ſponte evanuêrunt.

§. CCCIII.

Caeterum *inſtitutiones* ſuas aliorum more in 5. partes diſpeſcit, ut in *prima phyſiologiam*, in *altera pathologiam*, in *tertia ſemeiologiam*, in *quarta hygieinen* atque *therapevticam* & in *quinta* denique *diaeteticam*, *pharmaciam* atque *chirurgiam* exhibeat. Neque vero negandum eſt, multa pro genio temporum, quibus vivebat, adcuratius tradidiſſe *noſtrum*, multa etiam veterum dogmata recte exploſiſſe, ut *inſtitutiones* ſuas *reformatarum* titulo exornare jure potuerit: Neutiquam tamen dubitamus, quin, ſi hac noſtra tempeſtate viveret, multa adhuc emendanda ipſi reſtarent.

§. CCCIV.

Eodem propemodum tempore *Johannis Franciſci Vicarii*, Doctoris Medicinae *ac Profeſs. publ.* & in perantiqua Frib.

 Conſtant.

Conſtant. Univerſitate Prof. Publici, *baſis univerſae medicinae* lucem adſpexit, quae in quinque *inſtitutionum* libros pro veteri more diviſa ac juxta neotericos in principiis mathematicis, mechanicis & anatomicis fundata Auctori dicitur, & in qua tyronibus facilem ad ſacram medicinam aditum pollicetur, imo ipſis quoque Practicis in abſtruſiſſimis caſibus facem accendere laborat. Exiſtimat is, antiquitati non omnem, quam meruit, laudem eſſe denegandam, ſaltem in conſignandis hiſtoriis morborum obſervationibusque condendis laudabilem praeſtitiſſe operam: At vero in his non adquieſcendum, ſed neotericorum inventa illis eſſe jungenda; Et hoc modo ſperandum, aliam faciem eſſe adquiſituram artem medicam, haud abs re ſibi perſuadet. Ingenue quoque confitetur, ex quibus, in *inſtitutionibus* hiſce adornandis, profecerit, quos inter laudat *Blancardum*, *Francum*, *Junckenium*, *Wedelium*, *Hoffmannum* & inprimis *Ettmüllerum*. Magnam quoque convenientiam eſſe inter *catecheſin medicam* per modum dialogi a *Buxbaumio* editam, & hoc ſuum opuſculum, ſponte fatetur: Ita ut, ſi inter ſe mutuo comparentur, in quam plurimis, ſeſe mutuo excerpſiſſe, obſervaturus vel plane juraturus ſit Lector; Quod, quomodocunque ſeſe habeat, nos ſuo loco lubentes relinquimus.

§. CCCV.

Siſtemus potius pauca quaedam ſpecimina ex prima harum *inſtitutionum* parte, nempe *phyſiologia*, unde ad *pathologiam*, *methodum medendi* ac *therapiam* ipſam concludi facile poteſt. De elementis ſeu principiis corporum ſic ſtatuit: Quatuor illa vulgaria, ignem, aërem &c. non dari, &, ſi darentur, doceri tamen in medicina non debere. Vera corporum naturalium principia eſſe mechanico-phyſica; Corpora animalium eſſe machinas hydraulico-pnevmaticas, quae per ſanguinis & ſpirituum contentorum motum varias actiones edant; Ipſum hominem talem eſſe machinam, quae tamen duo habeat agendi principia, quorum

quorum alterum ſit ſubſtantia cogitans, alterum vero extenſum, certa ratione modificatum, a quo dependeat chylificatio, ſanguificatio, humorum circulatio &c. Vitam humanam *formaliter* in unione animae cum materia plus minus organica, *fundamentaliter* vero in fluidis, maxime in ſanguine conſiſtere, & ſic, ratione hujus fundamenti vitam corporis verſari in perenni ac decenti partium fluidarum (quarum principaliores eſſe ſpiritus ſeu impetum facientes exiſtimat) quae ſolidas impellant, motione. Naturam definit, eſſe rationem artis divinae, rebus naturalibus inſertam, qua ducantur ad ſuos fines &c.

§. CCCVI.

Diximus paullo ante, *Vicarium* noſtrum ſuos inter praeceptores, ſi non vivos, ſaltem mutos connumeraſſe *Georgium Francum*, celebrem quondam in *Heidelbergenſi* Univerſitate *Profeſſorem* medicinae publicum. Is enim pariter, in Auditorum ſuorum gratiam *inſtitutionum medicarum* ſynopſin edidit, cui methodus medicinam diſcendi eſt adnexa.

§. CCCVII.

Jungimus huic *Bernhardum Matthiam Franckium*, Profeſſorem ac medicum in alma Holſatorum Chriſtian-Albertina publicum, qui, cum dicta in Academia extraordinariam medicinae profeſſionem auſpicaretur, *de ſumma theoriae*, quam vocant, *medicae ad morborum curationem recte inſtituendam, neceſſitate* vere non minus quam eleganter diſſeruit. Diſcutienda inprimis ſibi ſumpſit duo quaſi brocardica, quae omnium ore circumferuntur, quorum primum eſt: *Bonum theoreticum* eſſe *malum practicum*; Et contra: *Malum theoreticum* plerumque *bonum* eſſe *practicum*. Alterum illorum eſt: *Qui ſuffecerit ad cognoſcendum, ſufficere quoque ad curandum.* Quid utrique huic effato veri vel falſi ſubſit, pluribus is dicta oratione examinandum in ſe ſuſcepit.

§. CCCVIII.

§. CCCVIII.

Melius ſcopo noſtro inſervit *Bartholomaei de Moor* oratio de methodo docendi medicinam generatim, & ſpeciatim de modo inſtitutiones medicas tradendi, habita Groningae, cum, finitis feriis hyemalibus, ad Lectiones ordinarias A. 1707. reverteretur. Huic themati ut rite ſaſatisfaciat, fundamenti loco ſupponit, univerſam medicinam, quanta eſt, practicam eſſe; Eſt enim ars, quae a fine incipit, quae conſervat ſanitatem, morbos curat & vitam prorogat. Inde concludit: Male medicinam hucusque in *theoreticam* & *practicam* fuiſſe diviſam, cum in medicina nihil tradi debeat, niſi quod ad finem iſtum conſequendum ſit adcommodatum; Et contra; Ea omnia, quae huic fini minime inſerviunt, praetermittenda veniant.

§. CCCIX.

His praemiſſis, prudenter monet, in limine ſtatim ceſpitaſſe medicos, quando de elementis ſibi diſputandum eſſe in Inſtitutionibus putarunt. Si enim, uti paulo ante monuerat *Noſter*, ea, quae fini medici non inſerviunt, ſunt praetermittenda, ſi inſtitutiones practice ſunt explicandae, fruſtra utique in medicina diſputatur de elementis, utpote quae tractatio Phyſicis in ſolidum eſt relinquenda, quorum eſt, hiſce de rebus diſſerere. Neque enim, exiſtimat is, quemquam ab omni judicio usque adeo vacuum eſſe, qui non intelligat, nec quatuor elementa Peripateticorum, nec tria Carteſianorum, ad conſtitutionem hominis quicquam facere. Praeterea vanos condemnat conceptus, quos de ſtatu ſanitatis formare ſibi ſolent medici, num ſcilicet conſiſtat in potentia quadam actiones exercendi? Vel an ſanitas a parte rei ſit ſubſtantia? Tales enim, qui hiſce vel ſimilibus innutriantur conceptibus, non magis ſapere poſſe credit, quam bene olere, qui in culina habitent.

§. CCCX.

Unde colligit Auctor noſter, Sanitatem eſſe adjunctum

ctum vitae, vitam vero actuoſitatem ex interno principio. Nemini id obſcurum poſſe eſſe putat, qui conſideraverit, vivere eſſe agere, movere & moveri, cum ſine motu corpus ſit pondus iners. Itaque motum illum ex interno principio procedere debere. Pariter moveri quidem horologium, at non vivere. Horologium artificialem, humanum vero corpus naturalem eſſe machinam; Artificem rotulas ſcite praeparare, apte inter ſeſe conjungere, & conveniens pondus appendere noſſe, vitam tribuere non noſſe. Solum DEUM vitam, reſpirationem & omnia hominibus largiri; Vitam ſolius omnipotentiae divinae ſtupendum eſſe monimentum. Verum, quodnam tandem eſt, ſepoſitis rhetorum artificiis, principium illud internum, e quo, tanquam fonte perenni, omnes actiones ſcaturiunt, cujusque ſanitas eſt adjunctum. Auctor noſter rotunde enunciat: Non eſſe mentem, cujus natura in cogitatione conſiſtat; Quaſi vero cogitatio, tanquam res immaterialis, nullum cum materiali habeat commercium. Nec eſſe animam, cujus obſcurus admodum ſit conceptus; Quaſi iterum duobus hiſce vocabulis non promiſcue & indifferenter uterentur medici. Quid ergo? Et quodnam tandem eſt principium iſtud internum, quod recte agnovit noſter? Reſpondet: Nullum aliud, quam ſanguinis continuum motum, circulationem, preſſionem; Quaſi non alia iterum cauſa requireretur, a qua motus ſanguinis circularis & preſſio procederet; Quo modo ſi quis cum Auctore noſtro ratiocinaretur, aut in cauſarum determinatione in infinitum ſine dubio progrediendum, aut agnoſcendum foret in corpore humano aliud internum, illo prius, principium, nempe ipſa *Anima Rationalis*.

§. CCCXI.

Verum, regeret Noſter, tali progreſſu cauſarum in infinitum non eſſe opus; Cor enim, ſecundum *Ariſtotelis* effatum, primum eſſe vivens & ultimum moriens; In ovo incubato poſt colliquamentum candidum, punctum emicare

care ſaliens; Cordis illud & circulationis rudimentum eſſe; Hinc idem dici partem principalem, quia ab ejus contractione vita, ſanitas, omnes actiones dependent; Motum eſſe unicum vitae auctorem; Motum ſanguinis omnes partes ad agendum habiles reddere; Idem illud, quod pondus appenſum in horologiis, id quod aqua vel ventus in molendinis, idem illud motum ſanguinis in corpore humano efficere. Sanguinis motum vivificare omnes partes, easque ad agendum diſponere; Sanguinis motum in dormientibus non minus quam vigilantibus obtinere. Quid? Quod absque ſanguinis motu & verſus cerebrum diſtributione, ne ſomnus quidem intelligi poſſit. Verum his ſimilibusque phraſibus communiter utuntur, qui principiis ita dictis mechanicis ſeſe manciparunt, quas tamen diluemus ſuo tempore.

§. CCCXII.

Quibus interim ſic expoſitis, varias animae facultates, a Galeno temere effictas, ex *Inſtitutionibus* vult eſſe remotas, & merito quidem; Quia ex legitima partium viſcerumque conformatione mutuaque ad ſe invicem habitudine actiones corporis humani variae ab altiori principio actuatae, longe felicius certiusque deduci poſſunt.

§. CCCXIII.

Progreſſus hinc ad alteram medicinae theoreticae partem, nempe *pathologiam*, in qua de morbis, eorundemque cauſis & ſymptomatibus agitur, provide iterum monet, practice haec omnia ob oculos ponenda; Proindeque frivolae intemperiei cum & ſine materia explicationi cum antiquis non eſſe inhaerendum, cum omnis intemperies, juxta illorum mentem, a quibus etiam δυσκρασίας vocabulum ad nos derivatum eſt, ſignificet aliquid ſtabile partibus veluti inhaerens, cum temperies partium ſolidarum a ſanguine ejusque motu dependeat. De motu vero qui meminerint, paucos eſſe, aut, ſi meminerint, pauciores

eſſe,

eſſe, qui ſummum ejus uſum explicando lectoribus demonſtraverint. Proinde repetit denuoque inculcat: Vitam eſſe actuoſitatem ex interno principio; Illud vero principium nullum eſſe aliud, quam preſſionem ſanguinis; Unde infert: Pleroſque morbos, inprimis univerſales, a ſanguine dependere. Neque vero ſimpliciter motum tantum conſiderat, ſed & humorem movendum; Conſiderat, inquam, motum ſanguinis, talis ſcil. liquoris, cujus fibroſa eſt & eſſe debet conſiſtentia, nec non vaſa, in quae praecipue vires ſuas exerit, nempe arterias conicas; Conſiderat inſuper, longitudinem pariter atque angulos horum tubulorum non eſſe ubique eosdem, ſed uno in loco minus, in alio magis acutos; Conſiderat tandem motus hujus ſequelas; Unde manifeſtum evadere putat, dictas qualitates hinc pendere, nec opus eſſe ad malignitatem & ignorantiae latibula confugere, ubicunque inſoliti quippiam adparet in morbis. Conſiderando ergo hoc modo liquorem ſanguineum ejusque conſiſtentiam & vaſa, & motum inteſtinum & progreſſivum & expanſionem & horum omnium habitudinem atque relationem ad ſeſe mutuo: Pollicetur, multo diſtinctiores conceptus inde orituros, conceptus inquam, quorum uſus per univerſam praxin latiſſime ſeſe ſit diffuſurus.

§. CCCXIV.

In ſignorum doctrina, quae, pariter in *Inſtitutionibus* tradi conſuevit, *Auctor* non eſt admodum prolixus, quandoquidem ſigna ſeſe ſenſibus, & id, cujus ſigna ſunt, intellectui offerunt. Vult autem, ſigna convenire cum morborum cauſis & ſymptomatibus, differre tantum conſiderandi modo. Conveniunt, inquit; Quandoquidem oportet, ut neceſſarius ſit nexus inter ſignum & rem ſignatam: Talia autem neceſſaria affinitate cum morbo invicem conjunguntur. Inter reliqua autem ſigna pulſui non poſtremum concedit locum; Quare? Quia motus ſanguinis medico inprimis conſiderandus eſt.

 Uti

Uti vero motus ſanguinis aequalis ad vitae & ſanitatis conſervationem neceſſarius eſt: Ita immutatus morborum cauſa eſt, magnitudinis morbi ſignum, & eventus felicis vel infelicis argumentum exiſtit. Plures pulſuum differentias, quae tactu explorari non poſſunt, enumerare recuſat, cum aliud ſit in muſeo aliquid fingere, aliud per accuratam obſervationem & attentam experientiam addiſcere. Proinde nullas deſcribere cupit pulſuum differentias, quam quae ſenſibus ſunt manifeſtae; Tales autem tres tantum vel quatuor ad ſummum dari exiſtimat, alium nempe, a *robore*, *validum* vel *debilem* vocandum, alium a *magnitudine*, *magnum* vel *parvum*, a citius vel tardius repetitis ictibus, *frequentem* vel *rarum*, aliumq;, ab arteriae conſtitutione *durum* vel *mollem*. Unde praejudiciis eum excoecatum eſſe exiſtimat qui credat, ſeſe pulſum *celerem contradiſtincte* a *frequenti* manifeſte percipere poſſe: Cum de celeri ſanguinis motu ex frequentibus & citiſſime ſeſe excipientibus ictibus judicemus. Verum aliud eſt judicare, aliud ſimpliciter percipere.

§. CCCXV.

Methodum medendi, praecipuam artis partem ita vult proponendam eſſe, ut diſcipuli ex indicantium, coindicantium, prohibentium, correpugnantium & permittentium labyrintho ſeſe explicare poſſint. Id vero facile eſſe putat, ſi eſſentia morborum, ſi differentiae eorundem debita evidentia ob oculos ipſis poſitae fuerint. Notum eſt, inquit *Noſter*, remedium morbo debere eſſe contrarium vel ſubcontrarium: Qui ergo de morbi ingenio non recte judicat, neque poterit is legitimas elicere indicationes. Quomodo autem ille de morbi eſſentia recte judicabit, qui de motu humorum minime, de intemperie ſtabili & quieſcente omnino ſollicitus eſt? Quomodo ille methodi medendi gnarus haberi poterit, qui in ſanguine plethoram, quam putat non poſſe eſſe nimiam, & cacochymiam conſiderat, motum, dilatationem & aeſtum negligit?

§. CCCXVI.

§. CCCXVI.

Denique nec ipſorum medicinae inſtrumentorum obliviſcitur *Noſter*, ſed tria nobis commendat, nempe *diaetam*, *chirurgiam* & *pharmaciam*, ad quam etiam *Chymia* referri poteſt; In quibus quippe omnibus exercitatum eſſe oporteat medicum, ſi officio ſuo digne perfungi cupiat.

§. CCCXVII.

Cum A. 1687. *Sebaſtianus Chriſtianus de Zeidlern*, Med. D. & P. P. primarius in *Academia Carolo-Ferdinandea Pragenſi*, Inſtitutiones medicas ederet, ſpem amplam concipere licuiſſet, in provectiori, qua tum conſtitutus erat Auctor, aetate perfecti & conſummati quippiam ab eo profecturum; At vero ſpes nos fefellit; Nihil enim profecto egit aliud, quam quod veterum crambem jam ſatis coctam ac decoctam denuo recoxerit; Id quod ne absque ſufficientibus rationibus dixiſſe videar, pauca tantum ſpecimina in medium proferam. Illud itaq;, quod Naturam adpellant omnes, cum calido innato veterum abſolute convertit; Hoc enim eſſe, cui inſita ſit vis atque poteſtas, per quam ſumus & operamur. Mixta omnia ex quatuor Peripateticorum elementis conſtare opinatur. Doctrinam antiquorum de qualitatibus occultis, de temperamentis, ex quatuor primarum qualitatum, caliditatis, frigiditatis, humiditatis & ſiccitatis praedominio oriundis, de quatuor ſanguinis humoribus, bile flava & atra, pituita & ſero tanquam excrementis utilibus, de hepate, parte principe & ſanguificationis organo & officina, de liene acidum alliciente aliaque ejus farinae, de quibus ex recentiorum theoria melius informatus eſſe potuiſſet, citra omnem neceſſitatem & utilitatem poſtliminio revocavit. Ut alia taceam.

§. CCCXVIII.

Inſtitutiones ipſae more conſueto in V. libros ſunt diſtributae, in quorum *primo* de etymologia, quidditate & diviſione medicinae, de officio medici, de elementis

eorundemque qualitatibus & inde reſultante vario temperamento, de humoribus, de partibus H. C. de ſpiritibus, facultatibus & actionibus tractatur: Quae res cunctae partim ab aliis millies inculcatae, partim vero ſupervacuae proindeque a theoria medica vera reſcindendae ſunt.

§. CCCXIX.

Cumque duplicem operationis medicae finem ſibi habeat praefixum, nimirum ut non modo ſanitas humani corporis praeſens conſervetur, ſed & amiſſa reſtituatur: Hinc *libro ſecundo* agit de uſu ſex rerum non naturalium, & quidem iterum juxta veterum placita, quia fortaſſis religioni ſibi duxit, ab eorum dogmatibus vel latum unguem recedere. Sic v. g. rationem redditurus, cur ſupinus in dorſo decubitus usque adeo nocivus ſit, hunc in modum ratiocinatur: Quod nimirum tali in ſitu corporis ſanguis in vena cava incaleſcat, unde multi ad cerebrum vapores eleventur, in quo concreti apoplexiae, paralyſis, convulſionum, incubi atque defluxIonum cauſae prodeant. In *tertio* vero *Libro* non modo naturam morborum eorundemque differentias tum eſſentiales tum accidentales, ſed & tempora, cauſas atque ſymptomata evolvit.

§. CCCXX.

In *quarto* per ſigna ſtatum hominis ſani & aegri quemq; neutrum vocat, conjectare, quaeq; indicia aegrotantibus ſalutem vel mortem portendant, edocet: Inde ad criſium dierumq; criticorum, nec non urinarum atque pulſuum conſiderationem progreditur. In *poſtremo* vero libro generalem medendi methodum proponit, oſtenſa varia ratione venaeſectionis aliarumque evacuationum per alvum, urinam, ſudores &c.

§. CCCXXI.

Anno 1710. Lugduni prodiit epitome totius medicinae, inſtitutiones, pyrotechniam, commentarium pharmaceuticum & praxin medicam ſuccincte complectens, cui in

in calce addita eſt *Theodori Zwingeri*, Anatomiae & Botanices Profeſſoris Baſilienſis diſſertatio medica de vitae longaevitate adquirenda. Manifeſtum vero eſt, quod haec epitome ex *Michaëlis Ettmülleri*, Profeſſoris quondam Lipſienſis ſcriptis medicis ſit compilata; *Unde* celebris hujus medici opera in compendium redacta, A. 1701. Londini impreſſa hac inſcriptione lucem publicam adſpexerunt: *Michaelis Ettmülleri, in Academia Lipſienſi quondam Profeſſoris celeberrimi, opera omnia in compendium redacta:* Qui liber ſi cum hoc noſtro comparetur, eundem plane eſſe liquide conſtabit.

§. CCCXXII.

Quod igitur primam iſtius compendii partem, nempe *inſtitutiones*, quae hac vice noſtrae tantum conſiderationi ſubjacent, attinet, in quatuor illas partes digeſtas eſſe videmus, nempe in *Phyſiologiam*, quae de principiis corporum naturalium, de principio corporis humani vitali, nutritione, chylificatione, reſpiratione, ſecretione, ſenſu, motu & partu tractat; Deinde in *pathologiam*, qua natura, cauſae, differentiae & ſigna morborum exponuntur: Tandemque in *hygieinen* ac *therapevſin*, quibus duabus partibus de methodo medendi remediisque pharmaceuticis agitur.

§. CCCXXIII.

Qui ſecundum principia Illuſtr. STAHLII, quae tamen naturae ipſi conformia ſunt, prima artis medicae fundamenta ſtabiliverit, praeter *Georgium Philippum Nenterum*, medicum & practicum *Argentinenſem*, qui & medicinam in eadem Univerſitate docendi facultatem nactus erat, pauci innotuêre. Edidit is A. M. DCCXIV. theoriam tam hominis *ſani* quam *aegroti*; In illa *phyſiologiam*, in hac vero *pathologiam* nempe *medicam*, ita tractandam ſuſcepit, ut, quod in votis potiſſimum cordatiorum quidam habebant, *expunctis* in *phyſiologia minime neceſſariis*, *ſuperfluis ac curioſis*, *quae vera artis medicae fundamenta magis evertere, quam confirmare ſolent, ea tantum, quae ad medicum ejusque ſcopum praecipue ſpe-*

ctant,

ſtant, traduntur, & ex veris naturae, in corpore humano agentis, principiis ſolide demonſtrantur; Praemiſſa in gratiam tyronum *introductio de requiſitis boni medici.* In altera vero theoriae medicae parte, quae *pathologiam* explicat, *remotis* pariter *inutilibus, ea tantum, quae ad praxin vere medicam neceſſaria ſunt, tradere adniſus eſt*, cui ſimiliter praemiſſa eſt *introductio de navis pathologia moderna & activo in morbis.*

§. CCCXXIV.

Eſt autem theoria haec *Nenteriana* eo dignior, quae adcuratius examinetur, quo pauciores ſunt, qui eandem hac methodo exhibuerunt. Candoris & ſinceritatis, quae ex omnibus ferme paginis ſcripti hujus clariſſime elucet, primum ſtatim documentum occurrit in epiſtola dedicatoria ad per-illuſtre *quindecim Virorum Collegium Argentinenſe*, in qua ſincere is ediſſeruit; Se varias quidem medicorum theorias adcurate examinaſſe: Aſt poſt multos labores & ſummum (quod praecipue dolendum) temporis diſpendium, multas earum multa quidem curioſa & maxime ſubtilia, ad praxin vero medicam (ad quam tamen omnia in medicina dirigenda) minime neceſſaria contineri, ſe deprehendiſſe. Quare, ſepoſitis iis, in quibus alii inutiliter occupantur, & de mechanica partium ſtructura & effectibus, per neceſſitatem quandam exinde fluentibus, nihil tamen utilitatis praxi foenerantibus, ſupervacanee ab ipſis diſſeruntur, maluit *noſter* naturam ipſam, quae vera morborum medicatrix & medicorum magiſtra eſt, conſulere, ejusque non ſolum motus ordinarios in ſtatu ſano, ſed & extraordinarios in omnis generis morbis accuratius examinare: Quo ipſo ſcrutinio feliciter ipſi innotuit, theoriam vulgarem non tantum multa ſuperflua & minime neceſſaria, ſed & falſa veramque praxin evertentia continere; Unde tanto magis iſto ſuo in propoſito confirmatus fuit, reformatione quadam eandem indigere.

§. CCCXXV.

Naevi vero, quos in *theoria phyſiologica* deprehendit, hi ſunt: I.) Quod pleraq; phaenomena, in C. H. vivo obvia, materiae potius ejusque variis qualitatibus, quam motui, ad certos fines, praecipue vero ad conſervationem corporis directo, vindicentur. II.) Quod multa ἀλλοτρια in medicinam ex aliis diſciplinis, v. g. phyſica corpuſculari, botanica, chymia, anatome &c. ſint introducta, quae theoriae medicae verae potius obſunt, quam proſunt: Unde haud immerito quaerit noſter: *Cur ſaepius* Anatomici *optimi*, Botanici, *&* Chymici *in praxi ſint infeliciſſimi?* Unde ortum ſit illud tritiſſimum: *Optimos theoreticos peſſimos eſſe practicos? Cur inter theoriam vulgarem & praxin nullus ſit nexus &c.* Contra omni jure contendit idem: Theoriam medicam unice occupatam eſſe debere in inquiſitione vitae ac ſanitatis, quantum nempe ſcopo medico inſervit: Cui tamen conſiderationi variorum quoque motuum in ſtatu p. n. occurrentium, ad conſervationem tamen corporis tendentium, tractatio addi debeat, ut appareat, quomodo etiam in ſtatu p. n. praeſentibus licet cauſis morbificis, nihilominus corpus, ad corruptionem intimam, nempe putredinoſam proniſſimum, in vita conſervetur: Unde hanc vitae definitionem elicit: *Eſſe corporis mixti, ad corruptionem admodum proni, ope motus ſanguinis circulatorii, ut & ſec. & excretionum, in integritate conſervationem.*

§. CCCXXVI.

Elicit hinc evidentiſſimum hoc conſectarium: Quod, quamdiu heterogenea varia ſanguini reliquisque humoribus immixta nec quantitate nec qualitate excedunt, tamdiu quoque omnes motus, nempe tam progreſſivus ſanguinis quam tonicus fibroſarum partium placide & absq; ulla moleſtia procedat, omniaque heterogenea tranquille corpore excernantur: Quamprimum vero ſordes quantitate pariter ac qualitate excedere incipiant, utrumque iſtum vitalem motum augeri neceſſe ſit, ut hoc tandem

modo heterogena, ad excretionem recte diſpoſita atque praeparata per emunctoria convenientia proſcribantur. Etiamſi itaque extraordinarii tales motus non ſine moleſtia contingant, pro praeternaturalibus tamen mereque morboſis propterea haberi nec poſſunt nec debent, ſed potius, reſpectu finis ſalutares, ad excretionem materiae, corpori ſive moleſtae ſive noxiae tendentes, ſunt judicandi. Et ad motus tales extraordinarios, vitae conſervationem unice reſpicientes, merito refert haemorrhagias ſpontaneas, ſudores criticos, coryzam, diarrhoeam criticam &c. Imo quid vetat, quo minus etiam febres ad eandem hanc claſſem referamus? Cum ex his, chinchina intempeſtive ſuppreſſis, eadem imo ſaepe pejora mala ſequantur, quae, teſte experientia, ex praedictis ſalutaribus naturae motibus, perverſa cura cohibitis, conſequuntur.

§. CCCXXVII.

Monſtratis hoc modo *phyſiologiae vulgaris* naevis, & oſtenſis contra veris ejus fundamentis, nunc defectibus *pathologiae* recenſendis in *introductione* eidem praemiſſa ſe pariter adcingit *Nenterus*, cui quippe perſuaſiſſimum eſt, in dicta *pathologia vulgari non pauca inutilia, ad praxin minime neceſſaria, imo vera praxeως fundamenta haud raro evertentia & felicem curationem una cum ipſa medici fama peſſundantia inveniri.*

§. CCCXXVIII.

Id quod ut ſolide probatum eat, ceu inſignem ſtatim defectum notat, quod pathologorum plerique *morbum ceu mere paſſivum quid* praefigurare ſibi videantur: Cum *noſter* potius credat, *in quam plurimis* (ſi non in omnibus) *morbis eſſe aliquid activum, utile & ad conſervationem vitae neceſſarium, quod ideo minime ſupprimi, ſed potius, non obſtantibus ſummis moleſtiis, tolerari, imo* (pro circumſtantiarum ratione) *promoveri debeat.* Id quod antea adlatis exemplis febrium, coryzae, diarrhoeae, haemorrhagiarum ſpontanearum &c. ſat luculenter patet.

§. CCCXXIX.

§. CCCXXIX.

Ad eandem hancce claſſem defectuum, quibus *pathologia* moderna laborat, refert quoque *pathologiam ſalſam*, quam *Tachenius* aliique praecedenti ſeculo in ſcholas medentium non ſine ingenti noxa introduxerunt. Cui pathologiam *obſtructionum* jungit, a quibus non paucos morbos derivarunt alii, etiamſi in C. H- admodum raras eſſe veras obſtructiones, Practicis ſatis conſtet.

§. CCCXXX.

Etiamſi autem ex hiſce omnibus, ceu totidem ſpeciminibus cognoſci facile poſſit, genuinum *Stahlii* filium eſſe *Nenterum*; Sunt tamen, ii praecipue, qui ridicule admodum quosdam inter *genuinos*, quosdam vero (ſi, quod ſentiunt, dicere auderent) ad *ſpurios* vel *nothos* referunt, qui hanc laudem illi diſputant, loca quaedam ex utraq; hac theoria allegantes, ex quibus probare id contendunt. His vero conſulendum eſt, ut ejusdem hujus *Nenteri* fundamenta medicinae theoretica, in forma tabularum conſcripta, attentius perlegant atque perluſtrent: Ita enim, meras eſſe, quas proponit, doctrinas *Stahlianas* ſatis ſuperque convincentur, niſi forte, quae de fluido nervorum Cap. III. p. 80. & 81. *phyſiologiae* diſſerit, ſcrupulum injiciant.

§. CCCXXXI.

Exequitur id modo, *inſtitutionum* ſcriptoribus ſolemni, & hucusque in ſcholis medicorum recepto: Praemiſſis nempe medicinae praecognitis, ad *phyſiologiam* atque *pathologiam* ordine progreditur, quibus deinde *ſemeioticam*, *medendi methodum*, *diaeteticam*, & *therapiam* tam *generalem* quam *ſpecialem* ſubjungit, atque adeo ea omnia praeſtat, quae ſuis in inſtitutionibus alii tractare ac praeſtare conſuevêrunt, quae tamen prolixe hic recenſere ſuperſedeo.

§. CCCXXXII.

Eandem *Stahlii* theoriam mira brevitate parique perſpicuitate

ſpicuitate complexus eſt in *ſpecimine theoriae medicae*, ad uſum practicum adcommodatae *Johannes Simon Bauermüller*, Phil. ac Med. D. ejusdemque in Julia Ducali Würtzburgenſium Univerſitate P. P. militiaeque praeſidiarius. Is, licet auditor *Stahlii*, quantum mihi quidem conſtat, nunquam fuerit, ejus tamen dogmata, tam *phyſiologiam* & *pathologiam*, quam ipſam quoque *therapiam* concernentia, tam exquiſite comprehendit, ut adcuratius compendium videre hactenus non licuerit. Omnia vero ſua *Stahlio* ejusque ſcriptis, quae diurna nocturnaque manu volvit, ſe debere in *Praefatione* ſponte fatetur, ſimulque graviter conqueritur, *theoriam* hucusque *uſitatam, claſſicis* nempe *famoſis ſpeculationibus ſuperſtructam cum praxi adeo male cohaerere, ut potius, ſi quis ad normam illius mederi cupiat, poſſit facile imo debeat neceſſario fore optato & felici ſucceſſu fruſtrari. Speculationibus mechanicorum* (mechaniſmi legibus plerumque minime conformibus,) *utut pulcris & plauſibilibus nunquam plus juſto fidendum; Ad diſcurſum potius eas eſſe, & rationem de rebus docte* (ſaepius tamen futiliter) *reddendam, quam ad praxin, juxta ductum illius, proſpere exercendam; Idque ſe uſu ac repetito auſu ſatis didiciſſe*, ſerio adfirmat. Nullibi vero de ſcriptorum *Stahlianorum*, quod alii frivole praetenderunt, ut Philiatros ab illorum lectione abarceant, & ut ſua tantum admirentur, efficiant, obſcuritate conqueritur; Plana ac perſpicua ei ſunt omnia, ut plerisque aliis.

§. CCCXXXIII.

Si quis vero, ad hancce theoriam melius comprehendendam ac veluti imbibendam. fontem ipſum conſulere malit, tanto minus a vero ſcopo aberrabit. Edidit nempe Celeb. Vir, *Johannes Erneſtus* STAHLIUS theoriam medicam veram, *phyſiologiam* & *pathologiam*, tanquam doctrinae mediciae partes vere contemplativas, e naturae & artis veris fundamentis intaminata ratione & inconcuſſa experientia ſiſtentem. At bis terve legenda eſt haec *Stahlii* theoria, ut in ſuccum tandem ac ſanguinem convertatur. Sic facto ipſo deprehendet, inter praecepta ejus

ejus theoretica & ipſam praxin longe adcuratiorem eſſe nexum & harmoniam, quam in ullo eorum, qui *mechaniſmum* ubique crepant, reperiri liceat.

§. CCCXXXIV.

Inter genuinos ejus diſcipulos referent ſine dubio, qui ab aliquo usque tempore eos ita diſtingvere conſvevêrunt, *Georgium Danielem Coſchwitium*, in Fridericiana Hallenſi olim Profeſſorem medicinae publicum, qui, etiamſi integrum curſum medicum ad principia illuſtris STAHLII meditatus videtaur, morte tamen praeventus, ſolam *phyſiologiam* una cum *hygieine* abſolvit. Titulus plenus hic eſt: *Organiſmus* & *mechaniſmus* in homine vivo obvius & ſtabilitus, ſeu, hominis vivi conſideratio phyſiologica, ex veris naturae principiis eruta, ad *mechaniſmi* & *organiſmi* leges ordine concinno deducta, *methodo plana* ac *demonſtrativa* expoſita, in uſum auditorii ſui praecipue edita, & reliquis medicinae tam theoreticae quam practicae partibus, fundamenti loco, praemiſſa.

§. CCCXXXV.

Nihil vero prolixe hac inſcriptione pollicitus eſt author, quod non reipſa praeſtiterit: In omnibus enim ac ſingulis fidem ſuam pleniſſime liberavit, niſi quod hucusque perſuadere mihi non potuerim, aphoriſmum quendam, ſcholio qualitercunque illuſtratum vere *demonſtrativam* methodum exhibere. Qui vel primis tantum labris mathematicam deguſtarunt methodum, vel prima tantum *Euclidis* elementa evolverunt, illis, quid ad methodum vere *demonſtrativam* requiratur, non poteſt eſſe ignotum.

§. CCCXXXVI.

His interim miſſis, quae rei tractatae dignitati nihil derogant, recte ſuſtinet *noſter*, praecipuum medentis negotium in indaganda vera naturae indole verti debere, ut nempe illius ordinem, leges & quaſi mores perſpectos

 ſpectos

ſpectos ſibi reddat, eaque ratione aptitudinem ſibi comparet, ut miniſterium cum ſucceſſu praeſtare eidem valeat: Id quod in eorum gratiam ſalutariter monet, qui quaſi dominatum quendam in eandem adfectant, legesque ipſi domeſticas, quotidianas & uſitatiſſimas oppugnant violantque, atque adeo loco miniſterii, quod naturae praeſtare deberent, vim eidem potius faciunt eamque maxime turbant. O quam recte ſibi aliisque conſulerent intempeſtivi *corticis peruviani* laudatores, (in quos quippe monitum hocce adpoſite quadrat) ſi & rite illud perpenderent & in praxin quoque deducerent! Sic enim querelis numeroſorum aegrotantium, qui ex incongrua tali febrium curatione diſpendium ſanitatis ſuae ſaepius irreparabile paſſi fuere, ſuperſedere poſſent. Nec ſine ſontica ratione addit noſter: Permultos quidem eſſe, qui, naturae ſe miniſterium praeſtare, adfectant, eam tamen profundiſſime ignorant: Aliâs enim poſſibile vix foret, eos *ignorantiae aſylis* naturam hoc modo deſcriptam adnumerare poſſe.

§. CCCXXXVII.

Qui vero naturae hujus, nempe humanae, verum genium perſpectum ſibi reddere cupit, eum, ſecundum *Auctoris* conſilium, non modo de textura & ſtructura partium variarum C. H. mechanica ſollicitum eſſe oportet, ſed & de variis motibus in eo obviis, eorundemque vero principio ſeu cauſa efficiente meditationem inſtituere debet; Ut ita naturam *hominis vivi* rite ſciat atque intelligat: Unde evidenter fluit, *mechaniſmum* ubique cum *organiſmo* & *hunc* cum *illo* conjungendum eſſe.

§. CCCXXXVIII.

Specialior tractatio duabus comprehenſa eſt *ſectionibus*, quarum *prima* novem, *altera* vero tribus abſolvitur capitibus. In primo ſectionis primae capite agitur de homine & quidem *vivo*, prout duabus eſſentialibus partibus conſtat, corpore nempe, mechanice & artificioſe exſtructo, tanquam

quam principio paſſivo, & anima rationali, tanquam principio activo, corpori organico vitam largiente, omnesq; motus in illo perpetrante, conſtat. In *ſecundo* de ſtructura corporis variarumque ejus partium uſu; in *tertio* de elementis & mixtione corporis, in *quarto* de natura ſeu principio agente in C. H. vivo, in *quinto* de vita, motibus vitalibus eorundemque effectibus, in *ſexto* de nutritione, in *ſeptimo* de generatione, in *octavo* de ſenſatione & in *nono* de temperamentis diſſeritur. Rationem vero, quare hoc potiſſimum, non alio ordine, univerſam *phyſiologiam* ſuſceperit tractandam, in praefatione Author ſatis ſuperque expoſuit.

§. CCCXXXIX.

In *altera ſectione*, quae *hygieinen* ſeu conſervationem ſtatus naturalis H. C. exponit, *primo* iterum *capite* de ſanitate ejusque conſervatione in genere, in *ſecundo* de rebus non naturalibus & in *tertio* denique de *diaeta* breviter quidem, adcurate tamen ac nervoſe agitur.

§. CCCXL.

Atque hic pedem figo, officio meo ſatisfeciſſe ratus, quod *pleroſque*, qui ad notitiam meam pervenerunt, *inſtitutionum* ſcriptores recenſuerim. Quod ſi pollicitus eſſem *omnes*, promiſſum caderet in debitum. At vero promiſi *pleroſque* tantum: Et hanc me fidem plene liberaſſe, fatebuntur ingenui omnes *introductionis* hujus judices; Reliquos, qui theonino tantum dente aliorum labores rodere conſuevêrunt, non curo, paucis, ſed ingenuis placuiſſe contentus.

(O)

INSTITUTIONUM MEDICINAE REFORMATARUM
PARS PRIMA
CAPUT PRIMUM
SISTENS
Praecognita Artis Medicae de ejusdem Auctore, definitione, diviſione, objecto, fine, eandemq; tradendi methodo.

§. I.

Univerſam hanc cramben millies coxerunt ac decoxerunt *Inſtitutionum Medicarum* Scriptores, ut multis reſpectibus taedioſum & ſupervacaneum nobis videatur, eandem nunc recoquere. Cui bono tot evolvere Auctores? Et quidem ob res levioris momenti. Unus omnium inſtar eſſe poteſt; Quem enim in illa morum modernorum perverſitate latere poteſt frivola illa Auctorum ab Auctoribus tranſcriptio?

§. II.

Quae omnia licet vere ſic ſeſe habere exiſtimem, non is tamen ſum, qui ſicco, quod ajunt, pede ea ſingula praetereunda eſſe cenſeam. Tractari poteſt vulgare & in trivio quaſi poſitum argumentum, licet non triviali modo ac methodo. Longe abſint inanes tricae! Removeantur vanae logomachiae! Ad anticyras relegentur otioſa phantaſiae figmenta! Et, quo nihil prius

atque ſanctius eſſe debet medico, illis potiſſimum rebus illuſtrandis animus adplicetur, unde nova intellectui lux adfulgeat, ad pervidendum ea, quae ad ſanitatem corporis humani ſive conſervandam ſive reparandam facere poſſunt.

§. III.

Hoc intuitu primos artis medicae natales vindicamus DEO; Idq; venerabundo animo agnoſcere nos tanto magis quam ullam aliam gentem decebit, quarum nulla unquam tam fera, tam inculta atque barbara fuit, quae primas medicinae origines non ad DEOS retulerit. Cum enim in ſeipſo quisq; experiatur, corpori humano ejusdemq; oeconomiae animali vim quandam ſeu energiam movendi inditam eſſe, qua non modo fluida in *craſi*, & ſolida ac ſolideſcentia in *textura* ac *ſtructura* conſervantur, ſed & à variis imminentibus malis efficaciter praeſervantur, imo & ab actualibus laeſionibus ſponte, h. e. ſine omni *artificiali ſubſidio, auxilio* vel *conſilio* vindicantur, & ad priſtinam ſuam integritatem convenienti modo, ſucceſſu atq; tempore revocantur: Pronum hinc eſt intelligere, corpori humano à DEO inditam eſſe medicinam quandam, quam *ſpontaneam* ſeu *naturalem* adpellare omni jure licet.

§. IV.

Ad hujus vero normam ſeu cynoſuram comparatam eſſe oportet medicinam *artificialem*, quae tamen per ſe omnino inefficax foret, niſi *interna* illa atque *ſpontanea* ſua *energia* actuaret & quaſi animaret *externam*. Hinc conſequitur: 1.) Eum, qui medicinae illius *ſpontaneae*, *naturalis* corporiq; *congenitae* varios agendi *modos* atque *methodos* ignoraverit vel neglexerit, hac ſua *artificiali*

ficiali medendi peritia atque methodo parum vel nihil effecturum. Sequitur 2.) omnes eos, qui medicinam iſtam *internam* vel pravo victu vel rerum non naturalium vario abuſu vel quacunq; vehementi animi exagitatione vel incongruorum medicaminum oblatione non perturbaverint vel in *anomaliam* conjecerint, medicina *externa*, *artificiali* raro indigere.

§. V.

Similiter ſponte hinc fluit: Medicinam, nempe *artificialem*, nihil eſſe aliud, quam *habitum ſcientificum*, principium vitale ſeu energiam movendi, ſuis in modis agendi, perite imitandi, ut oeconomia animalis non ſolum ratione *fluidorum* in legitima *mixtione* ſeu *craſi*, intuitu vero *ſolidorum* & *ſolideſcentium* in *textura* & *ſtructura* conſervetur, ſed & à variis imminentibus damnis & incommodis praeſervetur, imo & ab actualibus laeſionibus variis non minus conſiliis quam auxiliis & medicamentis liberetur, & ad priſtinam incolumitatem convenienti modo, ſucceſſu atque tempore reducatur.

§. VI.

Haec autem definitio uti ipſi rei naturae eſt conformis: Ita cynoſura eſſe poteſt, imo ſano ſenſu eſſe debet, ſecundum quam omnes aliae, quae ab *Inſtitutionum* Scriptoribus in hunc usque diem in medium prolatae, ſunt examinandae. Si ideo *Hoffmanno* omnes aliae aliorum definitiones artis medicae diſplicuerunt, quod *à fine tantummodo deſumptae rem minus exhauriant:* Mihi illa, qua dicitur *rerum ſalubrium & inſalubrium ſcientia*, ideo potiſſimum diſplicet, quia, cum per §. 3. 4. & 5. medicina *artificialis* ad cynoſuram *naturalis* ſive *ſpontaneae* exigi debeat, τὸ *ſalubre* vero & *inſalubre* habeat certam quandum

 relatio-

relationem ad *diſpoſitionem* cujuſcunq; ſubjecti *individualem:* Sequitur, nec *realem* illam eſſe, nec *intimam* artis medicae *naturam* exhaurire. Verum cui bono, inquit *Ammannus*, morari in odioſa & invidiae plena contentione de natura medicinae? Quid juvat, fervidius altercari, an per *artem*, an per *ſcientiam*, an per *prudentiam*, an vero per *habitum* vel quodcunq; aliud *genus* medicina definienda ſit? Nulla enim ex iſtis tricis vel curioſis ſubtilitatibus ſive ad artem felicius factitandam, ſive melius addiſcendam rationalis medentibus ſpes adfulget. Ut ſine piaculo praetermitti poſſint, quae de vero artis *genere* atque *differentia ſpecifica* ad ravim usque diſputare ſolent *Inſtitutionum* Conditores.

§. VII.

Sequitur interim ex *definitione* noſtra: Medicum *artificialem* non eum adpellandum eſſe, *qui recte, quae homini ad vitae ac ſanitatis medelam morborumq; curationem ſalubria ac inſalubria ſunt, judicat:* Sed, qui *Naturam*, ejus *ſynergiam*, variosq; agendi modos tam in ſanitatis conſervatione, quam in *autocratica* morborum *expugnatione* ſervari ſolitos rite non modo obſervat, ſed & prudenter atque circumſpecte imitari ſtudet.

§. VIII.

Caeteroquin nihil repugno illis, qui hucusq; medicinam in *theoreticam* & *practicam* diſtinxerunt, dummodo inter utramq; amica ſit conſpiratio & harmonia. Qui enim ſine juſta theoria, h. e. fida atque conſtanti rerum, ad ſtatum oeconomiae vitalis ſive integrum ſive quocunq; modo labefactatum pertinentium, notitia, *praxin clinicam* adgreditur, is per mortes aliorum experimenta facit, atque adeo vix alio, quam famoſo *empirici* nomine dignus eſt.

§. IX.

§. IX.

Ejusmodi theoria juſta erit omnibusq; numeris abſoluta, ſi ex ipſa praxi & attenta obſervatione eorum, quae in morbis fiunt atque contingunt, ſuos hauſerit natales, ſi nullis alienis tranſumptionibus, phyſicis inprimis atque chymicis, fuerit coinquinata, praeſertim vero, ſi juſtas & indoli morbi convenientes, non longius petitas indicationes curatorias artifici ſubminiſtraverit; Qua de re ſpecialius ſuo loco diſquiremus.

§. X.

Objectum artis medicae verum, quod cum *ſubjecto* non pauci ſcriptorum confundunt, eſt *corpus humanum vivum* ſeu *motibus vitalibus* inſtructum; *Vivum* inquam: Neque enim, ut *Mechanici* ſolent, corpus humanum ſimpliciter tanquam machina vel automa (als eine Taſchen-Uhr oder Bradten-Wender) mere quippe *paſſive* ſeſe habens conſiderandum eſt: Verum potius, ut principio vitali inſtructum, quod autocratica cooperatione ſeu ſynergia *active* tam ad praeſentis ſanitatis conſervationem quam amiſſae reſtitutionem, efficaciter concurrit. Non vero *vivum* modo ſed & *humanum* oportet eſſe corpus, verum artis *objectum*: Unde *Plempium*, aliosq;, qui etiam bruta animantia una cum plantis medicae praxi ſubjacere nugati ſunt, ad mulo-medicos merito relegamus. Cum enim, inquit iterum *Ammannus*, nunc homines vix ſuam curent valetudinem, quomodo illam brutorum atque plantarum curabunt?

§. XI.

De *Fine* artis nihil attinet eſſe prolixum, quem quippe in ſuperius tradita definitione jam ſatis declaravimus: Conſiſtit nempe in eo, ut non modo corpus

humanum in ſtatu ſanitatis praeſenti conſervetur, ſed & periclitans vel amiſſa corporis valetudo in integrum reſtituatur, imo & quaevis nocumenta eidem ingruentia pro virili avertantur vel tempeſtive praeoccupentur.

§. XII.

Diviſio artis medicae à variis varie inſtituitur. Nobis illa probatur, qua in partes *miniſtras* & *principes* ſeu *eſſentiales* diſtingvitur. Ad *illas* nonnulli *phyſicam*, *chymiam* atque *mechanicam* referunt; Quibus nos *Anatomiam*, *hylen iatricen*, *pharmaciam* atque *botanicen* rectius ſubſtituimus. Ad *has* vero pertinent *phyſiologia*, *pathologia*, *ſemeiotica* & *hiſtoria morborum*, *hygieine*, *methodus medendi* atque *therapeutica*.

§. XIII.

Phyſicam, *rationalem* aeq; ac *experimentalem*, ſuos intra cancellos modeſte ſeſe continentem amo, aeſtimo, commendo: *Theoriam* vero *medicam*, quod iterum *Hoffmanno* placet, *nec ſolidam nec fundamentalem absq; tali doctrina phyſica eſſe poſſe*, nego ac pernego. *Illa* enim contenta eſt, ſi *variorum corporum* (non ſpeciatim corporis humani) *vires*, *proprietates atq; effectus variis experimentis mechanicis & chymicis inquiſiverit*, *eorumq; cauſas ex ipſa corporum diſpoſitione*, *ſitu*, *nexu & motus natura ac legibus & mutua eorum inter ſe actione & reactione derivaverit;* Uno verbo, ſi texturam ſolidorum & craſin fluidorum rite indagaverit: Parum interea ſollicita de *formali vitae ratione* illuſtranda, quae tamen ſolidam *theoriam medicam* exhaurit. *Illa* ratiocinatur de motu, ut *in abſtracto: Haec* vero commendat eundem, ut *in concreto*, in variis nempe *actibus vitalibus*, *ſe* & *excretoriis* ſeſe exerentem. *Illa* de natura

nimis generice differit: *Haec* vero indolem *naturae humanae* ejusdemq; varios agendi modos in corpore humano longe ſpecialius explorat. Ut de pravis conſectariis vanarum tranſumptionum phyſicarum in artem medicam hac vice nihil moneam.

§. XIV.

Chymia, non quidem curioſula illa, quae artem transſmutandi, ſi DIIS placet, cultoribus ſuis pollicetur, verum experimentatrice *pharmaceutica*, quae variorum egregiorum medicamentorum penu omni tempore ſubminiſtravit, tyro artis noſtrae carere nequit. Cavendum tantum, ne alienae & forum ſuum tranſcendentes conſiderationes de fermentis variis, hinc inde in viſceribus latitantibus, de fermentatione vel effervescentia, de coagulatione &c. in medicinam transferantur: Quia theoria medica his rebus, quanquam ſua in ſphaera non contemnendis, non tantum nihil juvatur, ſed potius corrumpitur ac pervertitur.

§. XV.

Mechanicam, quae Matheſeos *mixtae* pars eſt, minime omnium contemno, imo potius phaenomenis multis per cauſas ſimplices & evidentes explicandis & connectendis inſervire poſſe, ultro concedo; Dummodo *corpora viventia*, inter quae *humanum* reliquis omnibus longe eminentius eſt, in meras *machinas* ſive *automata* non transformentur, imo potius variorum illorum organorum atque viſcerum ſtructuram mechanicam altiori principio ſubjectam eſſe, atque adeo *mechanico-organicam rationem* ubique obtinere, ſponte agnoſcatur. Adde, etiam principiorum illorum mechanicorum abuſum ubivis ſedulo vitandum eſſe, ne allegoricis tracta-

tionibus

tionibus & evagationibus nimis ſterilibus riſus extorqueatur iis, qui extra pomoeria artis conſtituti ſunt.

§. XVI.

Idem de *Matheſi* in univerſum dicendum eſſe exiſtimo. Si ad *Geometriam* & *numerorum ſcientiam* addiſcendam *Theſſalum*, filium ſuum adhortatus eſt *Divus Cous*, ego non eodem, ſed longe majori jure ad *Mathematicas* diſciplinas imbibendas Philiatros noſtros cohortor; Qui ſi alios inde uſus non hauriant, ſaltem demonſtrationibus & facile percipiendis & proprio deinde marte adornandis, quin & nexibus rerum rite inſtruendis, animos ſuos mature adſueſcent. Idque noſtra in arte tanto magis neceſſarium eſt, quo frequentius principiorum petitiones & *non cauſarum* ut *cauſarum* allegationes in eadem occurrere ſolent. A lectis vero aegrotantium *Algebraicas ſubtilitates* longisſime abeſſe jubemus! Ad veram enim hiſtoriam morbi comparandam plus oculis, auditui, ac tactui, quam *demonſtrationum Algebraicarum* ſubtilitati tribuendum eſt.

§. XVII.

Longe vero eminentior eſt utilitas *Anatomiae*, inprimis *Practicae*, quae quippe totius artis fundamentum omni jure ſalutari meretur. Quod enim navis gubernatori, inquit *Heiſterus*, eſt pyxis nautica & acus magnetica; Id medicis & chirurgis eſt *notitia Anatomica*; Quicquid ignari & malevoli quidam obganniant, atq; in utilisſimae hujus artis opprobrium aliis perſuadere adnitantur. Juvat namque *Phyſiologiam*; Quia ex ſtructura & textura partium eruitur tandem verus earundem uſus atque functio, quam ſecundum naturam oeconomiae

vitali

vitali praeſtant. Promovetur quoque *Pathologia*, inprimis ex ſectione cadaverum occultis morbis denatorum, quorum cauſae in aeternum latuiſſent, niſi *Anatomiae* ope in apricum deductae fuiſſent. Medela quoque adferri poteſt nimiae praecipitantiae in dijudicandis cauſis & fontibus latentium morborum; Cujus rei manifeſtum ſpecimen in morbi *Lichtſcheidiani* veris originibus ac fontibus per Anatomiam detectis nuper attulit *Auctor Actorum Medicorum Berolinenſium*; Eoq; ipſo conjecturas & ſpeculationes, quas alii de raro hoc affectu foverunt, evanidas reddidit. *Chirurgiam* denique quod ſpectat, longe evidentisſimum eſt, nullam operationem absque Anatomiae ope fructuoſe ſuſcipi poſſe, exemplo *herniotomiae*, *lithotomiae*, *reſtitutionis luxatorum*, *fractorum &c.*

§. XVIII.

Materiam medicam ut & *Botanicen* alto ſupercilio contemnere non debet artis medicae tyro. Dedecus foret non facile eluendum, ſi ne quidem *vegetabilium*, *animalium* & *mineralium*, ex quo triplici alias regno pleraque medicamenta parantur, formam externam, tanto vero minus eorundem virtutes cognitas atq; perſpectas haberet. Id tantum ſedulo cavendum eſt, ne ad ſtudium *hyles Jätrices* nimiam credulitatem adferat, neve panegyricis plerarumque ſpecierum laudationibus intempeſtive ſeſe faſcinari patiatur, ſed ad incudem ſolidae experientiae omnia, quae uſibus practicis aliquando adcommodabit, revocet, ſingula probet, & quae ſperatis effectibus ſatis feciſſe deprehenderit, retineat ſuosque in uſus convertat. Minutias pariter *Botanicorum*, quas in foliorum vel florum variis inciſuris &c. quaerunt, cane & angue pejus fugere debet, nulli quip-

pe alii uſui ſervientes, quam ut rerum inutilium farragine memoria oneretur.

§. XIX.

Eſſentialibus medicinae partibus adnumero primum *phyſiologiam*, quae eſt prima *doctrinae theoreticae* pars, exponens indolem ac poteſtatem naturae humanae, ejusdem ſynergiam, modos & ordinem agendi una cum variis ejus intentionibus ſtatumq; vitae atque ſanitatis humanae cum omni functionum atque operationum *ſecundum naturam* ſeſe habentium ſerie. Comprehendit ſub ſeſe *anthropologiam* ſeu ſermonem de homine, qualem v. g. *Craanenius* edidit, eſtque tantum *phyſica* hominis *conſideratio*, ſine manifeſto ad ſanitatem reſpectu, à qua *Phyſiologia medica* multum differt, quae quippe in variis actibus ac motibus vitalibus contemplandis occupata eſt, ad vitae ſanitatisq; conſervationem.

§. XX.

Phyſiologiam excipit *Pathologia*, quae eſt altera *doctrinae theoreticae* pars, qua ſiſtitur humani corporis vivi ſtatus praeter naturam, i. e. varii morbi, eorundemq; cauſae ac differentiae una cum variis ſymptomatibus explicantur.

§. XXI.

Tertiam *medicinae theoreticae* partem conſtituit *Hygieine*, quae modum tradit, convenienti uſu rerum non naturalium, aëris nimirum, eſculentorum ac potulentorum, excretorum ac retentorum, ſomni atque vigiliarum, motus & quietis animiq; pathematum &c. tam ſanitatem praeſentem conſervandi quam amiſſam reſtituendi: Hac enim latitudine extendenda eſt iſta artis pars, ut non modo diaetam *ſanorum* ſed & *regimen* atq;

rationem

rationem vivendi aegrotantium ſub ſeſe comprehendat, atque adeo morbi vis & efficacia tanto facilius atque felicius ſuperetur.

§. XXII.

Semeioticam, quam *Hoffmannus* in cenſu partium medicinae eſſentialium male omittit, aut ſaltem *diſtincte* vel potius ſeorſim ideo tractandam non eſſe cenſet, quod ſymptomata morborum, in pathologicis tradenda, aegritudines & dignoſcendi & dijudicandi ſigna ſimul miniſtrent, eam adpellamus *ſcientiae theoreticae* partem, quae varia ſigna eorundemq; fontes aperit & explicat, ad eruendum tum ſtatum humani corporis naturalem tum praeternaturalem, ad cognoſcendum aeque ac dignoſcendum varios morbos tum *in ſe* tum *inter ſe mutuo*, imo & varios eorundem eventus ſive fauſtos ſive funeſtos praedicendum. Quanquam autem ſperatos in *doctrina ſignorum* progreſſus vix facturus ſit, qui *Phyſiologiae* & *Pathologiae* adminiculis legitime non eſt inſtructus: Non ideo tamen *Pathologiae* pars haberi, ſed ſeorſim, ut reliquae eſſentiales artis partes, tractari mereatur.

§. XXIII.

Quod idem etiam de *medendi methodo*, quam tanquam praxin *generalem* cum *therapevtica ſpeciali* iterum confundunt alii, praedicandum eſt. Denotat autem miniſtram *therapeuticae* partem, qua per certas indicationes inveniuntur auxilia ſeu remedia, ſummis morborum generibus opponenda. Seu, ut principiis ſuperius adlatis convenientius me explicem, methodus medendi *artificialis* nihil aliud eſt, quam perita imitatio illorum modorum atque methodorum, quibus in variis

 morboſis

morboſis adfectibus *autocratice* ſuperandis ipſa Naturà utitur; Et exerit ſeſe, vel materias alienas ſangvini & humoribus intermixtas è congruis viis atque colatoriis juſtis ſucceſſibus ſe & emovendo, vel obſtacula objecta, quae naturam in operando morabantur & felicem morborum ſuperationem fruſtrabantur, è medio tollendo, vel ſynergiam ſeu cooperationem ejusdem prudenter aucupando vel refractariam ipſius reſiſtentiam patienter tandem & iteratis quaſi ictibus ſuperando.

§. XXIV.

Poſtremam eamque principem artis partem, quae etiam finem ejus ultimum propius reſpicit, *Therapeutica* conſtituit, quae eſt ſpecialiſſima practicae Medicinae pars, viam ac modum praemonſtrans, certis individuis, his vel illis ſpecialibus morbis laborantibus, certorum remediornm ſubſidio ita ſuccurrendi, ut tam turbata humorum *craſis* atq; *motus* quam laeſa ſolideſcentium *textura* vel *ſtructura* vindicetur atque in integrum reſtituatur.

§. XXV.

Talem vero artem tanto adparatu inſtructam *methodice* tradi fas eſt. Optavit *Pittcarnius*, eximium quondam *Academiae Lugduno-Batavae* decus, medicos noſtros imitari *Aſtronomos*. Sicut enim hi *obſervationes*, longa temporum locorumque intercapedine disſidentes, motuumque coeleſtium phaenomena conferendo vires illas definiunt, quibus corpora mota ad alia, ſive mota ſive immota contendunt: Ita hos *obſervationes* ſuas, quae jam inſtitutae ſunt & quotidie adhuc inſtituuntur, circa morbos morborumque auxilia conferre, & nulla *opinionum medicarum*, quae ſenſu perceptis certitudine cedunt,

cedunt, ratione habita, ex eo, *quod fieri ſolet* (non, *quid forte fieri posſit*) quid futurum ac faciendum ſit, colligere oportet. Polliceri ego auſim, negotium bonis avibus ſucceſſurum, ſi, cui & otium & facultas eſt, id in ſe oneris quispiam ſuſciperet, ut praeter antiquorum quorundam & nonnullorum Recentiorum *obſervationes*, N. C. *Ephemerides* fundamenti loco ſubſterneret, & ex illis, misſis & ſuo loco relictis *inanibus curioſitatibus*, varias illas à variis inſtitutas *obſervationes* colligeret & inter ſeſe mutuo conferret, eaque ratione periculum faceret, an abſolutum quoddam ſibique perpetuo conſtans artis medicae ſyſtema concinnare inde poſſet. Verum quis vivet, quando pia iſta deſideria adimplebuntur?

§. XXVI.

Caeterum aequitas, ut dictum, poſtulat, artem univerſo generi humano tam utilem tamque neceſſariam, *methodice*, & quantum posſibile, *demonſtrative* tradi. Quem in finem decet eandem non modo claris, evidentibus & diſtinctis, ſed & firmis atque ſolidis fundamentis ſuperſtructam eſſe: Nam qualia ſunt artis cujusdam principia: Talem ipſam quoque artem eſſe oportet.

§. XXVII.

Ut vero talia ſint, requiritur 1.) Ut methodi Geometrico-mathematicae aemula ſint, i. e. poſitis certis quibusdam datis & indubitatis theorematibus, concluſiones concatenata ſerie deduci valeant. Sunt autem data medicorum nihil aliud, quam partim circumſpecta obſervatio eorum, quae in homine ſano & *ſecundum naturam* ſeſe habente fiunt atque contingunt, partim vero ſolers adnotatio phaenomeνων, ſive circumſtantiarum tam *eſſen-*

tialium quam *accidentalium*, quae in ſtatu *praeter naturam* ſeu morboſo corporis humani manifeſtare ſeſe ſolent; Unde tandem *demonſtrationes Geometricis aequipollentes* exurgunt.

§. XXVIII.

Oportet 2.) Medicinam nulli *Philoſophorum* ſectae addictam eſſe, quod juſtiſſimum iterum *Pittcarnii* poſtulatum eſt. Id ſane non ſine ingenti artis damno anteceſſores noſtri experti fuere, qui vel *Ariſtotelem* vel *Galenum* vel *Carteſium* vel quemcunq; alium coeco impetu ſeqvuti, univerſam theoriam dubiam, incertam, *Protheo* mutabiliorem imo plane falſam reddiderunt. Studio namque ſectae factum eſt, quod *Galenus*, dogmatibus *Peripateticorum* corruptus, omnia ex quatuor elementis, totidem humoribus & qualitatibus primis earundemq; gradibus explicare contenderit; Quem poſteris temporibus ſeqvuti ejusdem aſſeclae magno numero eandem crambem recoxerunt. Sive enim formae ſubſtantiales dentur nec ne? Concurrant atomi *helice* an *parabolice*? *Sectiles* ſint vel indiviſibiles? Detur concurſus *alcali* cum *acido* nec ne? Confligat hoſtiliter *bilis* cum *ſucco pancreatico* nec ne? Moveatur aether ſubtilis per rectas an obliquas lineas? Rotentur globuli coeleſtes in orbem an alia ratione? Haec ſane pluraque alia dulcia ſpeculatorum vigilantium ſomnia circulos verae medicinae parum vel nihil turbabunt. Eſto enim, falſa eſſe ea omnia, id tamen aeternae veritatis erit: Sanguinem perpetuo & nunquam interrupto motu circulari in corpore vivo circumferri, quo jugiter ſuccedente & contingentibus ſub illo ordinariis ſe- & excretionibus ipſa quoque vita perennat.

§. XXIX.

§. XXIX.

Juſtum eſt 3.) ut omnia ἀλλότρια, aliena & ad verum artis ſcopum nihil in ſolidum conferentia circumſpecte negligantur & ab ejus ſacris religioſe arceantur. Haec enim artem perplexam, difficilem & praeter neceſſitatem prolixam reddunt, vanis inſuper diſceptatiunculis implicant, inanibusq; conjecturis & falſis opinionibus eandem inquinant.

§. XXX.

Requiritur denique, ipſaq; rei natura id ſponte efflagitat, ut à ſimpliciſſimis & cognitu facillimis rebus ad magis compoſitas, obſcuriores atque difficiliores ſenſim progrediatur artifex, quae quidem methodus hucusq; tam feliciter ceſſit Mathematicis, ut filum hoc *Ariadneum* ſeqvuti veritates abſtruſiſſimas & in *Democriti* quaſi puteo reconditas detexerint & manifeſtaverint.

CAPUT SECUNDUM.

De Nobilitate, Neceſſitate, Certitudine & Efficacia Artis Medicae, Ejusdemq; fulcris ac praecipuis haereſibus.

§. I.

Non credo, piaculum me commiſſurum, ſi, veram conditurus *theoriam*, futuris uſibus medico-practicis recte inſervituram, pleraq; haec rerum capita reſcindam altoque ſilentio praetermittam. Eſto enim, jucundum & quodammodo utile eſſe, noſſe artis, quam profitemur, varia fata ac praecipuas, quae diverſa tempeſtate floruere, ſectas atque haereſes; Nihil tamen

tamen omnis hic, quantumcunq; exquiſitus adparatus litterarius, perficit vel artificem vel artem ipſam. Aliunde haec peti debent, & *legi* tantum, non *diſci*. Quare reſcindenti quasdam harum partium tanquam ſuperfluas aut minus neceſſarias, non poterunt jure mihi ſuccenſere *theoriae medicae* conditores: Quia ἀλλοτρίωσιν iſtam jam dudum ante me agnoverunt *Ammannus* aliique. Ut novitatis adfectatae charactere me notatum iri non facile pertimeſcam.

§. II.

Nobilitatem artis, inquit *Ammannus*, credo, ſed ideo *non ſum Nobilis*. *Difficultatem* novi; ſed propterea faciliorem & breviorem tradi curabo. *Neceſſitatem* toto die experiuntur etiam ii, qui alias Medicos una cum ſua arte aliorum ludibrio exponere non erubeſcunt. Duo tamen ſilentio praetermittenda non ſunt, nempe *certitudo* & vera *artis Medicae* poteſtas; Ex horum enim utroq; praecipuam ſuam dignitatem, robur & ornamentum ſibi praeſtolatur.

§. III.

Qui ergo medicam artem hucusque tanquam incertam ac mere conjecturalem traduxerunt, illi nec dignitatem ejus rite cognoverunt, nec fundamenta, quibus innititur, unquam ſatis perſpecta habuerunt. Quamvis enim *demonſtrationibus Geometricis*, quod nonnulli imperite gloriantur, dogmata ejus ſuffulta eſſe aut controverſiis carere cum *Mathematicis* jactitare nequeat: Confidimus tamen, eam permultis aliis diſciplinis atque ſcientiis, quae vel nudae auctoritati humanae, vel rationi ſpeculationibus & fictionibus nimium indulgenti vel experimentis ſufficientibus deſtitutae

inni-

innituntur, palmam aut praerepturam aut dubiam ſaltem facturam; *Juriſprudentiae* minimum ac *Philoſophiae* certitudine non cedit.

§. IV.

Unde ingentem profecto ſimplicitatem redolet illa quorundam objectio: Ignorare medicos, *quid interius in corpore humano geratur? Cum illius intima introſpicere non poſſint, & actiones omnes, quomodo jugiter fiant atq; ſuccedant, obſervare;* Unde ſequi exiſtimant: *Incertam eſſe atq; conjecturalem totam medicorum ſcientiam.* Quod licet riſu & exploſione dignum ſit, tanto tamen majori diligentia conjecturas tales evitaſſe decebit, quo vulgatius eſt opprobrium; *Medicinam ſolis tantum conjecturis niti, atq; adeo dubiam eſſe atq; incertam.*

§. V.

Vix majorem ſpirat ſapientiam, imo potius manifeſtam prodit impudentiam illa quorundam objectio, qua medicinam imperfectionis & incertitudinis coarguere non verentur, quod in *poteſtate artis* ſitum non ſit, vel omnes vel pleroſque ſaltem morbos curare. Oportet vero tales impudentes argutatores indolem artis ſalutaris minus adcurate perſpectam habere, quia alias ab inſano tali judicio facile abſtinerent. Praeterquam enim, quod ne ipſa quidem *Natura autocratico* ſuo molimine aegritudines omnesſuperare valeat: Id etiam, ſi medici ſingulos morbos curare valerent, eventurum foret, quod pleriq;, Semi DEOS illos eſſe, credituri imo plane poculum ἀθανασιας ab ipſis expetituri forent. Jam vero ſecundum axioma Metaphyſicum; *Nemo dat, quod non habet.*

§. VI.

Ineſt vero, ut hoc primo loco commemorem, ſumma certitudo HISTORIAE MORBORUM, quae inſuper omnis ſolidioris *theoriae medicae* unicum fulcrum eſt & fundamentum: Quatenus per eam nihil aliud denotatur, quam fidelis & adcurata recenſio omnium *circumſtantiarum*, tam *eſſentialium*, quae adfectibus ſemper & perpetuo complicantur, quam *accidentalium*, quae, licet ex illorum indole neceſſario non fluant, interdum tamen iisdem ſociantur, uti eſt v. g. diarrhoea variolis ſuperveniens &c. Praeterea fidelis relatio variorum *progreſſuum* & *ſucceſſuum* in morbis, interdum *ad ſalutem*, interdum vero *ad interitum* aegrotantium tardo vel celeri paſſu tendentium, *accidentium* inſuper *individualium*, *conſuetudinalium*, quaeq; haereditariam diſpoſitionem &c. praeſupponunt.

§. VII.

Sua quoque certitudine non deſtituitur ANATOMIA, non quidem curioſula illa, quaſvis minutias & ſubtilitates ſtudioſius inſectans, cujus generis ſunt vaſorum minimorum ac vix ſenſibilium reptatus & ramificationes inextricabiles per viſcerum parenchymata, fibrillarum, muſculum quendam componentium, numerus, ordo, ſeries, figura & magnitudo, glandularum, *rotundaene* ſint an *ovales* an *pyramidales*, pororumque in glandulis, cribra quaſi aemulantibus, figura & conſtructio ſingularis pro tranſmittendis, colandis ac ſecernendis, non quibuſvis ſed certis tantum humorum particulis, cum illis figura & magnitudine convenientibus ejusque farinae plura; Quae omnia, ut jam in *Hiſtoria Anatomiae* diximus, ſi perita & circumſpecta

chei-

cheiragogia dextre tandem evolvere & in apricum deducere liceret vel omni modo poſſibile foret, vix tamen luculentior inde fructus, quam jucundum oculorum ſpectaculum ſperandum foret: Verum potius ſeria illa, quae hiſtoriam partium & organorum humani corporis exhibet, ſitum viſcerum, connexionem eorum cum aliis partibus, conſtructionem mechanicam officiumq; eorundem & uſum, in ipſa aliquando medicina & inprimis Chirurgia exerendum proſequitur.

§. VIII.

Longe adhuc evidentior eſt certitudo ANATOMIAE ſic dictae PRACTICAE, quae ſectiones cadaverum certis morbis denatorum adornare cordi habet: Hujus enim ope hic deteguntur polypi aliaeque excreſcentiae peregrinae, illic ulcera vel apoſtemata, hic calculi, illic vermes &c. Unde etiam eximium illud opus *Theophili Boneti*, quod *Sepulchretum* vocat, enatum eſt. Optavimus olim, ſimilem Proceres Germaniae libertatem Profeſſoribus Medicinae indulgere, quam *Rex Chriſtianiſſimus*, & *Praepotentes Belgii Foederati Ordines* ſuis liberaliſſime concedunt in ſecandis cadaveribus in noſocomiis publicis defunctorum. Et ecce! Voti noſtri Sereniſſimus ac Potentiſſimus Boruſſiae Rex participes nos reddidit.

§. IX.

Inprimis vero CHIRURGIA, prae omnibus aliis medicinae partibus, tanta radiat certitudinae, ut non citra rationem graviter enunciaverit *Celſus*, dedecus esſe medico, per artem chirurgicam non obtinere id, quod velit. Id quod in chirurgia luxatorum, fracto-

rum, vulnerum &c. usque adeo evidens eſt, ut dubium vix patiatur. Unde idem *Celſus* adſerere non veretur, in aliorum morborum (internorum) curationibus dubitari poſſe, ſecundane valetudo medicinae, an corporis beneficio contigerit? In hac autem parte (chirurgica) evidens eſſe, omnem profectum, ut aliquid ab aliis adjuvetur, hinc plurimum trahere, imo vero in totum pendere.

§. X.

Quid? Quod multa quoque *Phyſiologica*, ex praxi potiſſimum, uti decebat, enata, ejus ſint indolis, ut *demonſtrationibus Geometricis* aequipolleant: Qualia ſunt, quae de *motu tonico vitali* ejusdemque modo *intenſione* modo *remiſſione*, indeq; procedente humorum *motu particulari* ad has potius quam illas partes, de natura temperamentorum &c. in medium producemus.

§. XI.

Abſit tamen, artis noſtrae naevos variosq; defectus, quibus hinc inde laborat, ullo modo occultare aut ſupparo velare vos velle. Plenis potius manibus concedimus, univerſam *theoriam*, quam hucusq; in plerisq; Medicorum ſcholis docuerunt, innumeris laborare vitiis atque lacunis. Quid enim de *Phyſiologia* modernorum dicam, quae nihil propemodum aliud eſt, quam innumerarum opinionum, hypotheſium imo ſubinde fictionum, quarum altera ab altera ſemper alienior eſt, imo ab ipſa practica rerum veritate longius recedit, labyrinthus?

§. XII.

Quin ipſa quoque *Pathologia* plauſtra opinionum

ſeu

ſeu potius figmentorum invexit, circa particularum ſalinarum figuras, quarum aliae acicularum pungentium, aliae enſium ſeu cultellorum ſcindentium inſtar efformatae eſſe eoque intuitu ſuas mechanice virtutes exerere putantur. Quorum tamen omnium vaniloquentia eodem cum occultis veterum qualitatibus cenſu habenda eſt. Nomina tu mihi, quiſquis certas iſtas formas accidentales crepas & in ore continuo habes, nomina mihi, inquam, ſpecificas illas figuras, magnitudinem, ſitum, formam &c.

Et Phyllida ſolus habeto.

Verum de cunctis iſtis *Theoriae medicae* naevis atque defectibus proximo Capite ſeorſim diſpiciam.

§. XIII.

Quoad magnificum atque ſpecioſum modernorum adparatum *Hyles Jätrices* ſeu materiae medicae, largimur iterum, tanto illam hiatu dignam non eſſe; Quia pleraeq; Medicorum pollicitationes de infallibili tot medicamentorum energia, effectibus & eventibus ſperatis non aeque reſpondent, praxi quotidiana id, quod diximus, luculenter ſatis commonſtrante: Unde ſane non leve ignominiae ſtigma medicinae inurunt *Thraſonici* tales *gloriatores*, nil niſi arcana & admirandas ſecretorum remediorum virtutes crepantes, quae tandem, fraude detecta, vel prorſus invalida deprehenduntur, & vel nihil omnino praeſtant, vel indifferentem edunt effectum, praeſentis adfectus indoli plane non convenientem.

§. XIV.

Neque omni ex parte abſoluta eſt doctrina de ſi-

gnis tam *diagnoſticis* quam *prognoſticis*, verum multis adhuc dubiis, fluctuationibus & incertitudinibus expoſita: Adeo ut *Hippocrates*, qui tamen in hac *Semeiotica* medicinae parte inſtar omnium excelluit, & eapropter plerisq; artis filiis admirationi fuit, ingenue fateri non erubeſcat, incertas eſſe praedictiones tam mortis quam ſalutis, in morbis praecipue acutis: Quae tamen malorum omnium lerna non aliunde ſuos derivat natales, quam ex ſupino adcuratioris hiſtoriae morborum neglectu: Unde ad ſigna eorundem *pathognomonica* non rite attendendo vel aliud vel nihil agunt Practici, ſicq; cenſoriae vel adſtantium vel ipſorum quoq; aegrotantium virgulae ſubducere ſeſe nequeunt.

§. XV.

Similiter ingens illud ſcandalum in pudorem & confuſionem medicorum, praxin facientium hic reticendum non eſt, quod duo, tres vel plures Practici ad unum eundemq; aegrotum vocati, mox in opinionum divortia ſcindantur ac de genio morbi diverſiſſima quaeque ſentiant, imo ſubinde malitioſa invidia ita rapiantur in tranſverſum, ut alter alterius famam turpiter proſcindat, ſugillet & quocunque modo publico proſtituat. Quid quaeſo cogitabunt ii, qui ſunt extra pomoeria artis? Proculdubio ſuſpectam habebunt eandem vel ſumma laborare incertitudine aperte profitebuntur. Quamobrem nihil magis artem medicam dehoneſtat & contemtum ejus auget, quam ſcabioſus ille diſſentiendi pruritus, quippe qui vel levitatem animi vel ſcientiae pariter ac experientiae ſolidae defectum nunquam non arguit.

§. XVI.

§. XVI.

Nemo vero prudens à medico facile efflagitabit aut vituperio dignum cenſebit eundem, multo vero minus incertitudinis medicinam ideo poſtulabit, quod *modos* agendi vel *fiendi* ubique determinare non valeat, licet interea certiſſimus ſit de effectu ipſo: Cujus rei exemplum praebere nobis poteſt univerſa illa SPECIFICORUM cohors, quae, qua ratione in humoribus noſtris operentur, ſuumque determinatum exerant effectum, naſcetur adhuc, qui clare & citra contradictionis metum expoſuerit. Interim nullo modo taxamus aut medico rationali indecorum eſſe judicamus, ſi etiam de *modis fiendi phyſicis* ſit ſollicitus, quamvis abſolutae neceſſitatis id non eſſe, abunde convicti ſimus.

§. XVII.

Verum alio adhuc ex capite incertitudinis poſtulatur medicina ab iis, qui poteſtatem ejus tam arctis circumſcribunt limitibus, ut parum vel nihil ei tribuatur: A quibus tamen longiſſime recedunt, qui eidem plus, quam par eſt, vindicant: Ut ſic partim in defefectu, partim in exceſſu hic peccetur. Proinde ut regia hic via incedamus, paucis nunc poſitionibus veram artis ſalutaris poteſtatem declarare conabimur, viſuri, *tum quid poſſit, tum quid non poſſit?*

§. XVIII.

Primum itaque manifeſtum eſt, quod longe maxima ſit artis poteſtas in pleriſq; caſibus Chirurgicis, operationem aliquam manualem poſtulantibus, ubi certe, *Celſo* judice, dedecori ſibi merito ducere debet medicus, per artem ſuam non impetrare id, quod vult; v. g. in reſtituendis oſſibus luxatis, in partibus mollioribus

lioribus elapſis in locum ſuum nativum reponendis, in herniotomia, lithotomia &c. Neque vero tantum efficacia artis exerit ſeſe in parte chirurgiae *organica*, verum etiam *medico-pharmaceutica*, quae quippe in tumorum reſolutione, maturatione & materiae ſuppuratione ex immediata medicamentorum ſeu topicorum, talibus ſcopis deſtinatorum adplicatione &c. valde conſpicua eſt.

§. XIX.

At vero quod medicinam internam ſpectat, pariter extra dubium eſt, in ipſum ſangvinem tam ratione *quantitatis* quam *qualitatis*, aliquam eſſe artis efficaciam. Equidem quod *quantitatem* attinet, nempe *plethoram*, per reſolutionem in ſerum imminuendam, ope remediorum pharmaceuticorum interius exhibendorum, negari quidem non poteſt, dari ejus generis remedia, quae ſangvinem reſolvendo & per ſpiracula cutis deinde expellendo imminuant: Verum non aeq; ſemper tutum id eſſe, frequens docet experientia, quia ſangvis copia abundans ſi exagitetur, commoveatur, inque orgaſmum concitetur, decubitui, reſtagnationi imo plane eruptioni per aliena loca anſam dare poteſt. *Indirecte* vero & *paulo remotius*, partim nempe per abſtinentiam à lautiore diaeta, partim vero per laborioſam vitae rationem, conſuli utique poteſt *artificialiter* nimiae ſangvinis humorumq; quantitati. Aſt cum & hiſce conſiliis difficulter aures praebeant homines, hinc cum illis ipſa etiam poteſtas artis ſaepius recidit in irritum. *Externe* vero, nempe per miſſiones ſangvinis artificiales, longe promptius & efficacius toti negotio, ſangvinem ſcilicet quantitate peccantem imminuendo, conſulitur.

§. XX.

§. XX.

Major eſt difficultas circa *poteſtatem artis* in ipſam materiae *qualitatem* ejusq; *conſtitutionem praeternaturalem* invertendam, corrigendam, uno verbo alterandam. Ubi ingenue confitemur, quod valde parva artis efficacia ſit, ſi de vera & ſimplici, non vero *ſubordinata* alteratione humorum intelligatur: Nam hoc ultimo ſenſu, nempe in *ſubordinatione* ad *futuram excretionem*, aliquam utique artis *energiam* eſſe, nemo prudens negaverit: Quam ob rationem Antiqui tam frequenter ſermonem inſtituunt de *coctione* humorum ſeu *praeparatione* eorundem ad futuram excretionem: Priori vero ſenſu agnoſcimus merito artis noſtrae impotentiam, niſi pauciores caſus excipere placeat, ubi remedia alterantia cum humoribus alterandis immediate concurrere poſſunt, v. g. in edomando abundante acido, auxilio abſorbentium & concentrantium teſtaceorum, vel in reſolvendo muco viſcido per abſtergentia & incidentia ſalina vel in extingvenda vi rodente humorum acrium & corroſivorum in ulceribus antiquis per inſperſionem Pulverulentorum &c. Oportet tamen memori adhuc mente hic tenere, notoriam eſſe anti-ſcorbuticorum & anti-venereorum efficaciam in ſcorbuto & lue venerea &c.

§. XXI.

Longe adhuc luculentior eſt energia artis in negotio excretionum, per quaecunq; demum organa excretoria expediendo per *diaphoreſin*, *diureſin*, *ſudores*, *emeſin*, *catharſin* ſeu purgationem per alvum, nares, glandulas ſalivales &c. Si quae enim corruptelae in corpore enatae ſint, medicorum eſt, illarum proſcriptionem, ſi ſponte naturae non ſuſcipiatur, pertentare & provocare, vel, ſi ſpontaneus Naturae concurſus ad tales excretiones ſuſcipiendas perſpiciatur, convenienti modo promovere, imo plane, ſi impetu excedant, contemperare, conſopire & ad juſtum moderamen revocare.

§. XXII.

Unde jam ſponte conſequitur, in ipſos quoq; motus, ſive à natura jam ſuſcitatos, ſive per artificium medicum demum ſuſcitandos, inſignem artis efficaciam eſſe: Nam ſi

motus ad excretionem tendentes à Natura ſuſcepti langvore peccent, medicus illos incitare&harum plenam perruptionem promovere poteſt. Si impetu & violentia peccent, illos compeſcere & quodammodo in ordinem redigere poteſt, dummodo, quod probe notandum, id fiat ſalutariter: Alioquin enim intempeſtive cohibere velle tales conatus excretorios v. g. in diarrhoea vel vomitu bilioſo, pernicioſum foret, etiamſi arti forte non adeo difficile. Si vero per artem motus , ad evacuationem materiae ſpectantes ſuſcitentur, juſta ſemper proportio obſervanda eſt, ne vel in exceſſu vel in defectu peccetur, neque inconveniente loco neq; intempeſtive adornentur, ſed prout ſalutarem ſcopum obtinere inde ſperat medicus. Qua in re variis artis ejusq; poteſtatis abuſibus locum eſſe poſſe, non ſolum *à priori* facile intelligitur, verum etiam *à poſteriori* innumeris exemplis declarari poteſt, inprimis ſi medicus motus ſpontaneos non rite aeſtimare didicerit, ſed omnes promiſcue pro morbidis & paſſivis habeat, atque adeo artificio medico domandos & conſopiendos eſſe credat.

§. XXIII.

Fronte ſub adverſa longe plures in medicina caſus occurrunt, in quibus ultro fatendum eſt artifici, nihil juris vel poteſtatis eidem eſſe omnibus ſuis, quae callet, artificiis. Atq; ita in omnibus oſſium fracturis coadunandis, in hiatibus vulnerum nova carne implendis, uno verbo, in ſtructura partium ſolidarum & ſolideſcentium reſarcienda, vel plane amiſſorum reſtitutione praeſtanda &c. nihil prorſus juris vel poteſtatis habet medicus. Quicquid enim hic fieri videmus, à ſola Natura in ſolidum proficiſcitur, quicquid etiam de ſarcoticis ſuis medici temere glorientur. Hic enim ars chirurgica nihil aliud praeſtat, quam quod obſtacula removeat, extergendo ſordes, ut huic reſtaurationis carnium negotio eo rectius indulgere *Natura* valeat.

§. XXIV.

Abſtrahimus itaque hic à notoria illa efficacia medicamentorum *cauſticorum* tam *actualium* quam *potentialium*, quorum applicationem ad texturam partium ſolidarum factam

diverſi-

diverſimode illam & ſatis quidem graviter adficere poſſe, ſola haemorrhagiarum utut maximarum, ſuppreſſio artificialis docere poteſt.

§. XXV.

Sicuti autem in ſtructuram corporis ſive formandam ſive deficientem reparandam nihil juris aut facultatis exercet medicina: Ita ſimiliter quoq; in mixtionem ſeu craſin fluidorum *poſitive* nihil eximie valet. Quemadmodum enim in ſtatu ſ. n. haec fluidorum mixtio peragitur ſola Naturae opera: Ita in quacunq; mixtionis hujus turbatione in ſtatu p. n. optandum quidem foret, ut decantata illa *Alexipharmacorum* & *Bezoardicorum* efficacia experientiae reſponderet: Interim ſicuti vinum ſemel vappidum vix unquam aut certe raro ad priſtinam limpiditatem & conſiſtentiam naturalem reducitur: Ita in ſangvine ſemel enormiter turbato mixtionis reſtitutio per artem magis exoptanda quam ſperanda eſt.

§. XXVI.

Quid porro circa vias alimentares, quatenus vel adpetitui vel alimentorum adſumptorum concoctioni vel laudabilis chyloſae portionis ab excrementitia ſecretioni vel utilis alimentaris portionis diſtributioni, indeque ſequenti tandem aſſimilationi ſubſerviunt, juris atque dominii habeat ars medica, ſolertem obſervatorem latere nequit. Valere aliquid artem in adpetitu ciborum dejecto revocando & veluti exacuendo, experientia non ſinit nos dubitare. Unde per conſequens ejusdem aliquam etiam efficaciam eſſe in concoctione ciborum juvanda ac promovenda, eadem ſolers obſervatio teſtatum facit. Taceo, quod etiam aliquis artis concurſus, licet magis *privativus* (reſpectu *prioris*, qui magis *poſitivus* eſt) hic obſervetur, in conſilio medico, ſcil. diſſuadendo illa, à quibus concoctionem laeſam iri, medicus haud difficulter praedicere poteſt. At vero circa ciborum concoctorum diſtributionem per vias alimentares ejusque tandem ſperandam inde aſſimilationem nihil prorſus valere vel efficere poſſe artem medicam, prolixa demonſtratione non indiget.

§. XXVII.

Denique non valde magna aut efficax directa cernitur *efficacia* artis in regimine *rerum non naturalium*; Id quod omnium clariſſime patet in directione pathematum animae. Quicquid enim hic conſulat vel ſuadeat medicus in regimine motuum animae, & quomodocunq; etiam damna inde emergentia exponat hominibus, nemo tamen inventus eſt, qui *primos animae motus* habuerit in poteſtate: Unde multo minus evitare damna & prava Pathematum animae conſectaria poterit.

§. XXVIII.

In aërem atmoſphaericum ambientem, cujus inſpirandi neceſſitas nobis continuo incumbit, licet corrigendo vel alterando nullam aeque notabilem (licet non prorſus nullam) habeat efficaciam ars medica; Poteſt tamen pro praeſenti aegrotantium conditione noxias ejus qualitates, ſi vel frigore nimio vel caliditate exceſſiva vel humiditate nimia infenſus fuerit, ſaltem conſilio ita praeoccupare, ne eminens damnum aegrotantibus inferre valeat.

§. XXIX.

Similem circumſpectionem & quaſi ſelectum circa electionem eſculentorum ac potulentorum praecipere etiam poteſt medicus, ut nempe ab iis, quae moleſtias corpori pariunt, provide abſtineatur & contra in uſum trahantur ea, quae & laudabilem ſuccum praebent & concoctioni facilius obediunt: Verum ſubſiſtunt haec omnia intra ſphaeram conſilii atque ad directam artis efficaciam in hiſce paſſibus probandam nihil eximie conferunt. Interim conſilia haec circa regimen ciborum atque potuum in variis morbis eorumque decurſu alterando multum valere, tam in febribus intermittentibus quam acutis, ſi ullibi, clariſſime perſpiciet medicus.

§. XXX.

Pari modo comparatum eſt cum *poteſtate medici*, quam exercet circa regimen *motus* & *quietis*: Licet enim harum rerum non exigua etiam in alterandis morbis ſit efficacia, plus tamen omni ſua, quam callet, arte efficere nequit medicus

dicus, quam praecipere vel conſilia ſua ſuppeditare, quibus ſi obediant aegri, habet, quod ſibi gratuletur; ſin minus, fecit is, quod potuit.

§. XXXI.

Somnum atque vigilias tam parum in *poteſtate* ſua habet medicus, ut quotidie querelas aegrotantium imo acerbas ſubinde exprobrationes, ſive velit, ſive nolit, audire cogatur, quod hypnotica & opiata, pro placido ſomno procurando exhibita, omni ſperato deſtituantur effectu, imo potius ſomnum magis turbulentum & variis modis interruptum reddiderint.

§. XXXII.

In actiones vero vitales & omnium quidem eminentiſſimam illam, à cujus ſucceſſione reliquae omnes dependent, nempe ſangvinis circularem motum, artem parum vel nihil *poteſtatis* habere, longe evidentiſſimum eſt, niſi quod ſangvinem per medicamenta ſpirituoſa vehementius commovere aut eundem *orgaſtice* concitatum ad placidiorem magisq; compoſitam circuitus rationem reducere, *artis poteſtati* denegandum eſſe non videatur.

§. XXXIII.

Interim in vitam ipſam utiq; ars medica inſigni pollet poteſtate, quatenus nempe partes illae activiores, orgaſticae, ſalino-ſulphureae, quae partim ex proprio ſangvinis penu deſumptae ibidemque genitae, partim vero aliunde, nempe ex cibo, potu, aëre &c. introductae ſunt, diſſolutionem mixtioni minitantes è corpore continuo emoventur, & quidem jugi, placido atque moderato ſucceſſu per varia huic fini deſtinata colatoria & excernicula, habitum nempe poroſum cutis ſub forma halituum, hepar ſub forma bilis, renes ſub forma urinae, tanquam humoris manifeſte ſalino-ſulphurei, imo & ipſam fiſtulam inteſtinalem, communem omnium excrementorum cloacam.

§. XXXIV.

Eadem evidentia diſpaleſcit, quod ars medica nullam directam habeat efficaciam in pulſum cordis, eundem nempe ſolito imbecilliorem ad certam menſuram augendo

vel

vel auctiorem quodammodo imminuendo: Motum tamen tonicum multis reſpectibus alterare in artis efficacia ſitum eſt, non tamen etiam ita promiſcue & quaſi ad lubitum, ſed tantum remotius.

§. XXXV.

Deniq; in generationis actum parum quoque poteſtatis patet arti medicae, quicquid etiam glorientur artis Profeſſores, niſi forte craſſioribus quibusdam vitiis, artificio chirurgico tollendis organa genitalia utriusq; ſexus laborent. Caeterum admodum limitatam & reſtrictam eſſe poteſtatem artis in ſuperanda impotentia virorum vel ſterilitate mulierum, ad invidiam teſtantur integrae familiae Magnatum, qui inviſam ſterilitatem fugaturi medicos undique conquirunt, nec tamen quicquam proficiunt.

§. XXXVI.

Quanquam autem ex hiſce omnibus perſpicere cuilibet integrum ſit, arctis admodum limitibus *veram artis medicae poteſtatem* circumſcriptam eſſe: Inde tamen fruſtra argumenta petunt, qui incertitudinem ejusdem & indolem mere conjecturalem demonſtrare adnituntur. Quomodo enim tota dubia & incerta erit diſciplina, quae duobus firmiſſimis fulcris, RATIONE ſcilicet & EXPERIENTIA ſuffulta eſt? Utriusq; arctiſſimum ac veluti ſororium eſt vinculum, ut altera ſine altera ſubſiſtere nequeat. Ratio experientia deſtituta noctuae inſtar coecutit, & infinitas ſpeculationes, fictiones & non entia excludit, quae, ut nihilominus rationum legitimarum larva occultentur, fides hiſtorica frivole corrumpitur & caſus, adamatis hypotheſibus faventes, effinguntur: Empiria vero ratione non adjuta ejusq; radiis colluſtrata ſimiliter caligat, aptaque & concinna deductione & connexione effectuum per experientiam obſervatorum cauſas explicare nequit. Ut adeo, quod experientia obſervavit, id aeſtimet & ad nexum cauſalem revocet ratio, & quas experientia curioſe conquiſivit morborum circumſtantias, eas ratio comparet & concluſiones ex iisdem eliciat. Unde ſponte conſequitur: Omnem bonam theoriam

medicam ex praxi demum hauriendam eſſe; Neq; implicare, praxin quandoq; ipſam theoriam praecedere.

§. XXXVII.

Oportet itaq; omnem *empiriam medicam* eſſe rationalem, ut nempe ex ſimplici hiſtorica circumſtantiarum obſervatione, quas experientia ſollicite conquiſivit, ſolidas concluſiones ac deductiones formet *ratio*. Ubi facilis admodum atq; praeceps ſeſe offert via ad alterum extremum delabendi, & vel rationi vel experientiae plus, quam par erat, tribuendi. Cujus potiſſimum praecipitantiae reum ſeſe feciſſe videtur *Waldſchmidius*, hyperbolicis laudibus extollendo Rationem, & empiriam alto ſupercilio contemnendo, deque *medicina Mechanica* modernorum praedicando, ejusdem cultores naturam ſangvinis coeterorumq; fluidorum per principia Philoſophica explicare, ipſasque qualitates rerum omnium ad forum medicum pertinentium ingenii Philoſophici robore exhaurire poſſe, ut nihil inacceſſum aut extra intellectus ambitum poſitum amplius videatur. Ac proinde ex eodem fonte graviter reprehendit illos, qui cum Practicis veteribus magis ad experientiam quam ad rationem attendunt, ipſorumq; effectuum per ſenſus adquiſitam cognitionem fundamentum medicinae ſubſternere malunt, quam rectam rationem. Sicque tandem concludit, Medicinam à recto tramite longiſſime deflexiſſe; Quod ultimum utique tam verum eſt, quam quod verisſimum.

§. XXXVIII.

Si igitur, ut modo innuimus, ſola ratio recta, experientia ſuffulta, ſeu, quod eodem recidit, empiria rationalis medica fulcrum ac fundamentum medicinae ſolidum ſit, unica hac veritate id potiſſimum lucrati fuimus, ut innumeras ſpeculationes, quibus circa elementa & principia corporum hactenus operoſe inſudarunt, reſcindere queamus. Noſtra jam parum vel nihil refert, an elementa *Ariſtotelicorum*, vel *Carteſianorum* materia primi, ſecundi ac tertii elementi, vel *Helmontianorum* aqua, vel *Paracelſiſtarum* ſal, ſulphur & mercurius, vel *Williſianorum* ſpiritus, ſal, ſulphur, phlegma & terra ſint vera elementa nec ne? Haec enim omnia extra

ſphae-

ſphaeram artis medicae conſtituta ſunt. Similiter corruunt famoſae multorum aliorum hypotheſes, qui vel acidum & viſcidum, vel humorum triumviratum, bilem ſcil. acidum & viſcidum vel bilem & ſuccum pancreaticum &c. tanquam principia medicinae ſubſternere atque ex illis univerſam tam pathologiam quam therapiam deducere ſategerunt. Hoc, inquam, univerſo adparatu ſuperſedere commode poſſumus, ſola iſta fundamentali veritate admiſſa.

§. XXXIX.

Interim vanus horum principiorum uſus vel potius abuſus graviſſimis Medicorum diſſenſionibus, altercationibus & ſcabioſis contradictionibus occaſionem ſuppeditavit, unde tandem univerſa illa ſectarum ſeu haereſium, quae ab exordio medicinae, ad haec usque tempora caput extulerunt, caterva ſuos natales deduxit, quarum praecipuae fuerunt *Empirica*, *Dogmatica*, *Methodica*, *Epiſynthetica*, *Eclectica*, *Pneumatica*, *Paracelſiſtica*, quam alias etiam *Hermeticam*, *Chymicam* vel *Spagyricam* vocant, *Jätromathematica*, *Sennertiana*, *Helmontiana*, *Tackeniana* & *Dogmatico-Mechanica*, quam ſecundum eminentiam *Rationalem* adpellare hodie non erubeſcunt, quotquot idolo huic ſacra faciunt. Verum hiſce omnibus diu immorari nec placet nec opus eſt, cum in plerisque *Inſtitutioniſtarum*, ſi ita loqui liceat, libris abunde reperiantur, & nuper adhuc *Hoffmannus* in *Medicinae Rationalis Syſtematicae Tomo priore* in *Prolegomenis Capite tertio* de *variis ſectis & opinionibus medicorum*, nec non *Capite quinto* de *incrementis artis medicae promovendis*, uti & *Capite ſexto* de *Medicina eclectica* copioſe hiſce de rebus diſſeruerit, monſtraveritq;, quomodo *cordatus medicus nulli quidem ſectae in totum ſeſe mancipare*, interim tamen *ad ſtabilienda fundamenta* ſolidae, verae & eclecticae medicinae, *theoriam cum praxi*, *veteres cum recentioribus*, & *Galenicos cum Chymicis conjungere* & *poſtea in ordinem & connexionem*, *attenta meditatione*, omnia *digerere* debeat, ut doctrina medica ſcientiae demum opus evadat.

CAPUT

CAPUT TERTIUM.

De *Praecipuis Theoriae Medicae tam* Veterum *quam* Recentiorum *defectibus, deque modo eandem reformandi, uti &* Αλλοτριωσει *in Medicina caute vitanda.*

§. I.

Qui panegyricis declamationibus aures ſuas accommodant, haud difficulter ſibi perſuaderi patientur, perfectionem & incrementa artis medicae hiſce noſtris temporibus (quorum proinde felicitatem nullo oratorio tropo ſatis delineare ſciunt) tanta eſſe, ut majora ſperare vix unquam liceat; Usq; adeo, ut, STAHLIO ſapienter monente, ſuſpicionem non intellectae artis incurrere quis poſſit, qui non de *conſtitutis* & *uſu* jam ſufficienter *approbatis*, ſed de *conſtituendis* demum & ſanciendis *theoriae medicae* fundamentis loqui auderet: Qui enim non ſecundum praeconceptas Doctorum opiniones, ſed ipſam rei veritatem negotium expendunt, hanc ingenuam produnt confeſſionem, artis medicae, utut in ſe certae, ſortem in eo ſaltem dolendam eſſe, quod, (quanquam non ſua, ſed artificum perverſorum culpa) incertis opinionum fluctibus ac veluti procellis hinc inde adhuc jactetur.

§. II.

Quia vero nihilominus *theoria* futurae *praxi* ita praelucere debet, ut altera alteram illuſtret atque confirmet: Hinc eo ſolertius de conſtituenda tali *theoria* cogitandum eſt, quo certius in ipſa praxi clinica ſperatam

olim utilitatem exhibebit. Et licet *theoriae* vocabulo aliqua utiq; ſpeculatio indigitari videatur: Tantum tamen abeſt, ut pure *ſpeculativa* eſſe debeat, ut potius illam ex ipſis rebus earumq; mutua conſpiratione & nexu ortum ſuum trahere debere exiſtimemus. Atque adeo *theoria medica* nihil nobis aliud eſt, quam certa, conſtans & infallibilis cognitio & declaratio eorum, quae in corpore humano vivo, tam ſano quam aegrotante, fiunt & obſervantur, quatenus per ſimplices, manifeſtas & proximas cauſſas inter ſeſe mutuo connecti debent. Unde conſequitur, non *poſſibilibus*, ſed *rebus facti* eandem inniti.

§. III.

Ut adeo certiſſimus & quaſi infallibilis veritatis character ejuſmodi *theoriae* ſit, ſi ingenuas ſubminiſtret *indicationes*, quas *curativas* Practici vocant, ſecundum quas innoteſcit artifici, quid eidem faciendum, quid omittendum incumbat, tam in ſanitatis conſervatione quam amiſſae reſtitutione? Atq; adeo univerſum medico practicum artificium corporis *praeſervatione*, *conſervatione* & *reſtitutione* nititur, pleroſq; tamen illos actus *ſynergia Naturae* efficaciter actuante & effectu ſucceſſuq; ſecundo beante.

§. IV.

Unde miſerrime decipiuntur, qui centones variarum opinionum fluxilium, peſſimeq; cohaerentium hanc laudatam *theoriam* eſſe credunt. De tali enim concedere nihil tergiverſamur, eam futurae praxi nihil prorſus lucis vel commodi adferre. Talem profecto, ſalva ſua profeſſione, negligere poteſt Practicus, ſola *rationali* confiſus *empiria*. At vero ſine vera *theoria medica* artem ſalutarem

rem exerceri nullo modo poſſe, plenis manibus largior.

§. V.

Illud namq; longe evidentiſſimum eſt, varias illas Medicorum opiniones veram, quam hic quaerimus, theoriam medicam conſtituere non poſſe: Quia id ſtatim earundem fluxilitas, inconſtantia, contrarietas aliaque nimis manifeſte commonſtrant. Si quis enim hic objiceret, illud qualecunq; ſententiarum divortium nullum aeque praejudicium in *praxi* cauſſaturum, ſubterfugio uteretur vel excuſatione experientiae nimis contraria: Quia clarum eſt, concluſiones alias eſſe non poſſe, quam ſunt principia. Quis enim v. g. perſuaderi ſibi patietur, fermentationem illam bilis cum ſucco pancreatico in inteſtino duodeno, quam *Sylvius* crepat, nullum genituram praejudicium in praxi?

§. VI.

Interim enatum hinc eſt vulgi illud dicterium; *Optimum theoreticum eſſe peſſimum Practicum*: Quod rite intellectum hunc habere poteſt ſenſum: *Theoriam*, nempe pure *phyſicam*, in medicinam crude invectam, talem nempe, quae in ſola materiarum ſecundum varias ſuas magnitudines, figuras, ſitum, poroſitatem, virtutem elaſticam &c. conſideratione conſiſtit, & contra *proportiones* debitas *motuum ad humores* & vice verſa *humorum ad motus* negligit, artem potius turbare & corrumpere, quam juvare ac promovere: In tali enim theoria horridi ubique hiatus reperiuntur, nihil ſtabile, nihilq; juſta ſerie atque connexione deduci inde poteſt. Si ex talibus principiis rationes reddendae ſint, cur v. g. ſeptimo vel ſemi-ſeptimo die criſes moliatur Natura?

Cur ſingulis menſibus fluxus menſtruus ſolemniter revertatur in foemellis? Cur ante annum bis ſeptimum raro erumpant menſtrua? Cur anno quadrageſimo nono iterum ſolemniter ſubſiſtant? aquam ubiq; haerere non eſt mirandum.

§. VII.

Itaque *theoria* duplex eſt, alia nempe *phyſica*, alia *medica*. *Illa* conſiderat partes humani corporis & quidem *ſolidas* atque *ſolideſcentes* ſecundum partium ſuarum *ſitum*, *connexionem*, *numerum*, *figuram*, *magnitudinem*, *ſtructuram*, *texturam* atque *functionem*; *Fluidas* vero ſecundum variam elementorum, quibus conſtant, *mixtionem* ſeu *craſin*: *Haec* vero expendit ejusdem habitudinem ſeu diſpoſitionem ad varias laeſiones in ſeſe recipiendum motuumq; efficaciam ad reſiſtendum iisdem, &, ſi quod nocumentum admiſſum fuerit, denuo excutiendum.

§. VIII.

Uti vero negotium eſt non usque adeo expeditum, *theoriam phyſicam* a *medica* adcurate diſtinguere, & ſuos debitos utrique limites conſtituere: Ita de *theoria*, inprimis *phyſica*, pronunciamus, quod, etiamſi in ſe contemni vel inſuper haberi non mereatur, uſibus tamen directe medicis non inſerviat; Quia nec in *pathologia* nec in *therapia* ullum inſignem uſum exhibet: Aliter vero comparatum eſt cum *theoria medica*, qua in medicina dogmatica carere nullo modo poſſumus.

§. IX.

Unde recte quidem Excell. *Hoffmannus* veram *theoriam medicam fundamentum atque clavem certae, ſecurae & facilis praxeos* conſtituit, imo veritatis *illius* infallibilem

chara

characterem eſſe credit, *ſi quis ea ad praxin uti poſſit*, atq; adeo altera alteram perficiat, confirmet, illuſtret: Verum fruſtra mea ſententia *ex Anatomica & Phyſica doctrina, quaeq; potiſſimum ex Mechanicis & chymicis experimentis deprompta* ſit, ejusmodi theoriam ſibi praeſtolatur. Ut ut enim *Anatomicam* ſcientiam laudibus ſuis & utilitatibus, quas medicinae pariter ac chirurgiae praeſtat, privare nolim (ceu ſuperius jam innui:) Tantum tamen abeſt, ut credam, *Phyſici ſtudii, ex mechanicis licet atq; chymicis experimentis deprompti, neglectum eſſe* indubitatam *omnium errorum ac diverſiſſimarum adeoq; incertarum opinionum, ſectarum & diſſenſionum tam in theoria quam praxi medica* cauſam: Ut potius perſuaſiſſimum mihi ſit, illam ipſam phyſicam, chymicis atque mechanicis experimentis innixam, variorum errorum in arte noſtra promum condum eſſe largiſſimum. Abſit tamen, me iſta omnia SUA IN SPHAERA contemnere!

§. X.

Caeterum, ut adſertio noſtra, quae multis paradoxa videbitur, tanto facilius fidem inveniat, ſpecimina quaedam talium theoriarum Phyſicarum hic exhibebimus. Talis eſt v. g. *theoria ſalſa*, quae in variarum potentiarum ſalinarum energia, vi & efficacia deſcribenda occupatur, quaeq; varios morbos gignere poſſit, *poſſit*, inquam, non vero aeque ſemper ſoleat. Peſſundant autem & elumbem prorſus reddunt talem *theoriam* morbi aetatum, mira vis adſuetudinum, haereditariae diſpoſitionis, morbi periodici, ſua veluti ſtata tempora obſervantes, mirabilis efficacia animi pathematum, ad revocandum & exacerbandum quosdam morbos, inprimis *ſpaſtici* quippiam involventes &c.

§. XI.

Plura alia talium alienarum & ad artem ſalutarem, ejusq; finem ultimum, morborum nempe curationem, nihil quicquam conferentium theoriarum ſpecimina ubique apud recentiores Scriptores occurrunt; Quorum nonnulli tanta cum fiducia de *obſtructionibus* earumq; *eventu* plane *promiſcuo* loquuntur, ut crederes, ſingulis momentis evenire illas poſſe, cum tamen actualis talium obſtructionum ſucceſſus in *corpore humano vivo* ſit res oppido rara & infrequens, ſaltem proportionate ad cauſſam allegatam.

§. XII.

Pertinet huc theoria SPIRITUUM, quam cum totidem alibi à nobis motae difficultates, in hunc usque diem a nemine ſolide ſolutae, premant, ex foro medico jam dudum proſcripſimus: eos tamen in *benignos* & *malignos* ſeu *ſylveſtres*, mirum, cur non etiam in *glabros* & *hirſutos?* nonnulli diſtingvunt. Hos, à quacunque cauſſa irritatos & in furibundam quaſi excandeſcentiam actos omnia ſusque deque vertere ac proinde motuum convulſivo-epilepticorum auctores eſſe poſſe, eorundem adſertores nobis perſuadere omni modo conantur. Et tolerari ſane haec poſſent, ſi ſolam tantum *theoriam* confunderent: Jam vero fabuloſa haec ſpirituum energia in ipſam plane medendi methodum & praxin ipſam ſeſe diffudit, uti paſſim apud Practicos, inprimis vero in *Sebaſtiani Wurdigii medicina Spirituum* non ſine ſcandalo legere licet.

§. XIII.

Huic ad latus poni meretur theoria FERMENTORUM, quae ingenti licentia a nonnullis Neotericorum

rum hinc inde in viſceribus collocata ſunt, ut, ſi forte in modo *ſecretionum* vel *excretionum* explicando aqua haereret, ad fermenta, vera ignorantiae aſyla, tanto tutius recurri poſſet.

§. XIV.

Quid dicam de theoria FERMENTATIONIS vel EFFERVESCENTIAE, quae paſſim etiam ſanguini vindicatur? Maneat hiſce rebus ſua laus in ſua ſphaera, nempe chymia; Ad medicinam eas transferre velle non modo ſupervacuum eſt, ſed & damnoſum: Quia nulla in corpore ſano *fermentatio*, tanto vero minus *efferveſcentia* proprie dicta locum habet.

§. XV.

Periculoſior eſt theoria VERMINOSA, quam *Kircherus* aliique ſomniarunt: Hos enim credo periculoſius laborare, quam lumbricis vere divexatos: Quia vermes morales, quibus theoriae hujus verminoſae conditores aegrotant, nullo ſantonici ſemine expurgari ſeſe patiuntur. Opto animitus, ut, quae medici quidam Galli de verminoſo hoc ſyſtemate movent, dulcis noſtrae Germaniæ finibus controverſiae perpetuo maneant excluſae!

§. XVI.

Theoria SCORBUTI & CACHEXIAE SCORBUTICAE usque adeo frequens hodie eſt noſtros inter homines, ut, ſi ad aegrotantium interrogata de *ſpecie morbi* prompte reſpondere & ex arena conſilium depromere neſciant, ad hunc inſcitiae portum tuto ſeſe recipere poſſint, ne quid ignoraſſe plebi videantur. Saepius non ſine jucundo animi ſenſu in memoriam mihi revoco hanc veterani cujusdam medici & Practici in terris Clivenſibus theoriam, qui utplurimum, ubi nullum aliud evadendi medium ſuppetebat, hanc

hanc ſuam *cacochymiam ſcorbuticam* eamque tam *ſimplicem* quam *confirmatam* alto ſuſpirio ingeminabat.

§. XVII.

Hujus quoque loci eſt *theoria acidi & alcali*, ex quorum alterutro, praedominium obtinente, omnes morbos ſuam habere originem, nonnulli crediderunt, nimio Chymicae ſuae ſectae amore occoecati. Hinc interim perverſisſima methodus & ratio curandi enata eſt, credentibus *theoriae* iſtius primis ſtatoribus eorundemque aſſeclis, in morbis *ab acido* oriundis juvare *alcalina* & contra. Verum otioſa talis *theoria* nemini forte placebit quam pigro *Sectario*, qui duas obſcuras voculas (*alcali* & *acidum*) ingeminando, vel imperitae plebi glaucoma inducendo vel illius adplauſum ridicule aucupando ad novum hoc ignorantiae aſylum ſatis commode recipere ſeſe poteſt, ut tamen profundis meditationibus caput, quod ajunt, rumpere non ſit neceſſe. Peſſundant vero inanem ejusmodi theoriam non modo morbi *plethorae*, quaeque eidem opponitur, curatio per Venaeſectionem; Ubi quippe nullum *acidum*, nullum *alcali* in cenſum venire poteſt: Sed & curatio imo potius ſuppreſſio febrium intermittentium per chinam chinae aliaque adſtringentia, ubi ne per ſomnium quidem horum figmentorum ulla haberi ſolet ratio. Sed hi ſunt perverſi quorundam noſtrorum hominum mores, qui manifeſtis etiam obſervationibus & hiſtoriis morborum, luce meridiana clarioribus, adamatas ſuas hypotheſes praeferre non erubeſcunt.

§. XVIII.

Ejusdem farinae eſt *Theoria acidi & viſcidi*, obſtructionumque, quas inde naſci, ac deinde univerſales

omnium

omnium morborum cauſſas evadere nonnulli autumarunt; Cui deinde theoriae univerſam *medendi methodum*, quae potiſſimum ad fluiditatem ſangvinis conſervandam vel reducendam contendebat, ſuperſtruxerunt, neglectis non modo, ſed atro plane carbone notatis purgantibus, inprimis vehementioribus, remediis item acidis & Venaeſectione ex foro medico omnino proſcripta, quae quippe plethorae, quam omnino negabant, oppoſita eſſet. Verum *theoriae* hujus, pro explicandis omnium morborum cauſſis, itemque alcali fluidi pro iisdem debellandis inſufficientiam, peculiari ſcripto jam dudum ſolidis rationibus evicit *Hoffmannus*.

§. XIX.

Neque ſane parvus eſt numerus eorum, qui polymorphas particularum ſangvinis ejusdemque pororum figuras infrunita licentia fingunt, atque hinc de *tranſitu* aetheris ſubtiliſſimi, ſeu, *Carteſiano* loquendi more, materiae primi elementi ſive libero ſive praepedito, atque hinc in motum quaſi vertiginoſum acto tam lepide ratiocinantur, ut fabuloſa theoriae hujus indoles primo ſtatim intuitu manifeſtare ſeſe cogatur.

§. XX.

Alii a venaeſectione, tanquam invento Diabolico vehementer abhorrent, metuentes, ne vitae theſaurus, quem in ſangvine quaerunt, exhauriatur. Alii balſamum vitale, aſtrale vel flammulam vitalem cum antiquis adorant &c. Et quis cunctas illas naenias ſpeculatorum modernorum ſine faſtidio vel indignatione tacita recenſere poteſt? Quibus omnibus quippe theoria medica nihil juvatur, imo vero magis temeratur & ſupervacuis oneratur.

§. XXI.

Quid de nobiliſſimo ſimulq; utiliſſimo *Harvaei* invento, circulatione nempe ſangvinis memorem? Quam quidem recentiorum plerique, evidentia rei convicti admittunt, ſed non niſi uniformem ejus diſtributionem, mediante pulſu cordis aeque ac arteriarum productam agnoſcunt, atque hinc *partiales* omnes *ſangvinis motus*, *revulſorios* ac *derivatorios* temere & contra totidem experimentorum Practicorum fidem negant.

§. XXII.

Verum enim vero ut praecipuos defectus, quibus theoria hinc inde laborat, in compendio ſiſtere pergamus, primum enunciamus, quod hodierni Theoretici in eo nonnunquam turpiter ſeſe proſtituant, quod ratiocinentur ante experientiam, i. e. in rationes effectuum inquirant, priusquam de *veritate facti* ſatis certi ſint. Quod etiamſi quodammodo odioſum imo fere incredibile ſit dicere, a vero tamen minime abludit: Nihilo ſecius naturae rerum admodum conſentaneum eſt, τὸ ὅτι praecedere ſemper debere inquiſitionem τȣ̃ διότι.

§. XXIII.

Loquimur de *veritate facti*: Ad veram enim ac ſolidam theoriam ſtatuminandam & *ratio* & *experientia* concurrant neceſſe eſt. *Haec* obſervationes, experimenta & *ſpeciem* ſeu *veritatem facti* ſubminiſtrat: *Illa* vero adplicat & ſcientifice connectit. Sine tali theoria in nudam *empiricen* convertitur praxis medica.

§. XXIV.

Eſt itaque diſtingvendum inter *experimentum* & *experientiam*. *Illud* nihil aliud eſt, quam obſervatio *ſingularis*

circa

circa ſucceſſum medicamenti cujusdam, conſilii vel auxilii particularis, unde nondum plena, firma atq; conſtans certitudo exurgit: *Haec* vero ex plurium talium experimentorum diuturna ac multiplici practica obſervatione collectorum ſerie conſtat: Unde tandem ex *ſingularium experimentorum* collectione *vera univerſalis experientia* enaſcitur, quae nempe univerſam *morbi hiſtoriam*, *ſpeciem facti* una cum omnibus tam *eſſentialibus* quam *accidentalibus circumſtantiis* ipſoque remediorum ſucceſſu ſiſtit.

§. XXV.

Deinde in eo delinquit quoque theoria modernorum, quod fidem hiſtoricam varie temerando circumſtantias alienas, hypotheſibus tamen adſumtis faventes, vituperanda licentia temere effingant, vel, licet etiam interdum *per accidens* morbo adſocientur, pro *eſſentialibus* falſo venditent & plane peregrinis additamentis deturpent, veritate rerum hiſtorica graviſſimum ubique deliquium patiente.

§. XXVI.

Ingens quoque *theoriae vulgaris* offendiculum eſt, quod termini inter *phyſicam* & *medicinam* nullibi juſte conſtituti reperiantur. Omnes quidem pleno ore clamitant: *Medicum ibi incipere, ubi phyſicus deſinit;* Quis veros limites iſtos debite definitos novit, ut nullibi temerariae phyſicarum ſpeculationum in rem medicam tranſumptiones obſerventur? Hinc querelae illae pullulant: *Optimum theoreticum eſſe peſſimum practicum; Theoriam a praxi & hanc ab illa diverſam eſſe; In praxi non tam attendendas eſſe ſpeculationes theoreticas, quam experientiam potius ſequendam;* Et quae ſunt ejus farinae plura.

§. XXVII.

Fructus hujuſce confuſionis eſt, quod in phyſicis talibus curioſitatibus inveſtigandis theoretici moderni omne fere tempus conſumpſerint. Sic v. g. ſcimus quidem omnes, muſculum motus voluntarii inſtrumentum eſſe; Parum tamen noſtra refert, noſſe, an idem in motu conſtitutus quadratum, rhombum, parellelogrammum, rhomboidem, parellelipidum, priſma, conum, cylindrum vel quamcunque aliam figuram mathematicam formet? Ea enim ſingula ſcire neque neceſſarium neque utile eſt, quia patiens nihil quicquam inde lucratur, ſi muſculum vulnerari vel alio quocunque modo p. n. adfici contingat. Hujus interim vitii reum ſeſe fecit *Steno*, qui curioſo quidem, attamen reverſa ſupervacuo labore differentias motuum in muſculis ex principiis *Geometrico-mathematicis* declarare adniſus eſt. Plura alia talium curioſitatum ſpecimina paſſim occurrunt, ut propterea *medicinam medicinae curioſae* parare coëgerit neceſſitas.

§. XXVIII.

Graviſſimum porro *theoriae vulgaris* offendiculum eſt, in quod primo in limine ſtatim impingitur, quod nempe ſpeculatores moderni ferme unice in generaliſſimis materiae adfectionibus & formis ejus accidentalibus ſubſiſtant, de motu vero praeter generalem notionem parum vel nihil memorent: Unde ſolidam rationem comprehendere nunquam poſſunt, quomodo ſangvis ratione ſuae craſeωs totus quidem ad corruptionem putredinoſam propendeat, in actum tamen ipſum rariſſime tranſeat. Quare ad aſtrorum influxum, balſama vitalia aliaque non entia recurrere coacti ſunt: Quibus

Quibus figmentis cunctis opus non eſſet, ſolo agnito motu, tanquam efficaci illo inſtrumento, quo mediantibus tempeſtivis ſecretionibus & emotionibus partium corruptibilium & corruptarum in craſe*ω*s ſuae integritate ſangvis reliquiq; ab eo dimanantes humores perpetuo conſervantur.

§. XXIX.

Iterum vero, licet modernorum nonnulli ultra generaliſſimas illas materiae adfectiones progrederentur, nihil tamen praeter *ſexcenta illa Hippocratis* ſubſtituebant. Inde vero vix melior ſpes adfulgere poterat theoriae reformandae; Quia, etiamſi *Galenicorum* humorum, ſangvinis ſtricte ita dicti, phlegmatis, bilis flavae & atrae quaternio exploderetur, licet etiam accidentalibus *Mechanicorum* modis repudium mitteretur, alias tamen & longe quidem plures, *Hippocratis* auctoritate contra genuinum verborum ſenſum abutentes, potentias varias ſalinas induxerunt; Unde hanc theoriam jam ſuperius SALSAM adpellare placuit. Id quod tamen ita nolim intelligi, quaſi propterea omnem ſalſedinum efficaciam, ſi nempe ſubinde eminenter praedominentur, negem: Sed id ſaltem, niſallor, jure negatur, potentias iſtas ſalinas tam frequenter in tribum cauſſarum morbificarum referri nec poſſe nec debere: Quia alias in notorio iſto variorum corporum ſalinorum abuſu majorem inter homines ſtragem certo certius edere deberent, id quod tamen non fieri, experientia locuples teſtatum facit. Nam ex *Pathologia* iſta *ſalſa* haec *abſurda* & *falſa* neceſſario ſequerentur; Quorum primum eſt: Quod morbi ex hac cauſſa *frequenter* admodum evenire deberent. Alterum eſt: Quod etiam *facillime* & *leviſſimo* quaſi *ne-*

ſi *negotio* contingere deberent; Quod utrumq; tamen experientiae minus reſpondere, ſatis conſtat.

§. XXX.

Inter haec ſcandala & opprobria theoriae vulgaris non minorem quoque locum ſibi vindicat inſufficiens diſcretio motuum vere vitalium, activorum, ad excusſionem materiae morbidae vividam tendentium & pro paſſivis ſimpliciter morbidis vulgo agnitorum: Unde iterum non alia, niſi perverſa curandi methodus enaſci poteſt, ut nempe artifices, loco legitimae promotionis, temerariam talium motuum conſopitionem vel totalem ſuppreſſionem in animum potius admittant. Quid vero mirum, ſi majori deinde violentia adfectus mox repullulent?

§. XXXI.

Neque ſine indignatione tacita audiri poſſunt formulae, quibus in theoria ſua Mechanici perſaepe utuntur: *Concipimus, fieri ita poſſe:* Nam *a poſſe ad eſſe non valet conſequentia.* Ad medicum certe ſcopum parum facit conſideraſſe, *quid fieri forte poſſit?* Idq; adhuc rariſſime, ſed *quid ut plurimum* imo *familiariter* & *perfrequenter fieri ſoleat?* Qua ſane in re ratio ſpeculans parum, ſolida vero rerum experientia & obſervatio ſolers tanto plus ſibi vindicat. Interim haec ipſa res haud raro iterum materiam ſubminiſtrat illis defectibus, quibus in hunc usque diem theoria medica laborat.

§. XXXII.

Pari modo non leve nocumentum *theoriae*, inprimis *pathologicae*, attulit effrenis licentia effingendi innumeras cauſſas morbificas, quae ſi omnes aut ſaltem illarum pleraeq; influendi vel cauſſandi energia pollerent,

rent, miraculo proximum foret, quomodo nihilominus homo, inter turmas totidem cauſſarum morbificarum conſtitutus, ſanitatem ſuam multis ſaepe continuis annis imo tota ſua vita ſartam tectamq; conſervare poſſit; Id quod praebet documentum omni exceptione majus, quam ſteriles illae cauſae, ad producendum effectum morbificum, eſſe debeant.

§. XXXIII.

Ita porro non minora damna in theoriam invexit inanis illa ſpeculatio phyſica de promptiſſima mutabilitate & metaſchematiſmo corporum figurae unius in aliam per ſolum *motum attritorium* & *colliſorium*, a quali tamen prompta immutationum talium habilitate tota Chymiae praxis penitus abhorret. DEUS prohibeat, ne iſta ſpeculatio vera ſit! Quia alias nemo vel unico momento tutus eſſet, ne ἀπο μηχανης talis particularum transſmutatio erumperet & Morbona ſub duriſſimas leges hominem nolentem volentem vocaret.

§. XXXIV.

Interim mendacium illud ſuffulcit aliud non minoris fertilitatis ad gignendum errores, nempe conceptus de *fermentatione*, prompte in humores corporis recipienda & admittenda: Quod tamen figmentum nihil confutat ſolidius, quam ſumma ſangvinis ad putredinem concipiendam proclivitas, quae tamen rariſſime in actum erumpere ſolet. Qui igitur motum tanquam efficax inſtrumentum avertendae talis tranſmutationis & corruptionis conſiderare deberent, illi potius fabrum & architectum polymorpharum talium tranſmutationum eundem confingunt. Tales interim ſpeculationes phyſicae poſtquam ſemel in *Pathologiam* irrepſere, multos no-

tos novos morbos & una cum illis novas quoque in medendo indicationes novamq; therapiam pepererunt, nempe in cerebro ſpeculatorum; Quas tamen in circumſpectiore praxi clinica nullibi obſervant medentes.

§. XXXV.

Neque id oblivioni tradendum eſt, quod *theoria vulgaris* nimis perfunctorie *duplicem* illam corporis humani *conſiderationem* & *ſecundum ſimplicem ſui mixtionem* & *quatenus vivum eſt*, expenderit & ſollicita quidem fuerit explicatum dare, quid ex tali *mixtionis per ſe conſideratae* habilitate *ſequi forte poſſit*: Nunquam vero ad ſeriam penſitationem revocaverit, quod *in ſtatu corporis vivo rariſſime* admodum illa proclivitas *in actum* deduci ſoleat: Quae profecto usque adeo ingens eſt differentia, ut mirandum ſit, quomodo tanta cum oſcitantia & negligentia a medicis hucusq; praetermiſſa, nec ad animum debite revocata fuerit. Quod autem noſtro hac aevo poſteritati condigne fuerit commendata, STAHLIO debemus.

§. XXXVI.

Porro & id pudendum eſt hodiernae *theoriae* ſcandalum, quod innumerarum quaeſtionum controverſarum fervida ventilatione tempus inutiliter perdatur. Medicinam, quae circa ſanitatis corporis humani *conſervationem* vel *reſtitutionem* verſatur, tanto minus decebat controverſiis expoſitam eſſe, quo damnoſiores ſunt effectus, in aegrotos inde reſultantes. Laudo noſtros Mathematicos, qui, quod ego ſciam, praeter controverſiam de *quadratura circuli* in *Matheſi pura* nullas alias habent.

§. XXXVII.

Denique non parum quoque *theoriam medicam* corrumpit modernorum *ἀλλοτρίωσις* ſeu multorum alienorum in eandem translatio, quorum pauca tantum ſpecimina, ut veritas dictorum conſtet, allegare liceat. Hujus generis ſunt: Quod ſemen maſculinum, tepida pauca dilutum & Microſcopiis optimis (forte *Leuwenhoeckianis*) conſpectum innumerabilibus exiguis, oblongis, caudatis, vivis angvillulis, alteri parti humoris ſeminalis innatantibus, ſcateat, & quod animalcula illa contineant rudimenta futuri foetus humani. Quod, ſecundum alios, aër una cum aqua, innumeris virunculis, icunculis, vel homunculis, per ſe quidem inviſibilibus, ſed tamen, quod mirandum, plene jam efformatis, refertus ſit, quorum unus tandem, libere caeteroquin perreptato reliquo corpore, in porulo ovarii muliebris, ſpecialiter ad hancce capturam, per cohabitationem maritalem diſpoſito haereat; Quaſi vero ovarium muliebre muſcipulae inſtar ſeſe haberet, & homunculos iſtos eodem artificio captaret, ſicuti mures in decipula capiuntur; Quod ſpiritus ita dicti animales reliquorum humorum more circuitum per vaſa perpetuum abſolvant; Quod contractio muſcularis dependeat a ſpiritu nitroſo nervi cum oleo ſangvinis permixto, accenſo ac rarefacto, vel a ſpiritu nervorum acido cum alcalinis ſangvinis partibus fermentante; Quod motus ſangvinis circularis dependeat a fermento, in corde haerente, ibidemque fermentationem, ebullitionem vel effervescentiam producente; Quod humorum acrimonia ex repetitis ſangvinis circulationibus oriatur; Quod ea ſangvinis pars, quae rarior eſt, ſubtilior atque mobilior, truncum aörtae ſuperiorem, craſſior vero, faeculentior & immobilior juxta leges *hydraulico-me chanicas* in truncum aörtae inferiorem, pars vero ſincerior arterias intercoſtales ingrediatur &c.

§. XXXVIII.

Proximum meretur locum nauſeabunda illa, toties

coƈta atque recoƈta & ad *metaphyſicam* potius releganda diſquiſitio de *Natura* ſeu *principio agente*, de quo quippe ad faſtidium hucusq; diſceptatum eſt, *an* & *quomodo* & *quatenus* aƈtus tam *vitales* quam *animales* in oeconomia corporis humani a principio iſto agente procedant? Taediosſum, inquam, eſt, eandem cramben toties adponere: Nam ad medicum ſcopum ſufficit ſcire, quod revera tales aƈtus (non tamen ſine Agente) adminiſtrentur imo in corpore humano vivo jugiter adminiſtrari debeant: A quo vero dependeant principio, quae ſit genuina ejusdem indoles, & quonam modo omnes in corpore motus ſuſcitet, dirigat & ita exquiſite proſequatur, ut tandem finibus ſuis adſequendis pares ſint; Id proprie non ad medicum, ſed ad Phyſicum vel anthropologum ſpeƈtat, qui quippe hanc notitiam, tanquam ſua in ſphaera ſatis probatam, tandem ad medicinam transfert. STAHLIUS ipſemet in *Praefatione, Johannis Junckeri Conſpeƈtui Medicinae theoretico-praƈticae* praemiſſa, graviter ea de re his verbis conqueritur: *Totam rem altius* (inquit) *& ab ovo, quod ajunt, exorſurus, antiquiſſimam illam, & in ipſa veritate ſimpliciſſimam ſententiam, pro fundamento ſubſterno, quod vera cauſa efficiens* (*direƈtionum illarum, quas pro pure medico ſcopo, pro efficiente cauſa agnoſcere, ſufficere poterat*) *ſit in homine ipſa anima. Agnoſco, quod hac propoſitione, utpote non tam ad medicam, quam phyſicam anthropologiam ſpeƈtante, plane ſuperſedere potuiſſem. Intempeſtivo vero metu, ne tam motus in abſtraƈto, quam inſuper direƈtio in abſtraƈto* (*ſicut hoc ſenſu revera ſunt*) *pro metaphyſicis gryphis & nudis mentalibus ideis, tanquam aƈtus ſine agente, mihi imputarentur, conſultum duxi, agens ipſum diſerte nominare, & animae has partes deferre, imo aſſerere atq; vindicare. Taedet autem merito atque piget, imo profeƈto pudet altercationum, quae ſuper hoc negotio intentatae & per aliquot jam ſupra viginti annos, vix non ſingulis diebus, recoƈtae appoſitae, laſſata tandem patientia, ad Logicorum atque Metaphyſicorum in ipſis trivialibus ſcholis ſcabella litem hanc rejicere extuderunt &c.*

§. XXXIX.

Eadem propemodum ratione comparatum eſt cum *anthropo-*

anthropologica corporis humani conſideratione, quae, etiamſi merita ſua laude non tantum defraudanda non ſit, ſed & varias ob cauſas neceſſarium, ut tyro artis in eadem ſeſe exerceat: Quo tamen modo uſibus directe medicis ſubſervire queat, tam ad varias corporis laeſiones intelligendum, quam etiam ad cognoſcendum, quomodo illae expugnari & in integrum reſtitui debeant, illud quidem vix adparet. Interim in eo hactenus ſufficienter occupati fuerunt, quotquot *Oeconomiam animalem*, quam ut *Phyſiologiam medicam* communiter conſiderari volunt, ediderunt, quos inter *Craanenium*, celeberrimum quondam artis medicae Profeſſorem Lugduno-Batavum, hac vice connumerare ſufficiat, qui *tractatum de homine* induſtria non vulgari conſcriptum evulgavit. Ut alios ſilentio praeteream.

§. XL.

Non taxamus quidem vel omnino improbamus, *materialem* corporis humani *conſtitutionem* & *proportionem* ejusdem *mechanicam* ſub ſeriam penſitationem vocari; Quin, ut tale ſcrutinium inſtituatur, omni modo utile atque neceſſarium judicamus: Quandoquidem principium agens corporis humani, qualecunque demum illud ſupponatur vel adſumatur, *mechanicae partium & organorum proportioni* eſt alligatum, ut ſine variis iſtis organis varios iſtos actus ſecretorios & excretorios inſtituere nequeat. Id vero, ni fallor, jure reprehenditur, quod in ſola materiae ſecundum *formas* ſeu *modos* ſuos *accidentales* conſideratione ſubſiſtant, neque ad efficaciam motuum eorundemq; varios gradus, proportiones, tempora &c. legitime attendant: Quem neglectum ingentia damna in theoria pariter atque praxi pediſſequa habuiſſe, jam ſuperius a nobis eſt animadverſum.

§. XLI.

Qua ratione ipſa quoque *Anatomia*, quae caeteroquin dextrum medici oculum conſtituit, permultos in abuſus verti queat, ſuperius jam verbulo tactum eſt.

§. XLII.

Neque veremur, ad hancce claſſem alienorum a foro medico arcendorum, doctrinas quasdam *Chymicas* atque *Pharmaceuticas* referre, non quod exiſtimemus, ſcientias iſtas a *Philiatris* addiſcendas non eſſe, ſed ut ſaltem ſubinnuamus, praecavendum eſſe, ne extra oleas evagentur, inferendo nempe ac temere adplicando arti medicae doctrinas illas de *fermentis*, *fermentatione*, activitate variorum ſalium &c. utpote quae omnem ſanam atq; rationalem theoriam medicam potius corruperunt, quam ullo modo juvarunt atque promoverunt, teſte *pathologia ſalſa* variisque *cacochymiarum ſalinarum* ſpeciebus, in quibus hucusq; *theoretici* laborioſam, ſed revera inanem luſerunt operam.

§. XLIII.

Haec vero omnia non propterea a nobis adlata ſunt, quaſi exiſtimaverimus, ſolam theoriam recentiorum hiſce aliisque defectibus laborare; Paris enim, qua hi laborarunt culpae, quoque Antiquiores reos ſeſe fecêre. Sane enim ab hac culpa tanto minus eximere licet theoriam veterum, quanto plus impenderunt laboris, ut dedita veluti opera ineptirent aliisque ridiculi eſſent. Cui enim bono tot fingere facultates? Quid juvat, tot humorum qualitates enumeraſſe? Quid *calidum innatum*, *flammula vitalis* & *humidum radicale* ſeu *primigeneum* aliasque tales naenias toties occinere prodeſt? Et quid ſibi volunt temperamenta, ſingulis partibus *ſolideſcentibus* vindicata, quorum tamen capaces non ſunt, quippe omnes ex ſe & ſua natura frigidae: Quae omnia pluribus jam proſequi neque vacat neque opus eſt.

§. XLIV.

Verum dici vel cogitari poſſet, *aliud eſſe*, *errores aliis commonſtrare, aliud monſtratos prudenter evitare*; Nihil repugno haec talia objicientibus: At vero nunc potiſſimum ediſſero, *veram theoriam medicam* ante omnia niti debere *veritate facti*, ſeu veris rerum circumſtantiis, quibus poſitis & vere

talem

talem conſtitutionem habentibus perquiri deinde poſſunt rationes, in quarum perveſtigatione ſi debitus ſemper ordo ſervetur, a *remotioribus* & *procatarcticis*, quae & ſenſui ſunt clariores & morbo quoque occaſionem dederunt, auſpicando, & ad *propiores* atque *proximas*, ſenſibus quippe magis ſubductas, progrediendo, nullum profecto dubium eſt, quin vagis atque ſterilibus opinionibus poſthabitis, ſolida tandem *theoria* obtineri queat.

§. XLV.

Unde minime omnium damnamus aut ſimpliciter rejicimus omnem Phyſico-mechanicam contemplationem circa *το διοτι* inſtitutam, imo potius, dummodo ſteriles & ad rem nihil facientes conceptus negligantur nulloq; numero habeantur, eandem ſummopere commendamus; Cavendo ſaltem, ne ſpeculando cauſſas remotiores vel remotiſſimas, interea debitam attentionem ſubterfugiant circumſtantiae valde neceſſariae, propiori, ad corpori male adfecto conſulendum, influxu pollentes.

§. XLVI.

Vertitur autem *vera theoria medica* in hiſce primariis rerum momentis, ut non tantum artifex medicus ex certis ſignis diagnoſticis, quorum nonnulla recte pathognomonica audiunt, indolem praeſentis morbi colligat eumque ab aliis perite diſtingvat, ſed & inſuper inquirat, quale ſit patientis temperamentum? In qua aetate idem ſit conſtitutus? Cujus ſit ſexus? An morbus, quo laborat, certae temporis periodo adſtrictus? An vero vagis temporum intervallis adoriatur? An ſit morbus originarius? Vel alios praecedentes fuerit ſeqvutus? An, ſi alium ſeqvutus, cito id vel tarde factum ſit? Quae ſit ratio conſuetudinis, ſenſibilitatis, haereditariae diſpoſitionis, patheticarum commotionum? Ut inſuper praecipuam ſuam operam collocet in adnotandis veris morborum circumſtantiis obſervandisq; eorum incunabulis, progreſſu, mutua dependentia, meta-

ſchematiſmo &c. omni modo neceſſarium eſt. Imo & eidem ſcire convenit, quis ſit verus actuum vitalium genius ſecundum naturam, quomodo ſuis in ſucceſſibus varie praeter naturam praepediri ſubinde poſſint ac ſoleant? Quid in quolibet morbo *activum* & quid e contra *paſſivum* judicare oporteat? Talium enim maxime circumſtantiarum intellectum genuinum (quod proprie theoriam vocamus) habere convenit Practico, ſi in fundamentali morborum expugnatione ſolidi quippiam praeſtare cupiat.

§. XLVII.

Primum vero ac princeps totius *theoriae medicae* fundamentum eſt, agnoſcere realem illam diverſitatem corporis, quatenus *ſimpliciter mixtum* & quatenus *vivum* eſt: Huic enim innituntur non pauca paradoxa medica, qualia ſunt: *Omnem hominem perſonaliter conſideratum raro tota in vita ſua aegrotare; Eundem inſuper paucis, numero ac ſpecie differentibus morbis conflictari &c.* Imo eidem etiam non paucae cauſales declarationes tam *pathologicae* quam *therapeuticae* innituntur. Inde enim oſtendi clare poteſt, in quantum actus vitales a naturali ſua proportione ſingulis in morbis receſſerint & ad quem proinde ſtatum revocandi ſint, ſi priſtinae ſuae integritati corpus artificio medico reſtitui debeat? Imo & exinde patet, quomodo Natura ſibi ipſi ſufficiat & proprio robore polleat, etiam ſine externo artificiali ſubſidio per ſolam motuum vitalium proportionatam adminiſtrationem morbos ſuperandi & ad priſtinam incolumitatem corpus revocandi.

§. XLVIII.

Atque adeo ſi non praecipuus, ſaltem non poſtremus labor in theoria medica is eſſe debet, ut *motuum vitalium* tam *ordinariorum* quam *extraordinariorum veritatem, indolem* atque *poteſtatem* cognitam atque perſpectam ſibi reddat medicus: Quia ſine vegeto horum motuum *concurſu* imo potius *cooperatione* nihil ille omni ſua artificiali medicatione efficiet, imo nec alia ratione Natura ipſa morbos & poteſt & ſolet

& ſolet expugnare. Accendit inſuper haec notitia eximiam plane lucem ipſi *therapiae*, ne motus tales ſive *ordinarii* & *naturales* ſive quodammodo *extraordinarii* ſtatim ut morbidi habeantur, proindeque ſedulo cavendum, ne Practicus artis ſeduci ſeſe patiatur, &, quos promovere merito debebat, erroneo conatu ſupprimat vel directe oppugnet.

CAPUT QUARTUM.

De *Vero Demonſtrandi Principio in Medicina, & praeliminariter de* Mechaniſmo & Organiſmo, *nec non utriusque diverſitate.*

§. I.

Nihil eſt, quod arrogantes artis noſtrae contemtores pudore magis ſuffundere poteſt, quam demonſtratio firma ac ſolida certi & infallibilis principii, cui inaedificatur. Id tantum dolendum eſt, quod, cum in demonſtrando hoc principio artifices diverſas iterum vias elegerint, & plerique ſolum *mechaniſmum* humani corporis ſufficere crediderint, STAHLIUS vero quiq; veſtigiis ejus preſſo pede inſiſtunt, *mechaniſmum* cum *organiſmo* conjunctum voluerint, nova quaſi occaſio calumniatoribus ſubminiſtrata fuerit, optimae artis certitudinem eo ex capite infringendi & inter reliquas artes ac ſcientias vix eminentiorem ei locum concedendi, quam quem aliis *conjecturalibus ſcientiis* permittere conſveverunt.

§. II.

Cum vero nihilominus hac in re cardo totius negotii vertatur, altiorem penſitationem jure ſibi vindicat. Qui *mechanices*, *mechaniſmi*, *principiorum mechanico-hydraulicorum*, *virium*, *poteſtatum* vel *potentiarum mechanicarum* vocabula in ore continuo habent, illi corpus humanum, non ut inſtrumen-

tum

tum animae, ſicuti decebat, ſed tanquam machinam naturalem ſeu mirificam variarum partium compagem, *αὐτομάτως* mobilem (virtute nempe motus, ipſi ab artifice initio impreſſi) illud conſiderant, quodque in ſola partium, tanquam elateriorum, filamentorum, funiculorum, catenularum, trabium, vectium, rotularum, ciſternarum, antliarum, canalium, cataractarum, valvularum, cribrorum & aliorum inſtrumentorum, ex quibus machina corporis velut organum ex mille compoſitum organis contexitur & adornatur, apta & convenienti diſpoſitione poſita ſit, a qua deinde diſpoſitione partium actiones, quaſcunq; in corpore obſervamus & admirari vulgo ſolemus, per neceſſitatem quandam naturalem omnes peragantur, non aliter atque ab artificioſa partium horologii vel automati alius conſtructione omnia ejus effecta proficiſcuntur. Atque hoc modo de corpore humano loquitur Clar. *Bergerus*, *Profeſſor Medicinae Wittenbergenſis* meritiſſimus, *in Tractatu de natura humana libro primo capite primo;* Ac proinde, ut uno nos verbo expediamus, corpus humanum, ſecundum ejus ſententiam, nihil eſt aliud, quam machina.

§. III.

Ab hac *Bergeriana* explicandi ratione vix latum ungvem recedit ſententia Clar. *Boerhaavii*, pariter *Profeſſoris artis medicae famigeratiſſimi in Academia Lugduno-Batava*, quanquam aliis forte utatur verbis. Exiſtimat is, corpus humanum ex *firmis* & *fluidis* conflatum eſſe; *Firma* eſſe aut vaſa, humores coërcentia, aut inſtrumenta ſic facta, figurata & connexa, ut ex ſingulari hac fabrica determinati quidam motus exerceri queant, ſi tamen, quod bene notandum, CAUSA MOVENS accedat. Deprehendi enim ibidem, adſerit idem, fulcimenta, columnas, trabes, propugnacula, hypomochlia, cuneos, vectes, trochleas determinantes, funes, praela, folles, cribra, filtra, canales, receptacula. Ipſe ulterius auctor eſt, facultatem hos motus exercendi *functionem* dici, eamq; lege *mechanica* fieri, & per eam TANTUM explicari poſſe; *Fluidas* e contra partes intra *firmas contineri*, moveri, in motu determi-

determinari, miſceri, ſeparari, mutari, vaſa cum nexis inſtrumentis moveri, horum parietes atterere, mutare, reſtituere; Et has omnes actiones fieri iterum juxta leges *hygroſtaticas*, *hydraulicas* & *mechanicas*, ideoque & juxta has ULTIMO exponi debere: Quae omnia eodem recidunt, ut inde tandem conficiatur: Corpus humanum *meram* eſſe *machinam*, & omnes ejus actus modo pure *mechanico* fieri atque ſuccedere.

§. IV.

Eadem methodo ſuis in ſcriptis ratiocinatur *Hoffmannus, Profeſſor itidem medicinae in Fridericiana Regia longe celeberrimus.* Hic enim, uti univerſam naturam; Sic quoque Medicinam, non ESSE, ſed DEBERE ESSE (abſoluta quaſi neceſſitate) mechanicam, contendit: Speciatim vero corpus humanum vult eſſe inſtar machinae ſeu automatis; Quod variis organis, ratione figurae & magnitudinis, certo ordine ac ſitu diſpoſitis ac conſtructis gauderet, quae tamen moveri & animari a partibus fluidis corporis noſtri deberent. Quo in ſyſtemate nulla alia adparet diſparitas, niſi quod praelaudatus *Hoffmannus*, reliquorum *Mechanicorum* more, corpus humanum diſerte *machinam* ſeu *automa* adpellare non audeat, ſed tantum inſtar *machinae*, ſeu inſtar *automatis* ſe ſe habere exiſtimet. Deinde vero, quod omnem illam, licet ordinatiſſimam organorum variorum diſpoſitionem ad actionem edendam nullo modo ſufficere credat, niſi organa illa varia prius moveantur & animentur a partibus corporis fluidis, ſangvine nempe & ſpiritibus animalibus; quos tamen, quaſi denominationi uſitatae diffideret, in novioribus ſuis ſcriptis, *fluidi* ſeu *liquidi nervei tenuiſſimi* nomine nunc ſalutare mavult.

§. V.

Plures hujus ſectae mechanicae ſtatores atque propugnatores, qui omnes corpus humanum in *meram machinam* ſeu *automa* converterunt, nunc allegare non eſt opus, potiſſimum cum laborem iſtum jam anticipaverit *Hoffmannus*

 &pro-

& prolixam eorum ſeriem exhibuerit, qui hanc *mechanice* medicinam tractandi methodum magno non minus applauſu, quam artis incremento amplexi ſint. Quod uti lubens ſuo loco relinquo, & nulli uni ſua merita diſputo vel dubia reddo: Ita tamen concoquere vix potui, quod optimum ſenem, *Hippocratem*, nihil profecto minus, quam mechanicas tales curioſitates meditantem, invitum in partes *Mechanicorum* pertrahere ſit conatus, qui quippe, judice *Hoffmanno*, primus omnium mechanicis rationibus in difficilioribus explicandis uſus dicitur, dum nimirum ex juſta menſura, proportione, temperie motuumq; aequilibrio ſanitatis naturam & ex iis deſtructis morborum rationes apte deduxerit. Unde etiam definitionem artis, quam puram putam *mechanicam* eſſe credit, obtorto iterum collo eidem obtrudere non dubitat; Quaſi *arithmeticus* & conſequenter *mathematico-mechanicus* ſtatim eſſet, cui duo forte termini *Arithmeticorum* technici, *ſubtractionis* & *additionis* excidiſſent.

§. VI.

Cum igitur πρωτον ψευδος in eo verſetur, Corpus humanum eſſe *meram machinam, merum automa*, vel ſaltem *inſtar machinae, inſtar automatis* ſeſe habere; Atque adeo meri tantum *mechaniſmi* crepentur, de *organiſmo* vero parum vel nihil in animum admittatur: Conſultius nihil fieri poſſe credidi, quam ut, priusquam ad principium demonſtrandi accedam, circumſpecte examinarem, quid proprie ſit *mechanicum*, quidve *organicum*? Quid *mechaniſmus* quidve *organiſmus*? Et quae inter utrumque intercedat differentia?

§. VII.

Mechanicam Sturmius adpellat eam *Matheſeos mixtae* ſeu *impurae* partem, quae machinarum quarundam motricium, juxta principia ſtatica parandarum, uſum practicum, in aeſtimandis gravium ponderibus, ſuperanda varia eorum reſiſtentia, loco movendis molibus &c. docet, ſique aquis movendis ſpecialiter occupata fuerit, *hydrotechnicam* ſeu *hydraulicam* vocat. Atque hoc proinde ſenſu *τo mechanicum* in corpore

pore humano nihil foret aliud, quam ſucceſſus variorum effectuum proportionatus ſecundum pondus, menſuram atque numerum. Verum in ſcriptis *Mechanicorum* nihil fere aliud *τo mechanicum* denotat, quam illud, quod viribus, potentiis atque proprietatibus *mechanicis* inſtructum eſt, i. e. quod certa partium magnitudine, figura, ſitu, mobilitate ſeu habilitate ad motum, niſu motorio vel ſubinde etiam certo actuali motu vel oppoſita quiete inſtructum eſt; Et haec omnia quidem ſine certa quadam deſtinatione, ſine ac ſcopo. *Carteſianis* hae proprietates ſeu attributa corporum *formae* ſeu *modi accidentales* audiunt.

§. VIII.

Fronte ſub adverſa *τo organicum* in corpore animali indigitat inſtrumentalem ejus rationem, qua corpus humanum, tanquam verum animae rationalis organon, ejus directioni ab gubernationi ita ſubeſt, ut finis optatus, ejus nempe conſervatio, praeſervatio & liberatio a variis periculis imminentibus ſive incommodis & malis, jam actu alicubi illatis, efficaciter vindicetur, atque adeo hi juſti fines atque ſcopi ubiq; legitime obtineantur.

§. IX.

Unde ſponte conſequitur, ad *mechaniſmum* ejusdemq; formalem rationem ſufficere praeſentiam non qualiscunq; ſed certae magnitudinis, figurae, ſitus atque motus vel actualis vel cujusvis mobilitatis aliorumq; talium *modorum*: Quodcunq; enim corpus hiſce *formis accidentalibus* inſtructum eſt, illud *mechanice* diſpoſitum eſſe dicitur: Ad *organiſmum* vero praeter *mechanicam* diſpoſitionem requirirur inſuper certa quaedam deſtinatio ad ſpecialem effectum, ad certum atque ſpecialem finem. Ita in qualibet machina affabre elaborata v. g. horologio, multae *mechanicae* proprietates occurrunt, uti ſunt certa partium magnitudo, figura, rotularumq; certa inter ſe mutuo connexio &c. Deſtinatio vero ad certum atque ſpecialem finem & uſum, ut nimirum horologium iſtud ſtatis temporibus horas exquiſite

 indicet

indicet, ſubinde vero in artificioſioribus motum ſolis, lunae aliorumq; planetarum oſtendat, organicam ejus rationem demonſtrat. Sine tali enim perita directione eſt manetq; nuda tantum *machina*, neque rationem vere *organicam* unquam ſubibit, i. e. cum veris horis juxta certi loci meridianum nunquam conſpirabit.

§. X.

Quae omnia ſi prudenter atque circumſpecte corpori humano adplicentur, tam *mechanica* quam *organica* ejus ratio luculenter ſtatim adparebit. *Mechanicum* eſt omni intuitu in organis ſenſuum externorum, quod certa partium ſuarum textura, ſtructura, configuratione & connexione tam inter ſe mutuo, quam cum aliis partibus gaudeant; Verum niſi *inſtrumentalem* ſeu *organicam* ſimul rationem haberent parvae iſtae ſenſuum machinulae, ad ipſam animam certa ratione adficiendam, nihil omnium objectorum, ſenſibus iſtis oblatorum eidem innoteſceret: Unde in nullo corporeorum organorum proprie fit *ſenſus* ſeu ſenſatio, ſed in ipſa tantum anima: Id quod vel inde patere poteſt, quia, ſi anima ad quasdam objectorum in organa ſenſuum impresſiones non attendat, nulla etiam fit ipſarum perceptio, exemplo eorum, qui ſtrepitibus molendinarum adſueti, ſecure in utramvis aurem dormire poſſunt: Ubi e contra, anima rite attendente, ſenſus longe acutior eſt & exquiſitior.

§. XI.

Verum enim vero eſt adhuc nexus hujus *organici*, qui inter corpus humanum & animam rationalem intercedit, altior longeq; eminentior uſus, qui per intimiora artis medicae penetralia ſeſe diffundit. Neque enim ſine hoc organico nexu rite agnito vera formalis conſervationis vitalis ratio intelligi unquam poteſt: Tanto vero minus absque eodem digne aeſtimare licet actus vitales, paſſim in conſtitutione corporis morboſa ſeu praeternaturali contingentes, qui certe deſtinati non ſunt ad quodcunq; damnum corpori inferendum vel plane deſtructionem ejus promovendam, verum potius ad totius oeconomiae vitalis conſer-

vationem

vationem imo vindicationem ab imminentibus nocumentis & plenariam tandem reſtitutionem pertendentes ac proportionate directi. Id quod ſi ignoretur vel debite ſaltem non aeſtimetur, quid mirum eſt, ejuſmodi actus vel tanquam ſymptomaticos ac morbidos haberi, vel ut directe nocivos accuſari, qui tamen potius ad res noxias expugnandas quovis modo contendebant, ac proinde hoc intuitu utiles potius imo neceſſarii erant, quia ſine tempeſtiva talium adminiſtratione corpus in ſua integritate neque conſervari neq; quomodocunq; labefactatum reſtitui unquam potuiſſet.

§. XII.

Aſt non opus eſt, hiſce diutius immorari, potiſſimum cum STAHLIUS univerſum hoc negotium diverſitatis inter *mechaniſmum* & *organiſmum* peculiari ſchediaſmate jam dudum ſatis enodaverit, & publico condigne commendaverit. Convertimus nos potius, hiſce praemiſſis, ad ipſum demonſtrandi principium in medicina ita ſtabiliendum, corroborandum ac confirmandum, ut innumerorum hominum querelae, quae hactenus de *incertitudine* & *mere conjecturali* artis *indole* aures perſtrinxerunt, tandem ceſſent: Cumque nemo omnium eorum, qui mechanica principia profitentur, viam iſtam ingreſſus ſit, praeter *Hoffmannum*, qui haud ita pridem *Rationalis medicinae ſyſtema* ſeu *Philoſophiam corporis humani* METHODO PLANE DEMONSTRATIVA, & quidem in uſum tam *docentium*, quam *diſcentium* publice exhibuit: Hinc, quam feliciter hoc ceſſerit, negotium, aequa rationis lance, bona tamen ipſius venia, ponderare liceat!

§. XIII.

Cum itaq; Demonſtrator Noſter univerſam medicinam tam in *theoreticis* quam *practicis* deductionibus pure *mechanicam* eſſe, i. e. principiis mere mechanicis, quae ſunt materia & motus, inniti crederet: Non potuit etiam aliud, quam *pure mechanicum* demonſtrandi principium in animum admittere. Ad illud vero evincendum ſequentia praemittit requiſita:

Primum eſt: *In omni diſciplina, atq; adeo etiam in medicina,*

ſcientifice tractanda, tale ante omnia principium inquirendum eſſe, quod ſit omnium ſubalternarum cauſarum atq; effectuum fons, ex quo omnia demonſtrari & in quod omnia demum reſolvi debeant.

Secundum eſt: *Hoc principium debere eſſe perſpicuum, quod concipi, quodq; rebus medicis, praeſertim obſervationibus & morborum hiſtoriis adplicari poſſit, quo non tantum experientia certa minusq; fallax efficiatur, ſed omnia difficilia enodentur & explicentur.*

Tertium eſt: *Idem illud principium debere eſſe cauſſam proximam eorum omnium, quae exiſtunt & eveniunt in corpore humano, ſive ad negotium vitae & ſanitatis ſive morborum ortum & cauſas eorumq; curationem ſive ad vitam ſanam & longam tuendam pertineant, vel etiam corporis conſervationi ullo modo noxia ſint & contraria.*

Quartum eſt: *Illud ipſum quoq; principium, cum omnium actionum, motuum & mutationum, quae in nobis fiunt, cauſa eſſe debeat, in corpore quoque noſtro exiſtere & contineri debere.*

Quintum eſt: *Hoc demonſtrandi principium non debere eſſe immateriale & incorporeum, ſive animam rationis participem, vel vim pro arbitrio agentem; ſiquidem concipi nequeat, quomodo vis intelligens & libere agens vires motrices rerum omnium corporearum, quae praeſertim ad negotium vitale ſpectant, diſponat, immutet vel dirigat: Sed corporeum atq; mechanicum eſſe oportere.*

§. XIV.

Ex quibus proinde praeſuppoſitis nunc ſequentem demonſtrationem pandit & ſuppeditat Vir Celeberrimus: Cum principium demonſtrandi (ſecundum Suppoſ. V.) pure mechanicum, corporeum & materiale eſſe, atque (juxta Praeſupp. IV.) in corpore humano exiſtere & contineri debeat, nec non (per Praeſupp. I. & III.) ita comparatum, ut eorum omnium, quae in corpore humano vivo, tam ſano quam aegrotante, eveniunt, cauſa proxima eſſe poſſit: Jam vero *motus* & quidem tam *contractivus* quam *expanſivus*, ſive *ſyſtalticus* ac *diaſtalticus* cordis atq; arteriarum omniumq; ductum, cujus beneficio omnis generis fluida per innumerabiles ac varios canales in orbem moventur, utilia ſecernuntur & uſui ſervantur, inutilia autem ſecreta excernuntur; Atque adeo circulus ſangvinis ſit cauſa vitae, ſanitatis

ſanitatis, cauſarum morbificarum ipſorumque morborum tam acutorum quam chronicorum, ac tandem ipſius quoq; mortis; Hinc conſequitur: Verum demonſtrandi principium in medicina nullum eſſe aliud, quam circulationem ſangvinis ſeu motum ſangvinis circularem, atq; adeo pure mechanicum.

§. XV.

Verum enim vero an in hac principii Medicinae demonſtratione, in qua tamen totius rei cardo verſatur, inter *praemiſſas* & *concluſionem* juſtus ubique nexus & amicabilis conſpiratio reperiatur, aliis dijudicandum relinquo. Oportet potius ſolidum ſibiq; undiquaq; ſufficiens demonſtrandi principium in medicina eſſe *mechanico-organicum*; Quod facile demonſtro, dummodo ſequentia jam alibi probata ſupponantur, quorum

Primum eſt: Quod, ſicuti totum corpus humanum manifeſta *diſpoſitione mechanica* gaudet: Ita ſingula quoque ejus organa eadem tali *conformatione* & *aptitudine mechanica* inſtructa ſint, qua quippe ſi privarentur, habilitatem ſeu potentiam protenus amitterent eum producendi effectum, ad quem tamen edendum a natura comparata ſunt.

Secundum eſt: Quod tamen illa qualiscunq; *habitudo mechanica* variorum organorum corporeorum ſit res bruta, inefficax & inhabilis ad eum, cui dicata ſunt, effectum & uſum praeſtandum, niſi ab alio principio, ad agendum habili & efficaci actuentur & quaſi animentur, imo ad certum atque deſtinatum finem dirigantur.

Tertium eſt: Quod principium iſtud agens & varia ratione machinam corporis impellens & actuans non poſſit eſſe materiale, corporeum ac pure mechanicum, ab aethere v. g. ſeu materia mundi ſubtiliſſima, ſangvine, ſpiritibus animalibus vel liquido nerveo &c. derivandum; Cum aperte implicet, *effectus immateriales*, uti ſunt certa in motu & actu proportio, electio certi temporis & apti organi, nec non directio ad certum atque praemeditatum finem &c. a cauſſa mere materiali, corporea atque Mechanica proficiſci poſſe.

Quartum

Quartum eſt: Quod propterea neceſſitas jubeat agnoſcere, in corpore humano dari *vim* quandam ſeu *energiam movendi*, cui univerſum illud motuum tam animalium quam vitalium ſyſtema, circulatio nempe ſangvinis humorumq; cum univerſo variarum ſecretionum & excretionum, ſub illa jugiter ſuccedentium, adparatu ſubſit.

Quintum eſt: Quod illud nullum aliud eſſe poſſit, quam *Anima Rationalis*, quae quippe ut rationis particeps & libere in ſuo corpore, cui quippe arctiſſime juncta eſt, agens, modo *directe* & *immediate*, modo *indirecte* ac *mediate* varios actus tam animales quam vitales diſpenſat, & ſecundum praedictas *circumſtantias immateriales* gubernat, ut finis praefixus, nempe oeconomiae animalis ac vitalis conſervatio, praeſervatio ac reſtitutio, uno verbo, ejusdem incolumitas tam ratione *craſeos* in *fluidis*, quam ratione *texturae* in *ſolidis* ac *ſolideſcentibus* inviolabilis praeſtetur.

Sextum eſt: Quod ob hunc praecipue finem, *conſervationis* nempe *vitalis* intemeratam praeſtationem varia illa corporis humani organa, iſti quoque fini atque ſcopo ideo proportionata, *principio rationali*, nempe *intelligenti* ac *volenti*, ſubjecta ſint, ut corpus ejusque varia organa motibus undique inſtruendo ac gubernando, ac proinde ad finem iſtum obtinendum rite eodem utendo, rationem vere mechanico-organicam ubiq; ſubeat.

Poſtremum eſt: Quod inde irrefragabiliter conſequatur: Hanc *theoriam mechanico-organicam* in *Phyſiologia*, *Pathologia*, *medendi methodo* ac *therapia* ipſa verum & ubiq; ſibi conſonum atque conſpirantem nexum oſtendere, ac proinde unicum, verum atque inconcuſſum totius medicinae *principium* eſſe.

§. XVI.

Id quod ex hiſce praemiſſis ſic demonſtro: Si (per Suppoſ. I.) corpus humanum cum omni ſuo vario atque multiplici organorum adparatu varia quidem aptitudine ac diſpoſitione gaudeat, ad varios effectus *in potentia* edendum; At vero qualiscunq; illa *potentia* & *habilitas* ad agendum (per Supp. II.) non prius *in actum* deducatur, quam ab alio altiori principio, ad agendum habili & efficaci, animata fuerit & ad *certum finem* directa. Jam vero (per Suppoſ. III.) actus illi non ſint *caſuales* atque *fortuiti*, ſed per circumſtantias pure immateriales *proportionis*, *temporis*, *loci*, *organorum* & potiſſimum *finis* ſcientifice dirigantur, eaq; omnia a principio mere corporeo atq; *mechanico* ſint aliena, imo potius (per Suppoſ. IV. & V.) altiori directioni *principii* cujusdam *Rationalis* ſubſint, quod tam *directe* & *immediate*, quam *indirecte* ac *mediate*, univerſum iſtud *actuum* tam *animalium* quam *vitalium* ſyſtema ad totius *Oeconomiae animalis conſervationem*, *praeſervationem* ac *reſtitutionem* prudenter diſpenſat atq; dirigit, & (per Supp. VI.) ob hos potiſſimum fines obtinendos varia illa corporis organa tanquam vera animae inſtrumenta ſubjecta ſint, eoque ipſo vera illorum actuum *ratio mechanico-organica* pateſcat: Sequitur *irrefragabiliter*: Quod hic nexus *mechanico-organicus*, qui in univerſo artis medicae latifundio conſpiciendum ſeſe praebet, ſit *unicum*, *verum* atque *inconcuſſum* artis medicae principium, Id Q. E. D.

INSTITUTIONUM MEDICINAE REFORMATARUM PARS ALTERA ſiſtens PHYSIOLOGIAM.

CAPUT PRIMUM De *Phyſiologia in genere.*

§. I.

Phyſiologia eſt ea *theoriae medicae* pars, quae *naturae humanae* indolem, efficaciam varioſq; agendi modos, ſive ſtatum hominis *ſecundum naturam* i. e. varios actus atque functiones, ad vitae pariter atque ſanitatis conſervationem neceſſarias exponit.

§. II.

Verum itaque *Phyſiologiae* objectum eſt *Natura humana*, quo nomine non intelligimus ignotum aliquod ens, cui tanquam idolo permulti medicorum ſacra hactenus fecere; Neque motum machinae corporeae ejusdemque variis organis impreſſum; Quia abſurdum eſt, *actum* ſine *agente* vel *motum* ſine *movente* concipere: Sed *principium internum agens* in corpore humano, ſive, preſſius rem enunciando, *Animam Rationalem*, cui quippe tanquam ſublimiori & univerſaliori cauſae univerſum *actuum* tam *animalium* quam *vitalium* & *naturalium* ſyſtema ſubeſt.

§. III.

Hujus vero naturae, nempe humanae, genuinam indolem, energiam modoſque agendi in ordinaria ſua

 conſti-

conſtitutione noſſe atque ſedulo perſcrutari, praecipuum *Phyſiologi* munus eſt, eſſe ſaltem debet: Quia non modo medici artificialis eſt, naturae miniſterium, ſi quo indigeat, tempeſtive praeſtare, ſed & ſine hac notitia ſcopum ſuum, qui eſt, vitam non tantum atque ſanitatem corporis humani illibatam conſervare, & ſalutaribus conſiliis, monitis atque praeceptis damna impendentia praeoccupare & avertere, ſed & actuales laeſiones, ac proinde ſanitatem quomodocunq; jam labefactatam ipſamque vitam qualitercunq; periclitantem reſarcire, ipſumque corpus priſtinae ſuae integritati reſtituere &c. difficulter obtinebit.

§. IV.

Verum cum permulti recentiorum, qui has res ex profeſſo, quod dicunt, pertractaſſe videri voluerunt, non niſi eminus & ſuperficialiter admodum attigerint, & *Phyſiologiae verae* loco nihil ferme aliud, quam *anthropologiam* quandam delineare cordi habuerint: Neceſſitas jubet, *Phyſiologiam* in *phyſicam* & *medicam* diſtingvere: Quarum proinde *prior* ſola contemplatione corporis humani phyſica, i. e. conſideratione corporis animalis ratione diſpoſitionis ſuae materialis in craſi, textura, ſtructura &c. ſine reſpectu ad vitam atque ſanitatem, contenta eſt: *Poſterior* vero ulterius progreditur, &, ſuppoſita iſta *theoria corporis phyſica*, ſeu cognito atque perſpecto habitu corporis materiali, nunc ejusdem quoque *habitum ad vitam* conſiderat, quatenus nempe vita ejusdemque formalis ratio in nullo alio conſiſtit, quam in intemerata mixtionis animalis, per ſe admodum corruptibilis, conſervatione, actibus inprimis tam ſecretoriis quam excretoriis, per convenientia organa

ſub

ſub perpetuo ſangvinis humorumq; motu circulatorio ſuccedentibus, obtinenda.

§ V.

Hinc duplex corporis humani conſideratio exurgit, *altera phyſica*, qua *mixtum*, *textum* vel *ſtructum* dicitur; *Altera medica*, qua *vivum* adpellatur.

§. VI.

Priori intuitu manifeſtum eſt, ſermonem nobis eſſe de *mixtione animali*; Quae cum conſtet principiis, *ſuperficialiter* tantum cohaerentibus, aqua nempe ſeu ſero, oleo & pingvedine, mucagine & ſubtili quadam terra, quorum principiorum omnium infida minusque arcta cohaeſio eſt: Hinc etiam prae omnibus aliis mixtionum ſpeciebus haec animalis mixtio omnium maxime corruptibilis eſt, dum nempe aquoſum principium pingvi atque ſulphureo, & reliqua reliquis facile renunciant, à ſeſe mutuo ſecedunt, & ſic prono lapſu in *corruptionem*, nempe intimam *putredinoſam* ruunt.

§. VII.

Uti vero ex *mixtis* oriuntur *compoſita*; Ita haec gignunt *aggregata*, quae vel in *texto* vel in *ſtructo* conſiſtunt, inter quod utrumq; nulla alia eſt differentia, niſi ratione *ſubtilitatis* vel *craſſitiei*; *Textum* enim ex materia ſubtiliore, tenuiore ac teneriore, *ſtructum* vero ex craſſiore, firmiore ac robuſtiore coäluit: Licet utrumq; diſpoſitionem ac proportionem ordinatam ac figuratam praeſupponat. Talis autem ſive *textura* ſive *ſtructura* in corpore animali reperitur, *illa* in membranis & viſceribus membranoſae texturae, *haec* vero in muſculis & viſceribus craſſioris ſtructurae. Utraque tamen, ſibi relicta, pari laborat proclivitate ruendi in deſtructionem

ſui, niſi aliunde impediatur & ab imminente labe praeſervetur.

§. VIII.

Poſteriori vero reſpectu idem corpus animale tam in ſtatu *mixtionis*, quam *texturae* atque *ſtructurae*, atque hoc intuitu ut corruptibile ſpectatum, nunc potius ceu *vivum*, ſive *motibus vitalibus*, tam *ſecretoriis* quam *excretoriis*, per apta atque convenientia organa expediendis, inſtructum conſideratur, quorum ſubſidio & perpetuo atque proportionato progreſſu partes corruptae & corruptibiles continuo expelluntur, ſicque corpus tam in *craſi* quam in *ſtructura* & *textura* inviolatum conſervatur.

§. IX.

Unde fruſtra argutantur, qui quidem *corpus humanum, ex materia* quippe *admodum differentis & minus cohaerentis indolis conſtans, celerrimae ideo corruptioni obnoxium eſſe* concedunt, interim tamen, *vitam non accurate per conſervationem mixti à putredine definiri*, moroſe contendunt. Quanquam enim *animantium corpora, vita diu jam privata, ſolo intenſo frigore aut ſpirituoſo liquore* (adde, ſicca etiam balſamatione) *à putredine immunia ſervari poſſint:* Non tamen hic quaeſtio eſt, quid in corpore animali, vita privato, à putredine praeſervando, artificium medicum praeſtare poſſit; Sed quid de tali corpore mortuo, ſibi relicto, i. e. ex corrumpendi *potentia* in *actum* libere erumpente, futurum ſit? Proinde ſole meridiano clarius eſt, quod, licet motus ſanguinis circulatorius continuo in corpore ſuccederet, nec tamen ſub illo ordinariae ſe & excretiones jugitur promoverentur, vita perennare non poſſit.

CAPUT

CAPUT SECUNDUM.

De *Elementis.*

§. I.

Piaculum fore, credunt plerique *Phyſiologorum*, ſi doctrinam de *elementis*, quae tamen ad ditiones *Phyſicorum* proprie pertinet, non pariter, obtorto licet collo, ad *theoriam medicam* transferrent. Cum vero certiſſime perſuaſus ſim, doctrinam iſtam de *elementis*, qualiſcunq; demum adſumatur vel eligatur hypotheſis, ad illuſtrandam tam *theoriam* quam *praxin* medicam, nihil prorſus conferre: Hinc religioni nobis non ducimus, eandem ſicco pede praetermittere, quicquid etiam *Inſtitutionum ſcriptores* oggranniant.

CAPUT TERTIUM.

De *Partibus Humani Corporis.*

§. I.

Totum corpus humanum conſtare partibus tam ſolidis quam fluidis, ipſo etiam craſſorum ſenſuum teſtimonio addiſcimus. *Solidas* dicimus, quae vel tubulatae ſunt & humoribus ſeu fluidis cöercendis inſerviunt, ut vaſa varia, vel certo modo conſtructae, figuratae & inter ſeſe mutuo connexae, ac proinde inſtrumentalem rationem obtinentes, ut variis actibus & motibus edendis, movente nempe cauſa accedente, ſubſervire poſſint: *Fluidas* è contra partes adpellamus, quae intra ſolidas continentur, quaeque ad certos motus obeundos deſtinatae ſunt.

§. II.

Illas iterum ſubdividimus in *ſolidas* & *ſolideſcentes*; Ad *illas* oſſa cum cartilaginibus; Ad *has* vero fibrillas, fibras, membranas, ligamenta, tendines, muſculos, arterias, venas, nervos, vaſa lactea atque lymphatica, glandulas, varia viſcera, &, ut uno me verbo expediam, omnes molliores corporis animalis partes referimus. Ad *fluidas* vero partes tam *utiles* quam *excrementitias*, pertinent chylus, lac, ſanguis, lympha, ſerum, mucilago, ſuccus pancreaticus, bilis, ſaliva, ſudor, inſenſibilis tranſpiratio, urina, mucus narium, liquor oeſophagi, ventriculi, inteſtinorum, thoracis, pericardii, articulorum, vaginae uterinae, ſpermatis ſeu ſeminis virilis & muliebris abuſive ſic dicti &c. *Spirituum*, ſive, ut alii loqui amant, *fluidi nervei* nullam ideo mentionem feci, quia de iis tractatu peculiari, cui titulus: SPIRITUS ANIMALIS ex FORO MEDICO RELEGATUS, ſeorſim egi, ac dubia circa illorum *exiſtentiam*, *eſſentiam* & functiones occurrentia ex profeſſo expoſui; Et quanquam ſcripto huic Clar. BURGGRAVIUS, Doctor medicus Francofurti ad Moenum oppoſuerit aliud, nempe *Commentationem Medicam*, qua *ſyſtema ſpirituum nervoſorum* vindicare, a dubiis atque difficultatibus, quibus laborare nonnullis viſum eſt, illud liberare priſtinoque ſuo ſplendori atque dignitati reſtituere conatus fuit: In *vindiciis* tamen illi oppoſitis ſatis monſtratum eſt: *Commentationis* Auctorem nihil operoſo ſuo conamine praeſtitiſſe aliud, quam quod ſyſtema centies coctum recoxerit, atque adeo ſpiritus iſti nervoſi JURE ex foro medico fuerint proſcripti.

§. III.

Fibrilla pariter atque *fibra* non differunt inter ſe

mutuo

mutuo, niſi ſubtilitate vel craſſitie. Utraque ſubtiliſſimum conſtituit ſtamen, ex quo tam *textae* quam *ſtructae* partes coäluêre. Utraque etiam tam *intenſionis quam remiſſionis tonicae* capax eſt, eoque intuitu variae humorum congeſtiones, reſtagnationes & ſtaſes oriuntur.

§. IV.

Membrana eſt fibrarum contextus ſecundum latitudinem ſeu ſuperficiem inſtar telae ex filis longitudinalibus ac transverſalibus compoſitae. Tales ſunt meninges cerebri, pleura, mediaſtinum, peritoneum, tunica vaginalis teſtium &c. inſerviuntque vel aliis partibus inveſtiendis, vel canalibus humores vehentibus efformandis vel partibus inter ſeſe mutuo connectendis vel ſeparandis &c.

§. V.

A *membranis* non multum differunt *ligamenta*, inprimis membranacea; Alia tamen ad indolem nervorum vel tendinum propius accedunt, ac proinde *nervoſa* vel *tendinoſa* audiunt, eaque potiſſimum oſſibus invicem colligandis deſtinata ſunt.

§. VI.

Arteriae ſunt vaſa ſangvinea, ex ventriculis cordis oriunda & ſangvinem, quem ex illis exceperunt, ad peripheriam partium devehentia, pulſuque ut & colore, duritie ac robore facile ſeſe prodentia: *Venae* contra ſunt vaſa, ſanguini a peripheria corporis ad cor, tanquam communem oceanum, revehendo dicata. Quem uſum ut in oeconomia corporis humani vivi commode praeſtare poſſent: Hinc arteriae fabricam acceperunt conoideam, ex auguſto ſenſim in anguſtius deſinentem: Venae vero ſtructuram arteriis contrariam

nactae

naſtae ſunt; Siquidem exili diametro in circumferentia partium ortae pedetentim in anguſtius ſpatium explicantur, &, ad regreſſum ſanguinis impediendum, valvulis munitae, facile interim permittentes, ut cruor ex minoribus ramulis in majores libere admittatur, donec ad communem ſanguinis fontem reductus fuerit. Ut adeo duplicis hujus vaſis beneficio perpetuus itus ac reditus ſanguinis, ſeu, ut commode vocari poteſt, aeſtus microcoſmicus, & quidem mediante motu *ſyſtaltico* ac *diaſtaltico* cordis atque arteriarum, peragatur.

§. VII.

Vaſa *lymphatica* ſunt canales admodum ſubtiles, tenues, diaphani, humorem ſubtiliſſimum, ſeroſo-gelatinoſum, proximam nutritionis materiam vehentes, atque vel in ductum chyliferum vel in receptaculum chyli commune vel in maſſam ſanguineam infundentes, valvulis ubique inſtructi, ut lymphae, quam vehunt, regreſſus praecaveatur. Recentioribus demum temporibus à *Thoma Bartholino*, *Jolivio*, Anglo, & *Olao Rudbeckio* detecta ſunt haec vaſcula, lymphatica dicta, *Riolano*, *Plempio* aliisque pluribus fruſtra contradicentibus. Tanta eorum in corpore reperitur quantitas, ut nullum fere viſcus iisdem omnino deſtitutum deprehendatur. Quoad vaſa *lactea*, quae pariter recentioris aevi inventum ſunt, illa à *lymphaticis* non differunt, niſi liquore, quem vehunt, eſtque chylus crudior, recens ex alimentis in ventriculo & inteſtino duodeno extractus, ac deinde per vaſa lactea primi ordinis ad glandulas meſaraicas, ex his vero per vaſa lactea ſecundi ordinis ad receptaculum lumbare delatus.

§. VIII.

§. VIII.

Nervi ſunt filamenta albicantia, teretia, à cerebri, cerebelli atque ſpinalis medullae meningibus, unde originem ſuam trahunt, ad reliquas partes protenſa, & cavitate deſtituta, ac proinde nulli *ſpirituum animalium*, ut vulgo magno conatu hactenus nugati ſunt, tranſitui dicata, ſed ſenſibus tantum ac motibus inſervientia.

§. IX.

Muſculus dicitur pars carnea, ex innumeris fibris carnoſis conflata, proximum omnis motus, inprimis arbitrarii, organon. Diſtinguitur in caput ſeu principium, caudam ſeu finem & ventrem ſeu mediam partem; Et fibrae tendinoſae in extremis muſculi in faſciculos collectae tendinem, osſibus alligatum conſtituunt.

§. X.

Glandula eſt organon ſingularis ſibique propriae ſtructurae, conſtans ex congerie arteriolarum, venularum, nervulorum & ductus excretorii, ſecretioni & excretioni fluidi cujusdam inſerviens. Diſtinguitur in *conglobatam* & *conglomeratam*, & vel à *figura*, vel à *ſitu* vel ab *uſu* & *officio* diverſam denominationem ſortitur. Vide *Heiſteri* diſputationem de *vera glandulae appellatione* vel ejusdem *Compendium Anatomicum*, in capite de *Adenologia*, ubi ſummatim repetit, quae fuſius ibi explicuerat.

§. XI.

Oſſa denique atque *cartilagines*, quae gradu tantum inter ſeſe mutuo differunt, robur, firmamentum ac ſtabilimentum reliquis partibus praeſtant, ſuntque partes corporis durisſimae, albae, ſenſus quidem per ſe expertes, attamen intuitu perioſtei, quo teguntur, exquiſiti

ſenſus compotes, atque mixtione mucido-pingui conſtantes, id quod non modo coctio per machinam *Papinianam*, ſed & oſſa juniorum animalium, imo ipſa quoque nutritio probant: Cum non modo materia talis mucido-gelatinoſa optime nutriat, ſed & in hectico-tabida conſtitutione, eadem conſumpta, totum corpus emarceſcat. Uti vero cartilagines extremis oſſium ſaepiſſime adhaerent: Ita ungues, cartilaginum aemuli, extremis digitorum in manibus aeque ac pedibus imponuntur, corneae indolis ſunt, & non modo digitos ab externis injuriis defendunt atque praemuniunt, ſed & in manibus adprehenſionem juvant, & in pedibus firmiorem greſſum atque inceſſum efficiunt.

§. XII.

Mixtionem omnium harum partium, & *ſolidarum* quidem quod ſpectat, illa maximam partem terreſtri portione, deinde mucido-pingui & pauca aquea abſolvitur. *Solideſcentes* molliores majorem gelatinoſae, pinguis, proportionatam terreae & ſufficientem quoque aquoſae ſubſtantiae quantitatem continent. In *fluidis* vero principium aquoſum, gelatinoſo-mucilaginoſum ac terreſtre diverſa proportione ſibi mutuo permixtum eſt, & id quidem admodum ſuperficialiter: Unde fatiſcente vel ceſſante motu vitali, prompte à ſe invicem recedunt ſingulae iſtae partes, atque ita corruptio corpori imminet.

§. XIII.

Inter haſce fluidas partes ordine naturae primum ſibi vindicat locum *chylus*, nempe lacteſcens ille humor, qui ex alimentis adſumptis recens extractus & ab extremis venarum lactearum oſculis in inteſtinorum tenuium

tenuium cavitatem hiantibus, reſorptus indeque ad receptaculum lumbare delatus, & mediante ductu thoracico ſanguini eum in finem infuſus eſt, ut inde novus ſanguis novaque lympha nutritia generetur.

§. XIV.

Quemadmodum vero chylus noviter elaboratus crudior adhuc eſt, ſpiſſior ruditerque mixtus, ac proinde minus quoque pellucidus, imo variis inquinamentis, ſalinis, bilioſis, fermentativis, quae in primis viis, per quas ipſi tranſeundum eſt, ſibi adſociavit, adhuc permixtus: Ita *Lympha*, quanquam gelatinoſo-mucido, pingui, aquoſo atque terreo conſtet principio, longe tamen majorem puritatem, exactiorem elaborationem, conſtantiorem connexionem & aequalem magis conſiſtentiam prae ſe fert, atque proinde exquiſitiorem quoque pelluciditatem prae chylo exhibet. Interim, non obſtante hac ſui puritate, haud difficulter fomitis inſtar varia inquinamenta atque impura miasmata ſuſcipit, ſicuti in lue venerea ſatis patet; Atque ita variis impuritatibus coinquinata nutritioni corporis praeſtandae, cui ſecundum naturam inſervire ſolebat, inepta evadit.

§. XV.

Ex chylo pariter atque lympha generatur ſanguis, quo nomine maſſam illam confuſaneam intelligimus, quae partim principio lymphatico utili, partim ſeroſo excrementitio, partim ſubtili terreſtri variiſque aliis mucido-gelatinoſis, aquoſo-halituoſis, ſulphureo-bilioſis atq; ſalino-terreſtribus, iſtis innatantibus & per varia colatoria ſeparandis & ejiciendis, conſtat. Microſcopio inſpectus ſanguis intuenti innumeros minimos globulos, pellucidos aeque atq; opacos offert; In aggregato

vero conſpectus ſanguis, rubicundum exhibet colorem, qui non aliunde, quam ex particularum ſulphurearum cum lymphaticis atque terreis permixtione ſuam trahit originem. Multum differt ſanguis ratione craſeως ſuae atque conſiſtentiae, id quod ex temperamentorum & ſubjectorum diverſitate luculenter patet. Et quanquam, ut medicorum veterum & multorum quoque modernorum traditiones volunt, theſaurus vitae non ſit: Id tamen negari nequit, ſanguinem circulariter motum praecipuum materiale vitae pariter ac ſanitatis conſervandae inſtrumentum praebere: Unde fatiſcente hoc primo quaſi mobili, reliquos etiam vitales actus fatiſcere, nemini mirum eſſe debet.

§. XVI.

Idem hic ſanguis, tot itibus atque reditibus, quos in corpore abſolvit, comminutus, in *ſerum* tandem maximam partem reſolvitur, quod licet omni utilitate in oeconomia corporis non deſtituatur, nihil tamen aliud, quam verum excrementum eſt, conſtans quippe particulis ſalinis, terreſtribus, ſulphureo-orgaſticis, principio aquoſo innatantibus: Quam etiam ob rationem per tot corporis excernicula, tranſpirationis, ſudorum, urinae &c. nomine continuo ejicitur ſicque ſua ſanguini puritas ſalva & incolumis ſervatur. Naſcitur ex ſanguinis reſolutione, imo reipſa nihil eſt aliud, quam ſanguis reſolutus. Ac proinde ſollicite cavendum eſt, ne cum pleriſque Recentiorum *ſerum* cum *lympha* confundamus: Quia *haec nutritia, illud* vero *excrementitium* eſt; *Haec* ſpiſſiorem atque mucido-gelatinoſam: *Illud* vero tenuiorem aquoſioremque conſiſtentiam exhibet: Quo ipſo etiam uſitata diſtinctione inter *ſerum utile* & *excrementitium* ſuperſedere poſſumus.

§. XVII.

§. XVII.

Alterius indolis, nempe ſalino-acidae, fermentativae, cum multa tamen tenui ac ſubtili aquoſitate maritatae eſt *ſaliva,* in glandulis ſalivalibus oris, buccarum, palatinis, ſublingualibus &c. eum in finem ſecreta, ut cibis in ore maſticatis admixta, prima in illis digeſtionis rudimenta ordiatur: Ac proinde, cum tantam in maſticationis ac futurae concoctionis negotio utilitatem praeſtet, non ut excrementum prodigaliter exſpui, ſed deglutiri ac transmitti in ventriculum debet, ut, quod in ore cœptum eſt digeſtionis rudimentum, in hoc continuetur & ad majorem perfectionem perducatur.

§. XVIII.

Non multum ab humoris ſalivalis conſtitutione differt *liquor pancreaticus,* niſi forte organo, in quo ſecernitur, & loco, in quem ſeſe exonerat. Caeterum ejusdem conſiſtentiae eſt cum ſaliva, iisdem gaudet principiis eundemque in oeconomia vitali uſum atque effectum praeſtat, nempe reſolutorium in chylo craſſiore multisque adhuc cruditatibus coinquinato.

§. XIX.

Econtra bilis flava, cui ob oleaginoſam, qua gaudet conſiſtentiam, virtus balſamica paſſim adſcribitur, tota excrementitia eſt, conſtans quippe copioſo principio ſalino-ſulphureo, mucilaginoſo atque terreſtri, quorum primum cum ſit valde activum ſimulque corruptivum: Hinc eſt, quod tanta in copia in hepate primum ſegregetur, deinde vero ad inteſtinum duodenum per ductum choledochum derivetur, ut, poſtquam ibi officio ſuo in incidendo ac reſolvendo chylo crudiore eſt perfuncta, una cum reliquis excrementis debite excerni queat.

§. XX.

§. XX.

Mucilago, quanquam prae aliis corporis humoribus majori ſpiſſitudine atque conſiſtentia gaudeat, ſuum tamen inter liquida ſeu fluida ejus locum tuetur, eſtque nihil aliud, quam tenuis ac fluidus mucus, reliquis humoribus immixtus, cujus adminiculo, quaſi glutine reliqua ſanguinis humorumque principia inter ſeſe mutuo firmius connectuntur, imo ipſae quoque oſſium juncturae humectantur, a nimia exſiccatione praeſervantur & ad motus ſuos continuandum aptiores redduntur. Uti vero mucago talis tenuior, amiſſa ſubtiliori parte, inſpiſſatur: Ita ſpiſſior talis mucus, interjecta tenui humiditate, artificio medico ita reſolvi, dilui atq; emolliri poteſt, ut unacum reliquis humorum partibus ſic ſatis commode circulum ſuum abſolvere queat.

§. XXI.

Sperma ſeu *ſemen virile* lymphatica quidem & aquoſa ad ſenſum ſubſtantia conſtare videtur: Nihilominus promptus irrorationis ſeu impraegnationis effectus, qui mutuam fœmellae ac maris cohabitationem concomitatur, de principio quodam activo, ſubtili, halituoſo & orgaſtico haud fucatum praebet teſtimonium. Longe vero alterius indolis eſt *liquor genitalis* mulierum, abuſive ita dictus, qui quippe non modo ad conceptionem nihil confert, ſed & longe tenuioris eſt conſiſtentiae, in eo tamen cum ſpermate virili analogiam quandam fovens, quod ſuo effluxu eandem, ſi non majorem, in genitalibus mulierum titillationem efficiat, qualem Viri, ſemen in coitu effundentes, perſentiſcere ſolent. *Democritus* parvam epilepſiam adpellare voluptatem iſtam veneream ſolitus eſt.

§. XXII.

Quae vero in oeſophago, ventriculo, inteſtinis, trachea, pericardio, pleura, peritoneo, tunica vaginali teſticulorum, oculis, auribus, tonſillis, uvula, urethra, vagina uteri & articulis hinc inde ſeparantur humiditates, inſerviunt partibus iſtis emolliendis & lubricandis, ut motus ſuos tanto commodius continuare valeant. De tranſpiratione tam ſenſibili quam inſenſibili, urina aliisque pure excrementitiis humoribus ſuo tempore dicetur.

CAPUT QUARTUM
De
Spiritibus, Calido Innato & Humido Primigenio.

§. I.

Quemadmodum in multiplicanda *ſpirituum* familia admodum luxurioſi fuere veteres, & praeter *animales* etiam finxerunt *naturales*, *vitales ac genitales:* Ita recentiores nimiam quidem iſtam ſuperfluitatem reſcindere cordi habuerunt, *animalibus* tamen repudium mittere, in hunc uſque diem auſi non fuerunt.

§. II.

Si vero *anima rationalis*, ut alibi a nobis demonſtratum eſt, omnes indiſcriminatim motus tam *vitales* quam *animales*, ſuo in corpore organico dirigere, moderari imo efficere agnoſcatur; Quid opus eſt fictitiis iſtis ſpiritibus? Nam turmas iſtas ſpirituum illi tantum in medium produxerunt, quibus inſuperabilis viſa eſt difficultas, qua nempe ratione anima, tanquam ſubſtantia immaterialis, &, prout *Carteſiani* loqui amant, cogitans, organa vitalia, tanquam corporea & materialia movere

& im-

& impellere valeat, cum inter materiale & immateriale nullus immediatus ſit contactus. Sed miror, quod manifeſtam implicationem non advertant, quia ſpiritus, quos in ſcenam producunt, nemine contradicente, pariter materiales ſunt, in quos proinde anima, tanquam ſubſtantia immaterialis (ex hypotheſi) nullum obtineret imperium. Deinde, quid fiet cum brutis, in quibus eosdem actus vitales obſervamus? An ibi pariter ſpiritus iſti animales organa corporea impellunt? An vero reſidet in illis aliud quoddam agens, nomine animae FORTE indigitandum? An vero utrumque? Ita vero tam brutorum quam hominum eadem foret ratio atque conditio, id quod tamen pauciſſimis forſitan placeret. Denique in eo conſenſio eſt plerorumque, qui ſpirituum hypotheſi favent, quod iſti ſpiritus ex ſe & ſua natura nihil efficiant, ſed ſuis in operationibus (exceptis motibus pure automaticis) dependeant ab arbitrio animae. Jam vero iidem illi actus ſubinde longe exquiſitius obſervantur quoque in brutis, in quibus tamen communiter anima non agnoſcitur: Unde ſpiritus in illis totum expedient negotium, aut anima pari neceſſitate in brutis atque in hominibus erit agnoſcenda, illorum actuum rectrix atque moderatrix.

§. III.

Eandem vero cenſuram merentur antiquorum naeniae de *calido innato & humido primigenio*, de quo utroque figmento *Hermannus Conringius & Caſparus Hoffmannus* integros tractatus conſcripſerunt; Quorum tamen ut & plurimorum aliorum conceptus, quos de utroque ſibi formarunt, usque adeo obſcuri atque perplexi ſunt, ut *Sennertus* ſponte fateri non erubuerit, eo fere incer-

incertiorem quempiam reddi, quo plures in inveſtiganda *calidi innati* natura in conſilium adhibuerit, & *Montanus*, difficultatem rei perpendens ingenue profiteri coactus fuerit, ſe vix tandem ſenem cognoviſſe, quid eſſet calor innatus? Qui tamen & ipſe, candido aliorum judicio, genuinam ejus indolem integre non cognovit. Unde cum nonnulli dictum iſtud calidum nil niſi meram ac nudam qualitatem dicant, alii a ſpiritu inſito nihil quicquam differre, quidam elementaris illud naturae eſſe opinentur, alii his contrariam ſententiam cum *Ariſtotele* propugnent, & nec elementare eſſe, nec ab igne aut aliis elementis originem trahere, nec tamen etiam coeleſtis eſſe naturae, ſed ἀναλογον τῷ τῶν ἄςρων ςοιχειῳ, operoſe contendant, imo recentiorum nonnulli in ſanguine, materialiter conſiderato (ſine motu) in partibus nempe oleoſis atque ſulphureis illud quaerant, & alii denique propius ſcopum feriendo diſerte enuncient, calidum iſtud innatum nihil eſſe aliud, quam ſangvinem, in continuo motu tam inteſtino quam circulari conſtitutum: Manifeſtum inde redditur, in fatuas & inanes tandem tricas reſolvi, quicquid de calido hoc innato Veteres commentati vel potius commenti ſunt.

§. IV.

Eadem plane incertitudine laborant, quae de *humido primigenio* diſſerunt Antiqui, quibusdam illorum defendentibus, eſſe illud nihil aliud, quam *calidi innati* ſeu *ſpiritus inſiti* pabulum ſiue domicilium, aliis ſtatuentibus, humidum primigenium ad calidi innati conſtitutionem concurrere, atque adeo ex hoc, ſpiritu inſito & calore hoc ipſum calidum innatum abſolvi, atq;

adeo nihil reipſa aliud eſſe, quam humidum primigenium, ſpiritu inſito & calore undique perfuſum, aliis iterum, ſpiritum inſitum & humidum primigenium diverſae eſſe naturae, docentibus, aliis balſamum naturale, fibris atque ſtaminibus partium ſolidarum inſertum temere effingentibus, imo recentiorum nonnullis cum chyloſa & lactea ſangvinis parte abſolute convertentibus: Ut profecto nihil reſtare aliud videatur, quam ut aenigmatibus humidum primigenium aeque atque calidum innatum adnumeremus. Atque adeo omni cura eo enitendum eſt, ut bicipiti hoc monſtro *Inſtitutiones Medicinae* liberentur.

CAPUT QUINTUM.
De
Facultatibus Animae.

§. I.

Alii nunc *hydrae lerneae*, quae non minora rei medicae nocumenta, ac doctrina de *ſpiritibus*, *calido innato* atque *humido primigenio* attulit, caput reſecandum eſt, atque oſtendendum, multiplicem *facultatum animae* diviſionem, quam *Galenus* in artem *primus* invexit, ejusdemque aſſeclae magno deinde fervore propugnarunt, ingentem quoque *Inſtitutionibus Medicinae* confuſionem peperiſſe, cum partim entia praeter omnem neceſſitatem multiplicata, partim diſquiſitio iſta utcunq; laborioſa, extra artis medicae ſphaeram conſtituta, atq; adeo Philoſophis vel Metaphyſicis potius relinquenda fuerit. Quid enim juvat, *facultates animae* tam operoſe diſtingvere, ut alia *genitalis* dicenda ſit, quae generationis actui praeſit, alia *animalis*, quae ſenſuum potiſſimum

mum atq; motuum exercitio ſeſe exerat, alia *vitalis*, quae vitales actus in corpore humano diſpenſet, & alia denique *naturalis*, cui hoc demandatum ſit officii, ut functionibus naturalibus, quae potiſſimum ſe & excretionibus ſeſe manifeſtant, dirigendis ac moderandis incumbat? Quid opus eſt cunctis hiſce ambagibus? Cum unum idemque ſit principium agens, una nempe eademque *Anima*, eaque *Rationalis*, quae pro ſingulorum iſtorum actuum diverſitate modo *rationaliter*, modo, ut ſic loquar, *animaliter*, modo *vitaliter*, modo *naturaliter* agit, atque adeo cunctorum iſtorum actuum adminiſtrationi ac diſpenſationi SOLA ſufficit. Ut de reliquis facultatibus, concoctrice, expultrice, aſſimilatrice, attractrice, retentrice &c. catervatim a *Galeno* introductis, nihil moneam, quae quippe manifeſtam principii petitionem involvunt.

CAPUT SEXTUM.
De *Temperamentis.*
§. I.

Quanquam in plerisq; *Inſtitutionum Medicarum* Capitibus felicem, ingenuum atque cordatum Reformatorem *Paulus Ammannus*, Profeſſor Lipſienſis, ſeſe praeſtiterit: Immane tamen quantum a vero aberraſſe videtur, quando *Conſilio de inſtitutionum medicarum emendatione neceſſario ſuſcipienda* Libro III. Part. I. Sect. II. audacter ſcribit: *Complexionum Galenicarum* doctrinam aut inutilem aut maximam partem falſam, aut ſaltem in medendo minus neceſſariam eſſe, imo, prout *Helmontius* loqui amavit, traducem tantum praebere, quo figmenta de qualitatibus & miſtionibus elementorum in-

feliciter propagentur. Ex quibus omnibus pari audacia infert: Univerſam de temperamentis doctrinam meras redolere nugas, captum diſcentium irretientes, & cunctas illorum differentias fere innumerabiles, quas Scholae hactenus felicius finxerint, quam demonſtraverint, meras eſſe paleas, imo aquam ex pumice petere, qui in ſignis temperamentorum inveſtigandis laborem fruſtra conſumpſerit: Cum enim nulla temperamenta darentur, fruſtra quoque illorum ſigna inquiri, manifeſtae eſſet conſequentiae; Cum non Entis nullae quoq; ſint affectiones.

§. II.

Verum patere, mi *Ammanne*, ut, licet doctrinam de *complexionibus Galenicam* non paucis laborare defectibus, ultro largiar, patere, inquam, neque *Catonica* auſteritate frontem nimis corruga, ſi ingenue ſimul confitear, TE, quid ſit temperamentum, minus recte intellexiſſe; Neque enim *temperies* humorum cum *temperamento totius* eſt confundenda. Neq; id naturam temperamenti exhaurit, quando ſangvis arterioſus cum ſpiritu vitali, ut vulgo loquuntur, proportione naturali concurrit, nec a cauſis ſive externis ſive internis alteratur; Nec ſequitur, mutato pulſu, mutari quoque temperamentum & vice verſa. Verum, ſuppoſita ante omnia temperamentorum veritate & reali exiſtentia, quam quippe praeter *Ammannum* non pauci Neotericorum aperte negarunt, genuinam temperamenti, non phyſice ſed medice conſiderati, indolem non quaerimus in ἀκριβεια ſeu exactitudine phyſico-mathematica elementorum, corpus componentium, neque in praedominio quatuor primarum qualitatum, caliditatis, frigiditatis

giditatis, humiditatis & ſiccitatis, neque ſolummodo in praedominio quatuor humorum Galenicorum; Qui quippe conceptus cuncti *temperamento* tantum *mixti* ſeu *phyſice* ſumto, non vero *temperamento vivi* ſeu *medice* accepto congruunt: Sed poſteriori ſenſu intellectum nihil aliud denotat, quam juſtam proportionem ac mutuam veluti habitudinem ſolidorum ad fluida & fluidorum ad ſolida, ac legitimam actuum tam *animalium* quam *vitalium*, quae illam conſequitur, adminiſtrationem.

§. III.

Unde ſimul perſpicuum evadit, in vera temperamentorum natura determinanda non ad differentem ſolummodo ſangvinis circulum, ſed ad *variam elementorum, ſangvinem conſtituentium* mixtionem & proportionem, ſimul atque ipſarum partium ſolideſcentium fibroſarum texturam & ſtructuram, mutuamque quam inter ſeſe fovent, proportionem attendendum eſſe, unde deinde diverſus ille ac ſecundum materialem hanc conſtitutionem in diverſis temperamentis varians ſangvinis circulus, ſeu, noſtro loquendi more, varia motuum vitalium proportio enaſcitur.

§. IV.

Atque adeo, cum *conſtitutiones* hominum *individuales* mirum quantum inter ſeſe mutuo differant, non modo intuitu *craſews fluidorum*, ſed & reſpectu *texturae* vel *ſtructurae ſolidorum*; Sicque habitus totius corporis in *ſangvineis* & *phlegmaticis* ab habitu *cholericorum* & *melancholicorum* plane ſit diverſus: Ipſa quaſi neceſſitas quadruplicem illam temperamentorum diverſitatem agnoſcere jubet, ita quidem, ut aliud ſit *ſangvineum*, aliud *phlegmaticum*, aliud *cholericum* & aliud denique *melancholicum*.

§. V.

Uti vero *ſangvineum* a ſangvinis ſtricte ita dicti, ſufficienter fluidi ac mobilis, qualis nempe tam per vaſa recte patula, quam per texturam muſculoſo-poroſam libere & cum ſingulari quadam facilitate ac promptitudine meare conſuevit, praedominio, nec non ex aſpectu florido, rubicundo ſuccorumq; pleno ac veluti turgido aeſtimamus: Ita *phlegmaticum*, in quo portio ſangvinis ſeroſa, plus minus mucida praepollet, & habitus corporis laxus atque ſpongioſus conſpicitur, conjuncto ſtatu partium exſangvi pallidoque, licet valde ſucculento, ex qua quippe partium proportione tardus languidusque motuum ſucceſſus conſequitur, potiſſimum metimur.

§. VI.

Et ſicuti in temperamento *cholerico* portio ſangvinis ſalino-ſulphurea, admodum activa cum habitu partium fibroſarum ſtricto, quo in ſtatu corporis, non obſtante ſufficienti ſangvinis fluiditate ac mobilitate, magno ac vehementi impulſu opus eſt, ut fluida ſuo in circulo conſerventur & a putredine, in quam maximopere proclivia ſunt, praeſerventur, praedomium obtinet: Ita in *melancholico* ſic dicto temperamento, concurrente majori humorum ſpiſſitudine indeque reſultante tardiori motu, una cum meatuum arctitudine & impeditiori progreſſu, terreſtre ac nimis mucilaginoſum praevalet principium, unde ad talem ſangvinem per tales partes tranſprimendum, omnemque ſtagnationum imo ſtaſεων eventum & ſucceſſum praeoccupandum, vehementiori non modo, ſed & juſto tenore ac valore continuante impetu ſeu impulſu opus eſt.

§. VII.

§. VII.

Quanquam autem haec omnia ſatis recte ſeſe habeant: Juvabit tamen, rem omnem a primis ſui initiis & veluti ab ovo repetere. Univerſum nempe negotium ſic ſeſe habet: Tota illa maſſa, quam ſanguinem vocamus, ex quadruplici partium genere conflata eſt, nempe ex partibus rubicundo-floridis, ex pingvibus atque ſulphureis, ex aquoſo-ſeroſis, plus minus ad viſciditatem inclinantibus, ac denique ex ſpiſſioribus, mucidis, craſſis ſimulq; terreſtribus. Quae omnia licet ejus ſint indolis, ut difficulter admodum in unum atq; homogeneum liquorem faceſſant, motu tamen ſanguinis inteſtino pariter ac progreſſivo ita tandem concutiuntur, ut in unum atque (ſaltem ad ſenſum) homogeneum humorem degenerent.

§. VIII.

Et quemadmodum ſingula haec temperamenta diſpoſitione humorum materiali inter ſeſe mutuo differunt: Ita diverſam quoque in ſingulis obſervamus corporis externi habitudinem, cui deinde ipſius quoque animae inclinationes exacte reſpondent; Unde GALENUS optime dixit: *Mores animi ſequi temperamentum corporis.*

§. IX.

Illi itaque, qui temperamento gaudent *ſanguineo*, utplurimum faciem habent plus minus rubicundam, nonnunquam, pro ſtatus plethorici diverſa habitudine, obſcurius rubentem, habitus corporis plenus eſt, ſucculentus atque carnoſus, partes tamen muſculoſae laxiores ac ſpongioſiores, eximioq; calore perfuſae ſunt. Ratione functionum animalium eadem diſpoſitio eſt. Ingenio

genio enim ſunt prompti, in laetitiam facile effunduntur, delicatioribus delectantur cibis & peculiarem ſuis in actionibus & functionibus promptitudinem praebent conſpiciendam.

§. X.

Quorum vero temperamentum *Cholericum* eſt, iis facies plerumque ex pallido florere, interdum tamen etiam Judaeorum colore perfuſa eſſe ſolet. Quoad habitum corporis externum, ſtrictior ille, macilentus ac veluti conſtrictus adparere ſolet, vaſis interea ſangvineis capacioribus exiſtentibus. Ad iram, excandeſcentiam ſimilesque impetuoſos motus ſunt proclives, arrogantiae atque ſuperbiae dediti ac proinde aliis ferme intolerabiles. Optimo tamen pollent judicio, licet difficile non ſit, eosdem reddere confuſos, cum ad praecipitantiam ſimul, propter vehementiam motus, ſint proclives.

§. XI.

Qui *phlegmatico* praediti ſunt temperamento, colorem faciei pallidum, ſubinde ad cachexiam inclinantem offerre ſolent, habitum corporis mollem atque ſpongioſum, vaſa vero ſangvinea admodum exilia ac ſaepius vix in oculos incurrentia in exteriori corporis ſuperficie poſſident, frigore facile percelluntur, frequenter ſputant, ſomnolentiae, otio, oblivioni, incuriae dediti, ingluviei inſuper addicti, licet non tam qualitatem quam quantitatem reſpicere ſoleant, ingenio ſimul atque judicio hebetes, inque omnibus ſuis actionibus tardiores.

§. XII.

Quod denique illos, qui temperamentum *melancholicum*

cholicum poſſident, attinet, ſingularem ſuis in actionibus gravitatem ac tarditatem oſtendunt, habitum corporis macrum habent valdeque conſtrictum, vaſis interea ſangvineis admodum capacibus & ſupra modum dilatatis. In pathematibus animae ſubitaneis viciſſitudinibus obnoxii, mox hilares, mox iterum triſtes ſunt, mox abſtemii, mox voraces, mox alvum fluidam, mox iterum conſtipatam habent, irae, excandeſcentiae aliisque adfectuum vehementiorum commotionibus ad exceſſum usque deditì; Quorum omnium aetiologias evolvere nunc non vacat.

§. XIII.

Paucis tamen fundamentum *moralitatis perſonalis* genuinum hic adumbraſſe, ê re eſſe videtur. Illud autem conſiſtere in diverſa craſi ſangvinis eidemque conſpirante corporis habitu, jam dudum agnovit *Galenus*, ceu paulo ſuperius jam monuimus. Imo res ipſa loquitur, quod certi homines perſonaliter conſiderati, ſecundum certas & ſibi proprias diſpoſitiones corporis, etiam certas ſibique proprias experiantur propenſiones, mores & inclinationes animi. Res ipſa enim ſatis docet, quod nonnulli homines reliquis alacriores & hilariores, opportunitatis etiam quietisque amantiores; Alii contra immoderatiores omnisque morae impatientes & ad feſtinandum valde proclives; Alii meticuloſi, diffidentes & valde ſuſpicaces, & ad agendum & in agendo quidem tardi, attamen aſſidui rerumque ſuarum ſatagentes ſint; Alii denique ignavi, ſomnolenti, incurii & otioſi rerumque ſuarum conditione praeſenti quomodocunque contenti: Quam omnem diverſitatem actionum, morum & inclinatio-

M num

num animi aliunde non pendere, niſi ex diverſitate ſangvinis eidemque conſpirantis habitus corporis & mutua illorum ad ſeſe invicem habitudine, neminem, putamus, negaturum eſſe.

§. XIV.

Rem autem ſic ſeſe habere, oſtendunt omnia ſic dicta temperamenta manifeſtis plane ſpeciminibus: Nam in temperamento ſic dicto ſangvineo, cum ſangvis optima temperie & fluiditate gaudeat, ſimul etiam ſtructura talis in habitu corporis obſervatur, nempe mollis, poroſo-ſpongioſa cum viarum & meatuum libertate: Ex qua mutua humorum ad vias habitudine & proportione ſequitur etiam promptus humorum progreſſus, & mediocris ad progrediendum impulſus & conſequenter non facile metuenda liberioris hujus progreſſus interceptio: Hinc vero neceſſe eſt, ſimilem in ipſam animam redundare ſucceſſus facilis atque prompti proportionem: Imo hinc eſt, quod ſangvinei omnes ſuas actiones cum ſingulari facilitate, promptitudine, alacritate & ſecuritate proſequantur, ac tandem de facili ſuarum actionum ſucceſſu laetentur, gaudeant ſibique veluti adplaudant.

§. XV.

Quod vero *Cholericum* attinet temperamentum, in eo non minus exacta talis humorum partiumque ſolideſcentium proportio deprehenditur: Nempe, cum ſangvis quoad craſin ſic ſatis laudabiliter temperatus ſit & ad tenuem quidem fluxilitatem inclinet, interea tamen ſulphureis activioribus partibus gaudeat: Hinc

Hinc habitus corporis poroſo-muſculoſus ſtrictior eſt, vaſa vero ſangvinea capaciora, qualemcunque ſtricturam iſtam partium ſolideſcentium impulſu vegetiore, ſatis compenſante. Ex qua motus ad materiae mobilitatem & hujus ad illum mutua relatione & proportione in ipſam quoque animam reſultat vivida activitas, negotia ſemel coepta proſequendi, omniaque, quae forte objiciuntur, obſtacula removendi: Unde *Cholerici* non ſolum nullos labores reformidare ſolent, ſed & intrepide illos ſubeunt ac de felici tandem eorum exitu ſibi adplaudunt & congratulantur.

§. XVI.

In *Melancholico* ita dicto *temperamento* ſanguis eſt ſpiſſior ſimulque multis partibus ſolidis terreſtribus oneratus, meatus vero anguſtiores & ſtrictiores, ipſaque vaſa ſatis capacia ſunt. Ut itaque moderatis ſucceſſibus, non obſtante ſpiſſitudine & progreſſus lentore, promoveatur, impulſu quidem fortiore, attamen proportionato juvatur, non tamen nimio & exceſſivo, quia alioquin congeſtio, ſtagnatio, ſtaſis ac tandem conſtipatio oriretur. Similem quoque lentorem in actionibus ſuis moralibus conſpiciendum praebent, interim propoſito ſemel in animum admiſſo pertinaciter inſiſtunt, nec ab eodem ſeſe avocari facile patiuntur.

§. XVII.

Denique in *temperamento phlegmatico* humores ſunt dilutiores majorique ſeri copia abundant, partes vero ſolideſcentes poroſo-ſpongioſae rariore textura prae-

ditae, ubi proinde moderatus impulſus ſufficit ad liberam progreſſus neceſſarii continuationem praeſtandam: Vaſa vero ſanguinea iterum minus capacia exiſtunt; Unde pallor faciei in phlegmaticis procedit. Sicuti vero ab hac qualicunque humorum & habitus diſpoſitione lenis atque placidus procedit progreſſus: Ita in ipſa quoque anima talis agendi idea ſequitur, nempe cum lenitate, moderatione & tranquillitate res ſuas proſequendi conjuncta.

§. XVIII.

Ex quibus omnibus tandem conficitur: Congruentiam illam pathematum animae cum certis illis temperamentis non ſolummodo in ſimplici materiali ſanguinis ſecundum varias maſſae ſuae particulas diſpoſitione ac varietate, ſed & diverſis ſanguinis motibus, proportionatum quoque in anima ipſa motum excitantibus conſiſtere, minime tamen etiam proportionato corporis habitu excluſo.

§. XIX.

Praeterea circa ſingula haec temperamenta, hactenus deſcripta, obſervari meretur, quod diverſimode inter ſeſe mutuo tranſmutentur, unumque in alterum veluti transformetur. Solemnius tamen eſt, fieri hunc tranſitum ex habitu corporis pleno atque carnoſo in ſtrictiorem magisque macilentum, ſive hoc fiat per morborum antecedentium, v. c. febrium inſultus, ſive per paſſionum animae, v. g. triſtitiae, moeroris &c. vehementiam, ſive per motus corporis laborioſiores aliarumque cauſſarum influxum: Contra ex habitu

habitu corporis ſtrictiore in pleniorem non ita ſolemniter transformationem iſtam obſervare ſolemus: Unde temperamentum phlegmaticum & ſanguineum haud infrequenter quidem in cholericum& melancholicum corporis ſtatum tranſmutari videmus, non vero viceverſa. Contingunt autem tales mutationes frequentius juniore, quam adultiore aetate, niſi manifeſta conſtitutio morboſa praeceſſerit.

§. XX.

Sicuti autem non materiali tantum elementorum ſanguinem componentium diſpoſitione, ſed & univerſi corporis habitus diverſa conſtitutione ſingula illa temperamenta inter ſe mutuo diſcrepare animadvertimus; Ita evidenti quoque connexione conſequitur: Eandem temperamentorum diverſitatem ad diverſos quoque morboſos adfectus diſponere, experientia id ſolemniſſime ubique confirmante.

§. XXVI.

Et quod proinde *ſanguineos* attinet, inficias quidem eundum non eſt, hoc temperamentum omnium reliquorum optimum ac maxime temperatum exiſtere, utpote in quo motus vitales, ſecretorii & excretorii omnium expeditiſſime ſuccedunt, quae praerogativa haud vulgaris eſt, qua prae reliquis omnibus gaudent. Nihilominus & ſuos tamen patiuntur manes, & ad quaſvis atmoſphaerae aëriae mutationes, praeſentisſimas in corpore alterationes experiuntur: Unde frequentibus ſubjiciuntur haemorrhagiis, non

 tamen

tamen ſemper per nares aut alias innocentes vias & loca, ſed ê nobilioribus ſubinde partibus erumpentibus. Si exitu ſuo fruſtrentur, *cephalalgiae*, *odontalgiae*, *otalgiae*, *arthritides vagae*, interdum etiam *fixae* aliique adfectus congeſtorio-rhevmatici haud rari eſſe ipſis ſolent. Ex eadem cauſſa ad congeſtiones humorum-ſtagnatorias valde proclives ſunt, & non raro *ophthalmias*, *pleuritides*, *peripnevmonias* & *affectus eryſipelaceos* experiuntur: Id quod propterea tantopere mirandum non eſt, cum propter habitum corporis laxiorem & vaſorum ſanguineorum anguſtiam facile congeſtiones humorum incurrant, â quibus tota adfectuum dictorum phalanx originem ſuam trahit.

§. XXII.

Cholerici vero, cum ad impetuoſos atque praecipites corporis aeque ac animi motus inclinent, febribus inflammatoriis, *pleuritidi*, *peripnevmoniae*, *phrenitidi*, *ſputationibus ſanguinis ſinceri &c.* quae interdum, hecticam, phthiſin aliaque mala pediſſequa habent, expoſiti ſunt. Eandem ob vehementiam & impetum pathematum animae haud infrequenter quoq; ſpasmos, vomitus bilioſos, cholericam pariter atque colicam paſſiones, diarrhoeas bilioſas ſimilesque adfectus patiuntur.

§. XXIII.

Phlegmatici, quorum quippe in corpore magna non ſolum humorum ſeroſorum, plus minus ad viſciditatem inclinantium colluvies reperitur, ſed & motus & circulatio eorundem ſegnior reſpondet, non

minus

minus graviſſime mulctantur; Illorum enim facies pallida & ſubinde lurida una cum habitu totius corporis cachectico hydropem haud raro comminatur. Et ſicuti viri involuntarium ſeminis profluvium & perfrequentes pollutiones nocturnas experiuntur: Ita foeminae contra fluore albo ſumma cum moleſtia viriumq; dejectione divexari ſolent. Et quod paullo ante vidimus evenire ſanguineis, ut ad leviſſimas quaſvis aëris atmoſphaerici mutationes ſenſibilioribus humorum exagitationibus obnoxii ſint: Idem illud contingit etiam *Phlegmaticis*: Unde de *tuſſi humoroſa*, *angina*, potiſſimum *ſpuria*, *aſthmate humorali*, *cruditate ventriculi acida*, *colica flatulenta*, *ſcabie*, praeſertim *humida*, *tumoribus glandularum*, v. g. *tonſillarum*, *parotidum* &c. perfrequenter eosdem conqueri audiemus.

§. XXIV.

Quod denique *Melancholicos* ſpectat, certum eſt, ſpiſſitudinem ſanguinis humorumque difficilem quoq; eorundem circulationem impeditumque per partes poroſo-fibroſas tranſitum cauſari: Unde ſua natura ad morbos chronicos, *melancholiam hypochondriacam*, *infarctus viſcerum*, *ſcirrhos* & *inflammationes lienis* & *hepatis*, *calculum renum* atq; *veſicae*, *podagram*, *arthritidem fixam*, *pertinaces alvi obſtructiones*, *icterum nigrum*, &, ſi foeminae fuerint, *affectiones hyſtericas* aliaque *pathemata ſpaſmodica* diſponuntur: Quae omnia exemplis & obſervationibus Practicorum confirmari facile poſſent, ſi prolixioribus nobis eſſe placeret.

§. XXV.

Poſſunt vero haec, quae hucusq; a nobis adlata ſunt, ad praeſentem, nempe medicum ſcopum ſufficere. Equidem nec inutile nec injucundum fore, ſperamus, ſi paucis, hiſtorica ſaltem ſerie, recenſeremus, quaenam temperamentorum varietates adhuc oriantur ex differentia (1) aetatis. (2) Integrarum nationum. (3) Statuum diverſorum per corruptionem hominum in mundum introductorum, & (4) atmoſphaerae aeriae, climatum aliarumq; cauſſarum partim naturalium partim moralium, quorſum haereditariam Parentum diſpoſitionem, educationem, conſuetudinem, inſtitutionem, imitationem &c. referimus: Quod enim ſingulae hae circumſtantiae diverſiſſimos in hominibus mores differentesque animorum propenſiones pariant, neminem, puto, jure in dubium vocaturum: Verum cum haec omnia ad ſcopum noſtrum medicum directe non faciant, prolixius ea hac vice proſequi nec libet nec licet, commodiori loco & occaſioni ea reſervantes.

CAPUT

CAPUT SEPTIMUM.

De
Conſtitutione & uſu Organorum tam animalium *quam* vitalium; *Sive: Brevis & ſuccincta* Oeconomiae animalis *ac* vitalis *ſecundum principia* Mechanico-organica *delineatio.*

§. I.

Cum vita animalis abſolvatur perenni, juſto atque moderato progreſſu motus ſangvinis circularis & ſuccedentium ſub illo variarum *ſecretionum* & *excretionum*, id vero ſine organis, proportionata ſtructura mechanica gaudentibus, fieri non poſſit: Proximum nunc eſt, ut variorum illorum organorum, quibus tanquam inſtrumentis ſuis anima utitur, ad varios actus *vitales* pariter ac *animales* ſuo in corpore adminiſtrandum, veram habitudinem, conſtitutionem & uſum, quem *oeconomiae animali* exhibent, expendamus.

§. II.

Id quod, ut condigne a nobis praeſtetur, fundamenti loco hic ſubſternimus, medicos ſecundum eminentiam hodieque MECHANICOS dictos in eo nullam quidem reprehenſionem promereri, quod in corpore humano *mechaniſmum* quendam, cujus ope plerique, quos in eodem admiramur, actus ſuccedere, ſive, quod idem eſt, mechanica tantum ratione, i. e. beneficio ſpecificae organorum corporeorum conformationis, molis, figurae, connexionis, ſitus &c. perpetrari ſibi praefiguraverint: Verum, quod ex meris & abſolute inevitabilibus duriſſimae neceſſitatis legibus, ſine ullo ad finem & media inſtrumentalia, ad illum tendentia

reſpectu haec omnia procedere, omni organica ratione neglecta, ſibi imaginati fuerint, id quidem neutiquam tolerandum eſt. Poſſentq; vel ex eo, quod ipſimet allegare non erubeſcunt, exemplo horologii vel alterius cujusdam machinae artificialis evidenter convinci, dum utique quotidie obſervant, ejuſmodi automa propter eam, quam accepit, rotularum atque partium ſuarum aptitudinem mechanicam, qualitercunq; quidem moveri & horas indicare, ſonum edere, interdum etiam ſolis, lunae aliorumq; planetarum motum oſtendere, atque ita veram machinam eſſe: Nunquam tamen ſine perita, exquiſita ac tempeſtiva artificis directione veras atque genuinas, loci nempe meridiano exacte conſpirantes horas &c. indicare, ſicque praeter iſtam *mechanicam* ſimul vere *organicam* rationem habere: Id quod multo adhuc eminentius in corpore humano vivo ſic ſeſe habere, haud difficulter permittetur ab iis, qui illud tanquam verum animae organon conſideraverint, atque mutuam iſtam *mechaniſmi* ad *organiſmum* relationem & ſubordinationem rite perſpectam habuerint.

§. III.

Quibus ita praeſuppoſitis, nunc ea, quam natura ipſa nobis ſubminiſtrabit, ſerie praecipua corporis noſtri organa eorundemq; *habitudinem*, qua pollent, *mechanicam* ita ſiſtemus, ut *organica* quoque ratio ſimul ubiq; pateſcat, qua videlicet anima organis iſtis tanquam inſtrumentis ac mediis utatur ad ſcopos, fines atque effectus, quos intendit, convenienter ac proportionate obtinendum.

§. IV.

Hoc igitur ordine oeconomiam actuum vitalium

contem-

contemplaturis, primo omnium occurrit alimentorum *manducatio* ſeu *maſticatio* in ore peragenda; Quae cum ſine maxillarum, inferioris mobilis a ſuperiori immobili diductione, ſeu oris reciproca apertione & occluſione fieri nequeat: Hinc, priusquam *commorſionis* alimentorum ratio explicetur, alternans oris apertio & clauſio exponenda eſt. Duplex isque admodum elegans hic conſpicitur *mechaniſmus*, tam in maxillae inferioris a ſuperiori abductione verſus pectus, ſeu apertione oris, quam valida *illius* verſus *hanc* compreſſione, ſeu clauſione ejusdem. *Prior* abſolvitur concinna non modo articulatione maxillae inferioris ſupra apophyſin ejus condyloidem, cartilagine mobili obductam, cum oſſe temporum, ſed & ipſorum muſculorum biventrium, qui ex foſſula proceſſus maſtoidis baſi inſculpta carnoſi oriuntur, & internae, mediae, & inferiori menti parti implantantur, forti actione: *Poſterior* vero beneficio muſculorum *temporalium*, *maſſeterum & pterygoidum* tam *externorum* quam *internorum* expeditur, quorum quippe omnium muſculorum ſimul agentium vi & efficacia, valida fit compreſſio maxillae inferioris verſus ſuperiorem, ut cibi intermedii dentibus, varia eum in finem figura & mole inſtructis, commorderi & incidi recte valeant.

§. V.

Fallitur autem, qui hic purum putum *mechaniſmum* animo ſuo praefiguraverit. Quis enim ignorat, omnes praedictos muſculos immediatae animae poteſtati in homine ſubjectos eſſe, atque adeo manifeſtam *organicam rationem* maſticationis actui ſubeſſe? Imo ne in ipſis quidem brutis abſolutam hic neceſſitatem *mechanicam* os vel

 aperien-

aperiendi vel claudendi fingere licebit: Quod ſi enim cani v. g. rem abſurdam vel obſcoenam objeceris, machina oris non aperietur; Id quod prompriſſime fiet, ſi fruſtulum carnis, panis butyro illiti &c. eidem obtuleris. Quid vero cauſae ſubeſt? An forte priori in caſu exhalabunt effluvia muſculos praedictos ita adficientia, ut nolentes volentes clauſionem oris efficere cogantur? Vel an poſteriori in caſu alterius generis vapores, aliter figurati egredientur, muſculos ita commoventes, ut, maxillis vi a ſe mutuo diductis, os aperiri neceſſario debeat? Vereor ſane, ne plerique talia cogitata, deliriis exquiſitis paria ſint habituri.

§. VI.

At vero, cum ad maſticationis actum abſolvendum, non ſimplex unius maxillae ad alteram adductio vel groſſior comminutio, dentium inciſorum ope facta ſufficiat, ſed fortiore attritu opus ſit: Hinc elegans iterum *mechaniſmus* hic conſpiciendum ſeſe praebet: Non enim ſolum modo dentes molares eum in finem latam accepere ſuperficiem, ſed & fortem arctationem utriusq; maxillae, cujus ope ciborum ſolidiorum attritus perficitur, muſculi *buccinatores*, *orbicularis labiorum*, *Zygomatici*, *elevator labiorum communis*, *elevator labii ſuperioris proprius*, *depreſſor labii inferioris proprius*, nec non *elevator labii inferioris proprius*, & *depreſſor labiorum communis* praeſtant; Quibus quippe omnibus ſimul operantibus, labia pariter ac genae gingivis atque dentibus ita admoventur, ut eſculentorum ac potulentorum parum vel nihil intra genas excidere queat. Juvat tamen eximie iſtud manducationis negotium ipſa quoq; lingua, quae, cum tota muſculoſa, atque adeo verſatilis & in quamcunq;

regio-

regionem mobilis ſit, ut antrorſum, retrorſum, ad latera, & mediantibus fibris muſculoſis, ſuper muſculos linguae decurrentibus, variis aliis modis motuum exerceri poſſit: Hinc planum eſt intelligere, quomodo intercedente mirabili tali *mechaniſmo* cibi dentibus intermedii atteri, comminui ſenſimque ita praeparari debeant, ut commode mediante oeſophago non tantum deglutiri, ſed & in reliquis organis, ad quae tranſmittuntur, tanto felicius ſubigi & in cremorem lacteum converti valeant. Abſit vero, ſolam *mechanicam* rationem hic iterum ſomniare velle: Cum *organicus nexus* inde ſatis manifeſte dilucescat, quod & in linguam & in muſculos praedictos anima directum & immediatum plane imperium exercere ſoleat.

§. VII.

Cum vero *maſticationis* hujus in ore peragendae tanta ſit utilitas atque neceſſitas, ut & veteres medici jam dudum agnoverint, vitia concoctionis primae (eſt enim *manducatio* veluti rudimentum digeſtionis primae) raro emendari in ſecundis ac tertiis; Et *Arabes* vitam ſuam odiſſe, qui maſticationem neglexerit, eloquio ſuo confirmaverint: Hinc, ut ad concoctionem in ventriculo continuandam tanto aptiora evadant alimenta maſticata, ſalivae, liquoris nempe admodũ penetrantis & fermentativi adfuſione opus eſt, quae ex variis fontibus, nempe parotidibus, glandulis ſublingualibus, palatinis, maxillaribus, uvula, tonſillis, variisque aliis ductibus ſalivalibus, *Stenonianis*, *Warthonianis*, *Bartholinianis*, *Nuckianis*, *Rivinianis* aliisque ſcaturiginibus in os internum confluit & cibis ſeſe immiſcendo magis illos reſolvit, attenuat, motumq; inteſtinum toti maſſae inducendo,

 commo-

commodum macerationis ac digeſtionis rudioris inſtrumentum evadit.

§. VIII.

Ubi nemo in ſingularum harum partium, ſalivae ſe & excretioni famulantium fabrica artificium *mechanicum* frivole negaverit: Dummodo *organica* ſimul *ratio* debite agnoſcatur & admittatur, quae in eo ſtatim ſeſe manifeſtat, quod non modo prolectio ſalivae in ore ſit voluntaria, ſed & ex ſolo ciborum, palato arridentium, adſpectu tenuis & cryſtallina lympha admodum copioſe in ore colligi & confluere ſoleat; Id quod gratiſſimo ſpectaculo in eſurientibus quotidie conſpicere licet.

§. IX.

Cibi hoc modo comminuti & ſaliva undiq; perfuſi ad fauces protruduntur, rectoque itinere per totum oeſophagi tractum ad ventriculum, tanquam veram oeconomiae animalis culinam dimittuntur, ut ibidem magis excoquantur, praeparentur & in cremorem lacteſcentem, quem chylum hodie vocant, tandem convertantur. Ubi duplex iterum *mechaniſmus* noſtro ſeſe conſpectui offert, *alter*, quo alimenta manducata faucibus admoventur, *alter* vero, quo eadem per oeſophagum ad ventriculum tranſmittuntur. *Prior* actione muſculorum linguae, nempe *genioglosſi*, *ſtyloglosſi* & *ceratoglosſi*, nec non *genarum* atque *labiorum* maximam partem praeſtatur: *Poſterior* vero, beneficio *Oeſophagaei*, abſolvitur, tunica tamen oeſophagi muſculoſa, quae & *orbicularibus* & *longitudinalibus* fibris conſtat, ſymbolam ſuam conferente, quatenus nempe illarum ope oeſophagus modo contrahitur modo dilatatur, eaque ratione deglutienda, nova ibi ſaliva permixta, & proinde lubrica magis redita,

dita, ulterius promoventur & per ventriculi os ſuperius, eo tempore hians & apertum, in cavum ejus propelluntur: Non certe ſimplici ac nudo harum partium *mechaniſmo*, ſed *organica ratione* manifeſte iterum concurrente: Quia & admotio ciborum ad fauces & excipiens illam deglutitio ac tranſmiſſio per oeſophagum ad ventriculum tales rurſus actus ſunt, quos voluntarie ſolo ſuo imperio anima perficere poteſt & ſolet.

§. X.

Ventriculo ſic excepta, quae paullo ante per oeſophagum deglutita fuerant, alimenta, ibidemq; aliquamdiu commorantia, ulteriorem ſubeunt praeparationem atque in lacteum tandem liquorem convertuntur, idq; ſimpliciſſimo beneficio *extractionis*, qualem pharmacopoeis, tincturas vel eſſentias parantibus ſolemnem eſſe, conſpicimus. Sicuti enim artificio pharmaceutico ex vegetabilibus v. g. menſtruo quodam irroratis & pro re nata perfuſis, accedente extrinſecus temperato calore, tincturam vel eſſentiam egregii coloris extrahi obſervamus: Ita ſimiliter beneficio menſtrui gaſtrici, partim ex ſaliva continuo in ventriculum depluente, partim ex glandulis gaſtricis tunicae vaſculoſae adhaerentibus eo eructata, communicati, auxiliante inprimis moderato lenique ventriculi & partium adjacentium calore & adjuvante laterum ventriculi muſcularium motu attritorio admodum valido, ſimulque concurrente diaphragmatis motu deſcenſorio, & muſculorum abdominalium ſub exſpiratione compreſſorio, ex alimentis tinctura talis albicans, quam chylum Neoterici vocant, elaboratur & quaſi extrahitur.

§. XI.

§. XI.

Quo chylificationis modo rite agnito, concidit numeroſa opinionum ac ſpeculationum cohors circa genuinum, quo fieri putatur, modum, alium quippe antiquis, alium recentioribus agnoſcentibus. *Empedocles* enim putrefactione; *Hippocrates* & *Galenus* calore innato, *Eraſiſtratus* & noſtro tempore *Pittcarnius* attritione & amplexu ventriculi eam fieri ſuſtinuere. *Aſclepiades Bythinus* materiam totam crudam, ſicuti adſumta eſſet, per totum corpus deduci exiſtimavit. *Avicenna* ſolo ventriculi calido innato non contentus, viſcerum proxime adjacentium, hepatis, lienis, pancreatis, diaphragmatis &c. calorem adſcivit. *Sylvio* placuit fermentatio & quidem reliquiis ciborum in rugis ventriculi haerentibus, moraque diuturniore acrioribus factis perficiendam, quam etiam ſententiam adopravit *Waldſchmidius*. Alii cum antiquis facultatem χυλοποιητικην effingunt, alii menſtruum gaſtricum modo acidae, modo alcalinae, modo neutrius indolis adſciſcunt. Sub qua opinionum omnium, mire inter ſe mutuo diſcrepantium mole, qui veram, quae una tantum eſt & eſſe poteſt, nobis detexerit, eum merito albae gallinae filium ſalutabimus. Quibus interim ſpeculationibus cunctis ſuperſedere facile licebit, ſi ſimplex ille, a nobis commendatus extractionis modus admittatur & agnoſcatur.

§. XII.

Verum inanes tales ſpeculationes, in *modo chylificationis* determinando occupatas, prolixius commemorare nihil attinet. Id potius adhuc agendum nobis eſt, ut praeter *mechanicam*, quam nemo negat, *organicam* quoq; *rationem* chylificationis ventriculi negotio ſubeſſe, demonſtretur

ſtretur, quae etiam ex eo haud difficulter evincitur, quod appetitus de nulla re materiali non ſolum praedicari non poſſit, ſed quod is etiam diuturna conſuetudine certo tempore revertatur, quod, animo hilari exiſtente, concoctio feliciter ſuccedat & contra eodem paſſionibus variis, moerore ac triſtitia occupato, vel profundis meditationibus incumbente elangveat ac tandem penitus ſupprimatur, totumque corpus alimentari ſucco defraudatum emarceſcat.

§. XIII.

Hujus chylificationis rudimenta, quae hactenus in ventriculo poſita ſunt, ulterius perficiuntur in inteſtinis tenuibus, potiſſimum duodeno, quod pyloro continuum eſt, & in quod chylus in ventriculo recens elaboratus, mediante motu ejusdem periſtaltico, propellitur. Quare fiſtula inteſtinalis praeter tunicam villoſam, ſeroſo-mucido humore ſemper madidam, nacta quoque eſt aliam tenuiorem, cui glandulae ſic dictae *Peyerianae*, in toto inteſtinorum tractu conſpicuae inhaerent, illique incumbit muſculoſa duplici ſerie fibrarum, *annularium* nempe ſeu *circularium* in parte concava, & *longitudinalium* in parte convexa, circulares decuſſantium inſtructa, quarum actione modo contrahitur, modo dilatatur fiſtula, ſicque non modo chyli partes exactius ſibi permiſcentur, comminuuntur, attenuantur & reſolvuntur, ſed & progreſſus per reliqua inteſtina promovetur, & id quidem manifeſta rurſus ratione mechanico-organica, cum ſola etiam & nuda mentis fictione motus inteſtinorum periſtalticus ita inverti valeat, ut, cum naturaliter deorſum vergat, nunc ſurſum tendendo vomitum excitet, v. g. ſi crinem vel pediculum butyro inhaerere fingatur.

§. XIV.

Infunditur hunc in finem inteſtino duodeno duplex non modo bilis, hepatica pariter ac cyſtica per ductum *choledochum* communem, ſed & per ductum *Wirſungianum* ſuccus pancreaticus, qui, cum ſalivalis ſit indolis, hinc una cum

bile crudiorem chylum diſſolvit, exquiſitius elaborat, ſubigit ac perficit, tandemque aptum reddit, ut vaſcula lacteo-lymphatica ſubingredi & ſanguini commiſceri queat. Qua proinde aptitudine donatus, ac dicta ratione bile, ſucco pancreatico & lympha inteſtinali dilutus, actu ab oſculis venarum lactearum reſorbetur, admodum tamen ingreſſum iſtum facilitante perpetuo motu periſtaltico ventriculi inteſtinorumq;, deſcenſorio diaphragmatis & ipſorum quoq; abdominis muſculorum compreſſorio, non excluſo tamen etiam ſtrictorio tonico meſenterii. Quae omnia licet diſpoſitionem mechanicam ſic ſatis perſpicue innuant: Non minus tamen etiam adfluxus & adfuſio tam bilis quam ſucci pancreatici, non promiſcue quolibet, ſed certo tantum tempore contingens, & quidem in certa tantum quantitate, chylo crudiori porportionata, ſatis evidenter demonſtrant, *organicam* quoque *rationem* complicatam eſſe; Cum tales utique circumſtantias immateriales a puro harum partium mechaniſmo expectare vix liceat.

§. XV.

Chylus interim hoc modo exaltatus & ab oſculis venarum lactearum reſorptus, iter ſuum ulterius proſequitur ad *glandulas*, per latifundium meſenterii hinc inde diſperſas, ipſumque *Pancreas Aſellii*, in medio ejus ſitum, quod ante aliquot jam annos eminentis plane molis & inſuper totum ſteatomatoſum in puero duorum cum dimidio annorum, atrophia penitus conſumpto, conſpeximus, licet alias longe minor in homine, quam in brutis glandula iſta meſenterii centralis eſſe ſoleat: In qua proinde novae, ut ſuſpicari fas eſt, lymphae admixtione dilutior puriorque factus chylus, per vaſa lactea ſecundi generis tendit ad cyſternam lumbarem, ex qua deinde in ductum thoracicum, per totam dorſi longitudinem adſcendentem, ejusq; tandem ope in venam ſubclaviam ſiniſtram (nonnunquam etiam dextram, pro vario naturae luſu, licet rarius) infunditur, regreſſum numeroſis valvulis facile intercipientibus, ſicque ſanguini
ibidem

ibidem confuſus chylus, per venam cavam deſcendentem ſive ſuperiorem in cor, tanquam communem ſanguinis oceanum, pergit, ut in ſubſtantiam, quoad ſenſus homogeneam, nempe ſanguinem convertatur.

§. XVI.

Quae vero, reſorpta ſubtiliori ac mobiliori chyli portione, reſtitant craſſiores & maximam partem exſuccae moleculae, reliquum inteſtinorum tenuium tractum vi & energia motus periſtaltici ſenſim emetiuntur, donec ad craſſiora eorundemq; extremum, nempe rectum devolutae, capitis mortui inſtar, egerantur & ex corpore animali faeces inutiles penitus tandem proſcribantur. Et quanquam deſcenſui excrementorum alvinorum ſitus inteſtini recti perpendicularis, ejusdemque excretioni madida interior ejus ſuperficies admodum velificentur: Ideo tamen exiſtimandum non eſt, ſolas haſce *mechanicas* circumſtantias ad faecum alvinarum excluſionem ſufficere, aut plane irritationem quandam, a mole vel qualicunq; acrimonia fibris inteſtinalibus inductam hic in cenſum venire: Cum non modo excretio faecum alvinarum conſuetudini admodum obſecundet, ſed & compreſſio muſculorum abdominis, ac retentio halitus in niſu excretorio poteſtati animae manifeſte ſubjecta ſit. Ut proinde, qui concurrentem hic organicam rationem agnoſcere nollet, pervicaciae haud tolerandae reum ſeſe faceret.

§. XVII.

Verum ad *ſanguificationem* nunc tranſeundum eſt, quae actum mixtionis denotat, qua principia chyli pingvia ſulphurea, aquoſo-ſeroſa atque terrea, ſub ipſo continuo ſanguinis motu progreſſivo atque circulari inter ſe mutuo intimius commiſcentur, ut in homogeneum rubicundum liquorem tandem convertantur, qui ratione craſεωs eo melior eſt atque temperatior, quo purioribus conſtat principiis & quo arctius illa connubium iniêre.

§. XVIII.

Hanc autem tam nobilem ſpartam *αἱματοποιητικὴν* tota venerabilis antiquitas demandavit hepati, alii vero lieni, modernorum alii cordi, alii univerſo ſyſtemati vaſorum tam arterioſorum quam venoſorum, & alii denique ſanguini ipſi idem tribuerunt officium. Hepar jam dudum de throno ſuo deturbatum eſt, ſiquidem non defuerunt, qui ultima ipſi cecinere, & ſepulturam ejus publica inſcriptione proſequuti ſunt. Neque ſoli cordi iſta ſangvificationis praerogativa facile concedenda eſt, quandoquidem ſtructura ejusdem muſculoſa ſanguini non tam fabricando, quam tantum recipiendo ac propellendo deſtinata eſſe videtur. Lienem qui invita prorſus minerva officio tam nobili praefecerunt, omnium peſſime rationes iis ſubduxiſſe videbuntur, qui cum *Eraſiſtrato* viſcus prorſus inutile, ut etiam animalibus vivis, ſalva vita, exſcindi posſit, judicarunt. Quare ad ſcopum propius accedere videntur *Gliſſonius*, *Harvaeus* aliique medici Angli, adſerentes, ſanguinem ſui ipſius opificem eſſe, quamvis adjiciat *Bergerus*, unum eundemque eſſe opificem & ipſam ſanguificationis officinam, ſc. ſanguinem ipſum, in motu vitali conſtitutum, & canales atque organa, quibus ille continetur ac vehitur, praecipue vero cor cum pulmonibus, quorum omnium adſidua actione & inteſtino humorum disſidio non minus diviſio quam mixtio & temperatio minimorum chyli & ſanguinis perficiatur. Tali enim modo, ſi unquam, hic certe locum invenit pervulgatum illud: *Simile gignit ſimile.*

§. XIX.

Quibus ita conceſſis, corruunt ſua ſponte, quae multi Recentiorum & de fermento cordis, quod ex arteriis cordis coronariis adveheretur, & rarefactione inde procedente fabulati ſunt. Omnem enim fidem humanam ſuperat, guttulam ſanguinis, in ventriculos cordis illapſam, a liquore iſto fermentali ibidem reſidente in tot numero partes eſſe diſcerpendam, ut bis millies majus, quam habuerat ante, occupet

occupet ſpatium. Atque adeo talis motus effervefcentiae ſeu rarefactionis minime quadrare videtur ſanguini & chylo recenter admixto, in unum atque homogeneum ad ſenſum corpus convertendo ſeu adſimilando, quin potius lenis atque modeſta eſſe deberet, ſi quae concurreret, fermentatio. Qua interim ratione nonnunquam ſanguis in orgaſmum ſeu ebullitionem concitari poſſit, imo ſoleat, alibi docebitur.

§. XX.

Ex iis autem, quae huc usque de chylificatione aeq; ac ſanguificatione adlata ſunt, non arduum erit agnoſcere, multas quidem in utroque hoc actu vitali concurrere circumſtantias mechanicas, i. e. organa, chyli & ſanguinis elaborationi dicata relativam quandam cum effectu producendo habere convenientiam: Niſi tamen ad eadem illa organa concurreret agens quoddam internum, actuans, dirigens atque in novam ſpeciem determinans imo & ad novum finem diſponens, tantum abeſt, ut organa, utut in diſpoſitione ſua mechanica ſalva & integra, deſtinatum iſtum effectum productura, ut potius ab eodem quam longiſſime receſſura forent. Ut proinde non debeamus non hic iterum rationem *mechanico-organicam* admodum manifeſtam agnoſcere.

§. XXI.

Quanquam igitur, ut ex dictis conſtat, ſanguificationis negotio principaliter cor praefectum non ſit, ſed ſociam tantum cum aliis partibus operam conferat: Eſt tamen primarium animae organon, quo ad ſanguinis diſpenſationem ſeu diſtributionem circularem utitur. Poſtquam enim chylus ſanguini in vena ſubclavia permixtus eſt, pergit cum eodem ad venam cavam deſcendentem, ejusque ope dextro cordis ventriculo infunditur, ex quo per arteriam pulmonalem tranſit in pulmones, & ex his per venam cognominem revertitur in ſiniſtrum cordis ventriculum, ſicque ingreditur in arteriam magnam adnexam, ejusq;

beneficio tandem diſtribuitur in univerſo corpore, non ſolummodo, ut continuo blando calore partes vivificet, & de nutrimento iisdem proſpiciat, ſed &, ut pro totidem ſecretionibus materia advehatur, & excrementa partim corruptibilia partim corrupta ſalino-ſulphurea tempeſtive eliminentur & ex univerſo corpore proſcribantur.

§. XXII.

Quibus muniis poſteaquam ſanguis legitime perfunctus eſt, per venas ad eundem communem oceanum revehitur, novam mox circulationem ſubiturus, quam inprimis praeſtat fortiſſimus cordis muſculus, duplici propterea motu gaudens, altero *ſyſtaltico*, altero *diaſtaltico*, mirifice invicem alternantibus, non excluſo tamen etiam motu partium fibroſarum tonico. Quare motus auricularum motum ventriculorum cordis ordinarie praecedit, ut, quoties auriculae conſtringuntur & ſanguinem evomunt, toties ventriculi elongentur eumque recipiant, & contra, quoties ventriculi conſtringuntur, ſanguinemque in arterias exprimunt, toties auriculae dilatentur ſanguinemque ex venis denuo hauriant. In *ſyſtole* igitur, cono cordis ad ejusdem baſin propius accedente, ſanguis tanquam valido emboli impulſu in arterias expellitur: In *diaſtole* vero, cono iterum a baſi recedente, dilatantur ventriculi & ſanguine denuo implentur.

§. XXIII.

Quae omnia ſi legitime, ut decet, expendantur, disſimulandum non eſt, admirabilem & elegantisſimum hic obſervari adparatum mechanicum: Sic enim omni modo mechanicum eſt, quod cordi ſtructura musculoſa fuerit conceſſa, quod duobus gaudeat ventriculis cum adnexis auriculis, quod cuilibet illorum ventriculorum inſerta ſit arteria & vena; Quod vaſa ſanguinea diverſi generis non ſolum diverſam conformationem habeant, ſed & valvulis contrariae diſpoſitionis & figurae inſtructa ſint;

Quod

Quod arteriae acceperint figuram conoideam, ex auguſto ſenſim in anguſtius deſinentem; Quod quinque diſtinctis conſtent membranis ſeu tunicis, quarum quarta fibris muſcularibus eum in finem eſt donata, ut conſtringi poſſit arteria; Quod pulſum quoque ſeu micationem edat: Quod venae e contra ſtructurae ratione in eo differant ab arteriis, quod tenuiſſimo principio ex peripheria partium ortum trahentes, ſenſim in eo ampliorem diametrum explicentur, quo magis ad cor adpropinquant; Quod pulſu omni deſtituantur; Quod membranis & paucioribus & tenuioribus munitae ſint; Quod valvulis ſint inſtructae, & ſolitariis quidem circa loca inſertorum in majorem truncum ramorum, binas vero plerumq; junctas in truncis rectis venarum majorum a corde remotioribus, atque ſangvinem perpendiculariter ſurſum vehentibus; Quod nervi (paris octavi) ad cor ferantur, quibus ligatis vel diſciſſis motus illius langvet primum, dein cum angore palpitat ac non multo poſt omnino ceſſat &c. Haec, inquam, omnia ſatis exquiſitum adparatum mechanicum demonſtrant: Nihilominus exiſtimandum non eſt, abſoluta quadam neceſſitate *hydraulico - mechanica* motum ſangvinis circularem ſuccedere, ſed *organiſmum* concurrere, evincunt multae circumſtantiae, quarum non poſtremae hae ſunt: Ad quamcunque animae alterationem pulſum cordis, arteriarum ipſiusque ſangvinis motum alterari; Poſt repentinam animae occupationem v. g. in terrore ſubitaneo, haemorrhagias ſubinde momento temporis ſiſti; Ab iracundia ſangvinis orgasmum excitari; Profundum moerorem circulum ejus reddere tardiorem & ad ſtagnationes atque ſtaſes proclivem; Sangvinis motum modificare ipſas quoque animae paſſiones, mores, propenſiones & inclinationes; Eodem influxu pollere ſangvinem ejusque motum in ſomnia; Et quae ſunt ſexcenta alia, ex quibus clare diſpalescit, cor, ſi non *directe* & *immediate*, ſaltem tamen *indirecte* ac *mediate*, poteſtati animae rationalis ſubjectum, atque adeo verum ejus organon eſſe.

§. XXIV.

§. XXIV.

Sub hoc interim perpetuo ſanguinis itu ac reditu, fluxu ac refluxu, ipſum quoque nutritionis negotium, ad univerſum actum conſervatorium abſolute neceſſarium, perpetratur, quia alias ſub perpetuis hiſce agitationibus tota corporis oeconomia ejusque robur viresque mox fatiſcerent, atque variis iſtis animae uſibus mox inhabile redderetur; Cui tamen officio obeundo, i. e. ſingulis partibus ſecundum omnem dimenſionem augendis aut ſaltem amiſſis reſtituendis, non tota illa maſſa, quam ſanguinem vocamus, apta exiſtit, ſed lympha tantum roſcida atque gelatinoſa, una cum reliquo ſanguine ad partes nutriendas advecta: Partes enim ſalſae, ſulphureae, acidae aliaeq; heterogeneae ad nutritionem ſunt ineptae.

§. XXV.

Ut vero ſuccus hic alimentaris roſcidus atque gelatinoſus cum partibus nutriendis arctius ineat connubium, non opus eſt peculiari quodam Archaeo ſeu opifice vegetationis, multo minus ſpecificum requiritur gluten aut ſpecificum fermentum tranſmutatorium, quod humòrem nutritium veluti adſimilet & in indolem partium, ad quas advehitur, convertat: Sed ipſa potius natura, vitaliter agens & nutritionis actui intenta ſuccum alibilem, in corpore ſuo diſpenſandum, per ſimplicem tantum adpoſitionem ejusdem ad partes fibroſas nutritionis negotium perficit: Quo mutuo contactu temporis ſucceſſu usque adeo firmiter coäleſcunt, ut in ipſam partium nutriendarum indolem tandem degenerent: Unde in aetate juvenili longe vegetius, in ſenili vero longe impeditius ſuccedit nutritio.

§. XXVI.

Et quidem, cum inſtructior organorum adparatus in hoc Naturae actu non obſervetur, atque hoc proinde intuitu *inorganicum* eundem adpellare nihil vetet: Non poteſt tamen animae commercium ab eodem penitus excludi:

Quia

Quia nutritio nihil eſt aliud, quam ſtructurae quaedam continuatio, quae, cum ſit longe exquiſitiſſima ratione numeri, poſitus, loci, magnitudinis, figurae ac reliquae proportionis, non poteſt ulli rei corporeae competere. Deinde, quia in nutritionis actu ſumma obſervatur proportio: Non enim quidlibet adponitur cuilibet, ſed exquiſita hic eſt electio, qualis actus electivus non corporeo, ſed immateriali ac ſpirituali competit principio. Ac deniq; quotidianum eſt obſervare, patheticas commotiones, inprimis triſtitiam ac moerorem animi actum nutritionis ita turbare, ut, qui nuper floridum faciei adſpectum & plenum atque ſucculentum corporis habitum exhibuerunt, nunc inordinato tali animae adfectu usque adeo alieni a ſe conſpiciantur, ut non modo cadaveroſum facies adſpectum exhibeat, ſed & cutis vix amplius oſſibus haereat.

§. XXVII.

Caeterum ab eodem ſanguinis motu inteſtino ac potiſſimum progreſſivo dependet non ſolummodo ſui ipſius, ſed & partium ſolideſcentium conſervatio ab omni corruptione ſeu putredine. Per utrumq; enim elementa ſanguinis, infide alias ſibi mutuo cohaerentia, exactius miſcentur, uniuntur ac veluti incorporantur, quippe quae, ſi ad ſtaſin ſanguis declinaret, mox conſortio ſuo mutuo valedictura & a ſe invicem receſſura forent. Conſervat etiam eodem beneficio debitam ſuam fluxilitatem ac mobilitatem, ut minutiſſimos vaſorum canaliculos pervadere, in varia corporis emunctoria ſeſe inſinuare, ibidemque partes ſuas corruptivas atque corruptas, maxime activas, ſalino-ſulphureas relinquere queat, ut tandem ipſa Naturae autocratia efficaciter e corpore proſcribantur.

§. XXVIII.

Atque ſic, agnito hoc motu ſanguinis circulari, ſimul diſpaleſcit error veterum, progreſſum ejusdem penitus negantium eundemque velut aquam in ſtagno reſtagnare credentium &, ne putreſceret, a ſpiritibus vitalibus ſurſum

deorſumq; vagantibus, vividum atq; calidum conſervari opinantium. Non minus clare intelligitur, ſolam cordis, tanquam ſubſtantiae muſculoſo-carnoſae conſtrictionem ſufficere quidem ad univerſam ſanguinis molem aequaliter & uniformiter toto in corpore diſtribuendam, non tamen excludendum eſſe motum tonicum partium periphericarum, qui ſimul uniformem iſtum ſanguinis impulſum pro varia ſua indole admodum modificat, modo copioſius eundem in particularem aliquem locum recipiendo, modo vero excludendo. Quae omnia licet propria ſua luce undique radient, & *mechaniſmum* motus hujus progreſſivi ſatis manifeſte declarent; Placet tamen nonnullis in hodierna illa ſpeculandi licentia, novos effingere *mechaniſmos*, & ſolidiſſimis iſtis demonſtrationibus temere neglectis, totum potius negotium in preſſuram atmoſphaerae aëriae incumbentis rejicere. Annon vero medicina figmentorum ſatis habebat, ut novo hoc illorum numerus adhuc augendus eſſet? Sed laudi ſibi ducunt quam plurimi, illi praecipue, qui principia mechanica adoptarunt, in ipſius licet veritatis ſanctiſſimae praejudicium, novitates tales adfectare.

§. XXIX.

Ordo jam nos deducit ad novam oeconomiae animalis functionem *mechanico-organicam*, nempe reſpirationem, cujus quanta ad actuum vitalium conſervationem ſit utilitas, id vel ex accidentibus, reſpirationem cohibitam comitantibus, clare elucet: Non enim ſolummodo cor & arteriae vehementius ſolito pulſant, ſed & facies inflatur, rubore perfunditur, oculi ex orbitis ſuis protuberant, anxietatesq; praecordiorum derepente oriuntur: Unde ad vitae conſervationem aeque neceſſariam eſſe reſpirationem, ac ipſam ſanguinis circulationem, manifeſtum eſt.

§. XXX.

Abſolvitur autem totum reſpirationis negotium duobus veluti momentis, inſpiratione nempe & exſpiratione aëris, quae utraque cum a ſe mutuo diſtincta ſit, utrique

etiam diverſa famulantur organa. Et inſpirationi quidem aëris ſubſerviunt tam muſculi intercoſtales externi quam muſculi diaphragmatis, quorum iſtis in actione conſtitutis, coſtae ad angulos magis rectos elevantur, diaphragma vero verſus abdomen compellitur, ut in eo fiat convexum, in quo antea concavum erat, quo ipſo non ſolum tota thoracis cavitas inſigniter dilatatur, ſed & abdomen, viſceribus ejus deorſum propulſis, intumeſcit, atque ita aër per tracheam intra pulmones recipitur. Exſpiratio contra peragitur interventu muſculorum prioribus oppoſitorum, intercoſtalium ſcil. internorum & muſculorum abdominis; *Illi* enim faciunt ad coſtarum, antea ad angulos rectos erectarum depreſſionem pectorisq; coarctationem: *Hi* vero ad abdominis viſcerumque in eo contentorum repulſionem verſus diaphragma, quod hoc modo convexum intra thoracem redditum, pulmones comprimit aëremq; iisdem expellit.

§. XXXI.

Pulmo itaque eſt organon illud, in quo alternis vicibus aër modo recipitur modo iterum expellitur, atque adeo duplici eoque ſatis manifeſto, altero conſtrictorio, altero vero relaxatorio motu gaudet. Et quantam hoc viſcus praeſtet utilitatem univerſae oeconomiae animali, ex mirabili ejusdem ſtructura ſatis patet. Eſt enim contextum ex innumeris minimis veſiculis membranaceis, ſingulis bronchiorum ramulis adpenſis, quos pariter innumeri minimi ramuli vaſorum pulmonalium comitantur, quod non ſine myſterio ita factum eſſe, vel exinde aeſtimari poteſt, quod ſanguis, qui, priusquam ad pulmones perveniret, obſcuram rubedinem prae ſe ferebat, ex iisdem reverſus, majori non tantum activitate, ſed & rutilante elegantiq; coccineo colore praeditus conſpiciatur.

§. XXXII.

Atque haec obſervatio anſam nobis ſuppeditat ſuſpicandi, annon primarius pulmonum & reſpirationis uſus, praeterquam

terquam quod aequilibrium cum atmoſphaera aëris incumbente ſervet, tranſitum quoque & progreſſum ſanguinis ex dextro cordis ventriculo in ſiniſtrum promoveat, eundem ſibimetipſi intimius permiſceat, cum lympha interagitet, efficaciter nempe per texturam pulmonum membranaceo-celluloſam tranſpreſſus, eoque modo majorem quoq; fluiditatis gradum adipiſcatur, in eo quoque collocandus ſit, ut novo denuo ſtimulo ſanguis in pulmonibus excitatus, ibidemque calore vivifico impraegnatus, motum ejusdem tam inteſtinum quam progreſſivum refocillet atq; reſtauret. Hinc enim eſt, quod, aucta reſpiratione ſub laborioſis corporis motionibus, ipſum quoque cordis & arteriarum pulſum augeri, totum corpus calefieri & ad ſudorem diſponi obſervemus, ſicuti in oratoribus tam ſacris quam profanis, ſermones ſuos alta voce declamantibus, conſpicere ſolemne eſt.

§. XXXIII.

Unde conſequitur, in meras tandem nugas reſolvi, quicquid alii de occulto naturae cibo, de anima mundi, de ſpiritu nitro-aerio &c. fabulantur. Supervacaneum quoque & irritum eſt, quicquid alii de fuliginibus, ex corde per reſpirationem expulſis comminiſcuntur. Inde dijudicari quoque poteſt, quid de *Borelli* ſpeculatione ſentiendum ſit, qua partes aëris elaſticas ſanguini in pulmonibus, pro vitali elaſtica oſcillatione praeſtanda, admiſceri credidit. Nec difficile eſt, de *Sylvii* aliorumque Chymicorum opinione judicium ferre, qui ſanguinem ob aeſtum, ebullitionem & quaſi efferveſcentiam in dextro cordis ventriculo, ideo ad pulmonem deferri exiſtimavit, ut ob aëris frigidi & nitroſi admixtionem quodammodo condenſaretur & refrigeraretur. Quod quippe ideo vero conſentaneum eſſe nequit; Quia poſt totidem itus ac reditus non ſane refrigerio & condenſatione, ſed potius incitamento ac reſolutione indiget, ut novo iterum calore in pulmonibus impraegnatus ſanguis, circulum ſuum repetere valeat.

§. XXXIV.

At vero tempeſtivum nunc eſt, ad negotium Naturae ſecretorium deſcendere, quod proinde tanto ſolertius a nobis expendendum eſt, quo certius eſt, praecipuam oeconomiae humanae rationem in hoc actu ſecretorio poſitam eſſe. Princeps autem ejus organon eſt glandula, eaq; tam conglobata quam conglomerata, quam utramque praecedenti ſeculo curioſitas *Malpighii*, *Stenonis*, *Borrichii*, *Nuckii* aliorumq; detexit. Modus nullus iterum alius eſt, quam *mechanico-organicus*; Non enim ex motu ſanguinis circulatorio abſolute fluit, multo vero minus organorum colatoriorum ſtructura ſecretionem neceſſario infert, licet ſine utroque ſuccedere nulla ratione poſſit: Sed occurrunt inſuper tales circumſtantiae, quae concurſum altioris principii manifeſte arguunt, ut ſunt: Quod pro diverſa illius conſtitutione modo remittant modo intendantur, ſubinde etiam vehementer turbentur; Quod non cruda quaevis, ſed ſeceſſioni & ſecretioni congrua materia excernatur conveniensq; locus ſeligatur; Quod non quovis promiſcue tempore, ſed certo tantum, in proportionata menſura atq; gradu &c. fiant atque ſuccedant.

§. XXXV.

Primatum hoc in genere ducit *tranſpiratio humorum inſenſibilis*, quam alias *Sanctorianam* vocare ſolemus; Eſtque continua veluti vaporum, ſenſibus propemodum imperceptibilium exhalatio per poros cutis facta, & quidem cum eximio corporis, ſive quomodocunque ſani, ſive jam aegrotantis, levamine, a natura inſtituta. Et miraculo proximum eſt, omnemque fere fidem humanam ſuperat, inſenſibilem hancce perſpirationem per meatus cutis ſuccedentem, omnes reliquas evacuationes ſenſibiles, per alia organa inſtitutas, quantitate longiſſime ſuperare: Adeo ut per eam unica die plus, quam per alvum 15. dierum decurſu evacuari, obſervaverit *Sanctorius*. Imo, dum ſpatio unius noctis ſedecim uncias urinae & quatuor uncias faecum alvinarum excerni animadvertit, interea quadraginta uncias

ta uncias halituum tenuiſſimorum per inſenſibilem hanc perſpirationem emitti, adſerere non dubitaverit: Unde egregia Divi Senis huc praecipue ſpectans obſervatio eſt, dum pronunciat, eos, quibus corpus bene perſpirat, eſſe quidem imbecilliores, ſed ſalubriores, & promptius inſuper ad ſanitatem redire: Eos contra, quibus corpus male perſpirat, priuſquam aegrotent, robuſtiores fieri, &, cum in morbos inciderint, difficilius reſtitui.

§. XXXVI.

Summa tranſpirationis hujus utilitas ſeſe exerit in quibusvis corruptelis, ſive imminentibus ſive jam praeſentibus antevertendis, aut in prima, ut vulgo loquuntur, herba ſuffocandis, ne profundiorem noxam corpori inferre queant, dum ſcil. partes ſalino - ſulphureas activas & fermenteſcibiles eliminando ſangvinem depurat & a graviori corruptione praeſervat: Hinc eadem p. n. ſuppreſſa mox foedus & abjectus faciei color, impuritates ſcabioſae partium periphericarum, hydrops, oedemata aliaque mala largo proventu pullulant.

§. XXXVII.

Ad cutaneas haſce excretiones merito referri etiam merentur ſudores manifeſti, quippe ſola tantum denſitate ab halituoſa iſta excretione, de qua modo diximus, differentes, & quorum proinde excernendorum eadem eſt neceſſitas, eadem utilitas: Hinc omnia ea, quae poroſum corporis habitum conſtringunt, condenſant tonumque efficiunt ſtrictiorem, atque adeo liberam evaporationem ſufflaminant, uti ſunt conſtitutio aëris frigidior, balnea frigida, adſtringentia intempeſtive adhibita, vehementia animae pathemata &c. ſanitati maximas ſtruunt inſidias: Cum ex adverſo ſub habitu corporis laxiore ac ſpongioſiore excrementa illa activiora, acriora, ſalino - ſulphurea felicius eliminari, atque ita corpus a variis inſultibus morboſis tutum praeſtari queat. Quare ipſa etiam Natura hoc evacuationis genere quam ſaepiſſime integritati corporis ſui conſulere ſolet, utiturque tanquam congruo organo glandulis ſubcutaneis

taneis, per quarum ductus excretorios, quorum uno quaevis glandula gaudet, in porum cutaneum ſub ſquamulis epidermidis oblique hiantes, ad ſuperficiem corporis ſeroſa excrementa tranſmittuntur & expelluntur. An vero, quod *Leeuwenhoekio* ita viſum eſt, tanta porulorum iſtorum ſit ſubtilitas, ut 125000. in ſpatio unius vulgaris ſabuli grani ſupputari queant, id tanquam ſupervacuam ſubtilitatem & curioſitatem ſuo loco merito relinquo.

§. XXXVIII.

Pertinet huc ſe-& excretio muci naſalis, nec non mucoſitatis, quae in glandulis *Peyerianis* deponitur & per ductus deinde excretorios in alveum inteſtinorum communem convehitur. Eſtque mucus narium nihil aliud, quam ſerum quoddam ſpiſſius, in minutiſſimis glandulis, ſub tunica pituitaria ſitis ſecretum, & ab aëre per nares continuo inſpirato diverſimode alteratum variisque quandoq; coloribus tinctum. Organon itaque hujus ſecretionis ſunt glandulae naſales: Unde in origine muci hujus determinanda admodum hallucinati ſunt veteres, qui nempe ex ventriculis cerebri tanquam totidem pituitae receptaculis eundem derivabant, atque per meatus oſſis cribriformis in nares depluere, ac ſic cerebrum a ſordibus ſuis repurgari credebant.

§. XXXIX.

Quod licet eo quidem modo ſeſe non habeat; Haud leve tamen ſanitatis momentum in hoc ſe-& excretionis genere ſitum eſſe, probat inprimis catarrhus narium criticus, quem certis temporum intervallis cum ſummo levamine, ſi legitime ſuccedat, homines experiuntur: Cum contra, ſi in meris tantummodo moliminibus hactenus ſubſiſtat negotium, congeſtiones ſeroſae in capite, atque hinc gravedines, cephalalgiae, oculorum ſuffuſiones, depravatio guſtus atque odoratus aliaque incommoda oriantur.

§. XL.

Eadem propemodum ratione comparatum eſt cum ſe-& excretione *mucoſitatis*, quae mediantibus glandulis *Peyerianis*

nis in inteſtinis peragitur: Id quod non tantum in ſtatu corporis ordinario jugiter ſic continuare ſolet, ſed & in criticis diarrhoeis longe ſolemnius obſervatur, quo caſu omnes, in reliquo corpore redundantes excrementitiae humiditates, ad hanc communem cloacam amandantur & una cum reliquis faecibus ibi hoſpitantibus ejiciuntur.

§. XLI.

Subinde ſeroſitatis talis mucidae copioſior depoſitio contingit in bronchiis aſperae arteriae ipſisque pulmonibus, quae, niſi ſcreatu tempeſtive expectoretur, oppletionem dictis in partibus cauſari poteſt ac ſubinde ſolet. Idemque contingit circa membranas pleurae, peritonaei ac tunicae vaginalis teſtium: Metuendum enim foret, ne membranae viſcera involventes tandem inter ſe mutuo coaleſcerent, niſi madore illo interfluente impedirentur.

§. XLII.

Nec liquor pericardii ſilentio hic eſt praetereundus, qui, licet in ſtatu ſecundum naturam non ſoleat eſſe admodum largus, in ſtatu tamen praeter naturam tantopere augetur, ut hydropem pericardii conſtituat; In cujus origine indaganda laudari meretur diligentia Malpighii, qui internam pericardii membranam copioſis glandulis conſitam eſſe obſervavit, ex quarum ductibus excretoriis in cavum pericardii deſtillat, & non ſolum motui cordis libero conſervando, ſed & mutuae cordis ejusdemque membranae, qua circumdabitur, coalitioni impediendae inſervit. Ut hinc non ſatis mirari poſſimus, quibus rationibus commotus *Bohnius*, contra communem Anatomicorum obſervationem, hanc pericardii aquam negaverit, &, ſi reperiatur, aut morbo aut mortis generi ſuam debere ſcaturiginem crediderit. Quare ex eodem quoque fundamento, quae alii de uſu aquae pericardii referre ſolent, tanquam chymaerica atque fabuloſa rejecit, cum tamen unanimi Anatomicorum conſenſu conſtet, in omnibus ſubjectis vivis aeque ac mortuis illam conſtanter reperiri. Unde & nos in nuperrimo cadave-

cadavere puerili, quod tamen marcore tantum non penitus conſumptum erat, quatuor minimum cochlearium quantitatem invenimus.

§. XLIII.

Lacrymarum hic quoque injicienda eſt mentio, quae partim in glandula lacrymali, ſub palpebra ſuperiori ſupra minorem angulum ſita, partim in punctulis lacrymalibus ſecernuntur, quae cum in ſaccum lacrymalem, canalem naſalem naſumq; ipſum deſinant: Hinc patet, quomodo non modo palpebris irrigandis, facilitando oculorum motui, inſerviant, & in gravioribus animae pathematibus largis rivulis per genas defluant, ſed & non exiguam muci naſalis partem conſtituant: Unde vulgo in largiore lacrymarum profuſione magna compeſcendi luctus & ſufflaminandi vehementiam adfectus efficacia quaeritur. Hinc profunde triſtes, ſi plorare queant, magnum ſtatim levamen ſentiunt: Majoribus vero incommodis ſubjiciuntur, qui in magnitudine malorum, quae patiuntur, lacrymas profundere nequeunt, quorum omnium rationes evolvere nunc non vacat.

§. XLIV.

Solemnis adhuc ſolique ſexui pulchriori propria occurrit ſecretio, nempe lactis, quae in mammis puerperarum peragitur: Univerſum enim mammarum corpus ex minutiſſimis glandulis, per membranas interjectas inter ſe mutuo cohaerentibus componitur, ex quibus innumeri minores ductus lactiferi exſurgunt, tandemque in majores coëundo, papillam diverſis numeroq; incertis foraminulis pertundunt, ex quibus deinde lac a ſanguine, per arterias mammarias advecto ſeparatur, ac poſtea ſecretum & per tubulos lactiferos excretum in os infantum copioſe exſtillat. Ut proinde citra dubium fallantur, ſibiq; & aliis imponant, qui poſt inventum ductum thoracicum aliquos ejus ramulos chylum, tanquam proximam lactis materiam ad mammas deportare crediderunt: Quo in errore ipſe quoque *Bartholinus* fuit, qui tamen omnes feſelliſſe oculos

ingenue poſtea confeſſus eſt, cum putatitia iſta vaſa lactea nihil fuerint aliud, quam ductus lymphatici, qui a glandulis mammariis, ex quibus totum earum corpus coagmentatum eſſe, paulo ante diximus, dum extra puerperium materia lactea non replentur, lympham ad cyſternam lumbarem communem advehunt.

§. XLV.

Obſervari proinde meretur, vaſa lactea ſeu chylifera à lymphaticis reipſe non differre: Haec enim lympham vehunt limpidiſſimam, eamque vel in receptaculum chyli *Pecquettianum* vel in ductumThoracicum ejusdemq; tandem beneficio in ipſam ſangvinis maſſam denuo infundunt. Atq; haec vaſa primos ſuos inventores venerantur *Bartholinum*, *Rudbeckium*, *Jolivium*, *Bilſium* atque *Nuckium*, qui de gloria inventionis mire inter ſe mutuo altercati ſunt, quas tamen lites hac vice noſtras non facimus, contenti, praedictos Auctores ſatis demonſtraſſe, nullam fere corporis humani partem eſſe, quam non numeroſa vaſa lymphatica perrepant, nullamq; venam, quam non hederaceo flexu mirifice ambiant. Eſt autem circulatio lymphae, quae per haec vaſa inſtituitur, longe peculiaris, proceditq; a peripheria verſus centrum, uti *Ruyſchius* contra *Bilſium* ad oculum demonſtravit, qui valvulas inſuper detexit numeroſas in ductibus lymphaticis, impedientes, ne lympha a centro verſus circumferentiam regurgitare queat.

§. LXVI.

Peculiarem hic quoq; animadverſionem meretur ſubſtantia illa pinguis & oleoſo-unctuoſa, quae in oſſibus animalium & quidem in eorundem centro ac meditullio colligitur, vocaturq; medulla, cujus in conſervanda oſſium integritate tanta eſt utilitas, ut ſine hac in continuo fracturae verſarentur periculo: Nam in juncturis & articulis partibus ſuis unctuoſis oblinit ac temperat nimiam ariditatem, ex continuo motu oriundam, emollit inſuper oſſa, a fracturis eadem praeſervat, & ad motuum omnium varietatem ſubeundam diſponit, tandemq;, ne in ſe mutuo illiſa incale-

incaleſcant, quod alias in mutuo corporum ſolidorum attritu facile evenire obſervamus, interjecta hac pinguedine unctuoſa ſtudioſe praecavetur.

§. LXVII.

Nunc vero ad ſecretiones animales, quas variis in viſceribus ac partibus infimi ventris natura inſtituit, progredimur, ubi primo ſtatim loco ſecretio bilis flavae in hepate ſeſe nobis offert. Organon ſecretionis eſt hepar, quod quidem ſolertiſſimus Malpighius glanduloſum, ex meris quippe glandulis compaginatum eſſe voluit, *Ruyſchius* vero negavit & mere vaſculoſum eſſe oſtendit. In hoc viſcere a ſanguine, per venam Portae advecto ſeparatur bilis, quae deinde vel in cyſtidem deportatur vel immediate per ductum hepaticum, qui cum cyſtico communem, choledochum vocatum, conſtituit, inteſtino duodeno infunditur.

§. LXVIII.

Quo minus autem miremur, tantae molis viſcus huic ſoli ſecretioni a natura deſtinatum eſſe, animum tantum advertamus ad inſignes, quas oeconomiae animali praeſtat, utilitates, & omnis mox admiratio ceſſabit. Praeterquam enim, quod hepar bilem flavam ſeparando ſanguinem depuret & a ſulphureis partibus liberet, tranſitui bilis ab hepate verſus cyſtidem, & tranſmiſſioni verſus inteſtinum duodenum velificetur, imo & reductioni ſanguinis verſus dextrum cordis ventriculum famuletur; Bilis quoque, non obſtante indole ſua excrementitia, ſuis commodis non deſtituitur. Infuſa enim inteſtino duodeno chylum crudiorem diſſolvit, attenuat & ad faciliorem in oſcula venarum lactearum ingreſſum diſponit; Vim & acrimoniam humorum temperat & corrigit, tonum fibrarum inteſtinalium laxiorem corroborat, ipſumque motum periſtalticum promovet atque adeo ad feliciorem faecum alvinarum excretionem ſuam confert ſymbolam. Poſteaquam autem hoc ſuo munere in duodeno perfuncta eſt bilis, craſſior, effoeta & faeculenta ejus portio una cum reliquis excrementis

excernitur, unde flaveſcens ille color, quo plerumq; tincta eſſe conſpiciuntur.

§. XLIX.

In liene nulla quidem peculiaris cujusdam liquoris ſecretio adornatur, vaſculoſa tamen ejusdem ſtructura, qua gaudet, ſatis innuit, hepatis actioni velificari eundem, facilioriq; bilis ſeparationi in hoc viſcere inſtituendae deſtinari: Totum enim lienem nihil eſſe aliud, quam ſingularem contextum arteriarum, venarum, lymphaeductuum & nervorum, beneficio membranarum inter ſeſe mutuo colligatorum, diligentiſſimus obſervavit *Ruyſchius.*

§. L.

Ut proinde nimis abjecte nimioq; cum contemptu de hoc organo loquantur *Rufus Epheſius*, *Eraſiſtratus* aliique, qui otioſum illud nulliusq; plane uſus eſſe impudenter clamitant. Alii aliquem quidem lienis uſum agnoſcunt, ſed a ſtructura ejus plane alienum. *Galenus* aliique antiquorum officinam atrae bilis in liene quaeſiverunt, & excoquere primum melancholicam chyli partem, deinde partim per vas venoſum breve in ventriculum, partim per ramum ſplenicum ad inteſtina, partim per venam haemorrhoidalem ad anum deponere. *Bauhinus*, *Veſalius*, *Platerusq;* ſangvificationis officium eidem demandarunt. *Aemilius Pariſanus* cordi ſanguinem praeparare adſeruit. *Walaeus* acidam ſangvinis partem ad ſeſe allicere; *Gliſſonius* liquorem alimentarem pro nutritione nervorum praeparare ſuſtinuit. *Helmontius* plane ſedem animae ſenſitivae in liene quaeſivit; Ut alia opinionum monſtra taceam, ex quibus, quid ratio ſpeculans ſibi relicta valeat, abunde perſpicere licet, quos tamen omnes otioſorum ſpeculatorum luſus ingenii hac vice excutere non placet, &, ſi quam maxime placeret, factu tamen partim impoſſibile, partim inutile foret, quia ſpeculationibus talibus ſupervacuis inhaerere nihil eſt aliud, quam tempus pretioſum prodigere.

§. LI.

Non eſt hic locorum reticenda ſecretio ſucci pancreatici in

tici in pancreate, quod inter glandulas conglomeratas non minimum obtinet locum, & ſub ventriculi fundo ſitum ſuum habet. In glanduloſa hujus viſceris ſubſtantia ſeparatur humor fere inſipidus, leviter tamen ſubſalſus, minime vero pure acidus, uti nonnullorum fert opinio, ſed ſalivalis propemodum indolis, qui deinde in ductum majorem, qui *pancreaticus* audit, ad inteſtinum duodenum confluit, chylum crudiorem diſſolvit, & ad ingreſſum expeditiorem in vaſa lactea diſponit.

§. LII.

Solemnis quoque eſt actus naturae ſecretorius, qui in renibus inſtituitur, in quibus nempe a ſanguine per arterias emulgentes advecto ſeparatur liquor obſcoenus ſeu urinoſus, plurimis ſeroſis multisq; ſalino-ſulphureis partibus foetus, unde & odorem gravem ſpirare coloreq; plus minus rubicundo lixivii ſaponariorum inſtar tinctus eſſe ſolet. Eſtq; *exterior* renum ſubſtantia, prout oculatiſſimus demonſtrat *Malpighius*, glanduloſa, ex quarum glandularum ſingulis totidem excretorii oriuntur canaliculi, qui ſerum urinoſum ſola percolatione cribratoria ſeparatum deducunt per *interiorem* tubuloſam eorum texturam ad pelvim, ubi ab ureteribus exceptum derivatur in veſicam, ex qua, ſuperata vi conſtrictoria muſculi ſphincteris, cervicem ejus ambientis, erumpit in urethram atque ita tanquam excrementum inutile ejicitur.

§. LIII.

Circa modum ſecretionis curioſe ſollicitum eſſe velle, nihil foret aliud, quam nodum in ſcirpo quaerere. Fruſtra utique fuerunt *Tachenius* & *Helmontius*, qui fermentum aliquod ſtercoraceum, quod digeſtionem renibus propriam promoveret, effinxerunt: *Williſius* quoque & *du Hamel*, qui ad ſpeciem aliquam praecipitationis vel fuſionis recurrerunt. Taceo figmenta aliorum cerebrina de poris veſicae foris-intro & intro-foras ſpectantibus, de facultate renum attractiva & alia plura non entia, quibuscum tanquam globulis pueruli, ludunt ſpeculatores.

§. LIV.

Peculiaris adhuc omniq; conſideratione digniſſima eſt ſeceſſio & excretio, quam in utero & per uterum deſtinato plane conſilio ſolers natura inſtituit, dum purgamenta ſanguinis menſtrui non ſolum in virginibus puberibus ſed & mulieribus nuptis, extra graviditatis ſtatum, ſingulis menſibus ordinarie excerni videmus, qui fluxus circa annum aetatis decimum quartum (nonnunquam tamen ſerius, nonnunquam ocyus) incipere & anno circiter quadrageſimo nono ſubſiſtere iterum adſolet. Organon menſtruae hujus evacuationis eſt uterus, cujus ſubſtantiam eſſe fibroſam, plurimis vaſis arterioſis, paucioribus venoſis intertextam, ex ſtupenda illius, quam graviditatis tempore patitur, diſtenſione & intumeſcentia, ejusdemque, foetu jam excluſo, detumeſcentia & ſucceſſiva conſtrictione manifeſte liquet.

§. LV.

Interim exiſtimandum non eſt, operi huic ſe- & excretorio totum uterum deſtinatum eſſe, ſed inſpectiones oculares menſtruatarum, morte violenta peremptarum abunde probant, ex cervice potiſſimum & vagina uterina ejusmodi purgamenta menſtrua emanare. Confirmat communem hanc hypotheſin *Bohnius* in corpore infanticidae a ſe diſſecto, cujus pudenda una cum vagina uteri, quamvis menſtruo cruore conſpurcata reperiret, cavitatem nihilominus uteri apertam, mundam ac nitidam deprehendit. Idem obſervavit in puella alia menſtruata ab ipſo diſſecta, in qua ſolam vaginam cruentam, cavum vero uteri omnis ſpurcitiei expers vidit. Simile quid jam olim *Carolus Piſo*, & ante aliquot adhuc annos *Bergerus* in infanticidis obſervarunt. Nolim tamen praefracte negare, ex ipſo quoq; fundo uteri ſanguinem menſtruum promanare poſſe.

§. LVI.

Quae omnia ſicuti per experientiam ſatis certa atque comprobata ſunt: Ita contra incertiſſimis nituntur conjecturis ſpeculationes cauſales, quas hucusq; in medium producxerunt Phyſiologi, quare nempe menſtrua iſta depletio

non

non tantummodo menſtruo ſpatio ſed & ordinarie tali determinato tempore admodum exquiſite & ſuſcipiatur & revertatur? Ad periodum enim lunarem, vel ſpecificum fermentum uterinum, indeq; procedentem quandam fermentationis ſpeciem ſimilesq; nugas recurrere velle, eſſet vere inanem ludere operam. Nec illi phaenomeni hujus ſolutioni ſatisfaciunt, qui ad neceſſitatem pure mechanicam recurrunt, quod nempe plethora vaſa uterina implendo dilatet, tandem vero rumpat, ut ſic in ipſam uteri cavitatem cruor exſtillet, tamdiu durante hoc fluxu, donec, copia ſangvinis imminuta, vaſcula uterina concidant & ſangvis denuo ſubſiſtat. Longe vero certior eſt hypotheſis STHALII, qui criticam actui huic rationem ſubeſſe ſuſpicatur; Siquidem ſeptem circiter diebus ſeu una propemodum ſeptimana perdurare conſvevit, 21. diebus vacuis exiſtentibus, quibus deinde ſuperatis, circa initium quarti ſeptenarii nova denuo criſis ſuſcipitur.

§. LVII.

Quanquam autem ſexus maſculinus ab hoc menſtruo tributo vivere ſoleat immunis, quo etiam beneficio nonnullas mulieres viragines beavit benigna mater, Natura, omnis quippe purgamenti menſtrui per totam vitam expertes: Multi tamen ſunt, & plures forte, quam Practici, ad talia ſolertius obſervandum, animum advertant, qui, eidem analogon quid patiuntur in fluxu haemorrhoidali: Licet enim depletio haec ſanguinis per anum inſtituta, non ſit periodica, paucis quippe haemorrhoidum periodicarum exemplis, quae ab *Amato Luſitano*, *Bartholino* aliisque allegantur, regulam hanc non evertentibus; Eadem tamen commoda inde reſultant, qualia ex menſtruorum fluxu feliciter ſuccedente ſentiunt mulierculae: Unde ſubſiſtentibus haemorrhoidibus, aeque gravibus vexari ſolent incommodis.

§. LVIII.

Omnium ſolemniſſima & utiliſſima, generationi quippe novae prolis impendenda, eſt ſecretio liquoris ſeminalis prolifi-

prolifici, in teſticulis virorum abſolvenda, quam ſperma virile vocamus. Eſtq; nihil aliud, quam ſubtiliſſima ac defaecatiſſima ſanguinis, per arterias ſpermaticas advecti portio, in tenuiſſimis tubulis ſpermaticis, ex quorum conglomeratione univerſa teſticulorum ſubſtantia conflata eſt, genita atque ſeparata. Ex tortuoſis horum ductuum, quos ultra trecentarum ulnarum Florentinarum longitudinem ſeſe extendere, adſerit *Bellinus*, anfractibus pergit in epididymides, quae nihil aliud, quam illorum ductuum continuationes ſunt, in iisque majorem perfectionem ſubtilitatemq; adquirit, ac porro per *vaſa deferentia* progreditur ad *capſulas ſeminales*, ubi tamdiu ſemen adſervatur, donec in congreſſu maritali excernatur, & per *urethram* in uterum, foecundum foemellae agrum, immittatur.

§. LIX.

Interea vero temporis, dum hoc ſit, ſpermati virili ex *proſtatis*, quae ſunt corpora globoſa atque glanduloſa, ſuis inſtructa cavernulis, & decem minimum vel duodecim ductibus excretoriis, humorem albicantem & ſic ſatis ſpiſſum ex dictis cavernulis in urethram eructantibus admiſcetur liquor ille ſpiſſiuſculus, antea in glanduloſo *proſtatarum* corpore ſeparatus, & non modo urethrae lubricandae, ſed & ſemini tanto commodius vehendo ſubſervit.

§. LX.

Qua vero ratione impraegnationis actus in foemellis abſolvatur, quisve verus conceptionis locus ſit, an ſic dicti teſtes ſeu ovaria muliebria, an vero cervix uteri, quam novam hypotheſin ante aliquot annos nimia quorundam ſpeculandi licentia excluſit, id hoc loco, quia alibi jam prolixe a me praeſtitum eſt, non repeto.

§. LXI.

Unica adhuc ſupereſt, eaque famoſiſſima, a Mechanicis potiſſimum adſerta ſecretio, nempe *ſpirituum animalium*, ſive, ut hodieq; loqui amant, *laticis* ſeu *ſucci nervoſi*, quae in corticali, quam ſupponunt, cerebri ſubſtantia fieri & abſolvi in hunc usque diem creditur, & quam proinde ſilentio praetermittere, *Inſtitutionum Medicarum* ſcriptores religioni ſibi ducunt. Cum vero quam plurimae eaeque non levis momenti rationes dubitandi alibi a me adlatae fuerint ſimulq; noxa indicata, quae ex commentitio hoc dogmate in *Pathologiam* ipſamque plane *Praxin clinicam* reſultat: Hinc tanquam inutile atque damnoſum hoc caput ſuperius jam expunximus.

CAPUT OCTAVUM.

De *Vita, Sanitate, Morbo ac Morte.*

§. I.

Monuimus jam ſuperius, ſupervacaneum & a ſcopo medico alieniſſimum ſuſcepiſſe laborem *Inſtitutionum* Scriptores tam veteres quam recentiores, qui, ſive a mutua elementorum vulgarium contemperatione, ſive a proportionata formarum accidentalium habitudine *mixionem corporis animalis* deducant, doctrinam de *elementis* in *Inſtitutionibus medicinae* nimis prolixe proſequuntur, citra ullam ſolidam ſive neceſſitatem ſive utilitatem, quae ex Phyſica tali elementorum conſideratione in rem medicam redundare poſſet: Unde in *ſpecimine theoriae medicae ad uſum practicum accommodatae* optime & maxime appoſite ſic ſenſit *Johannes Simon Bauermüller*, Phil. & Med. Doctor, Praefatione *Phyſiologiae* ſuae praemiſſa: *Recte equidem naturae ſtudium commendaſſe* Hippocratem, *dum conari medicum jubet, ut evadat Phyſicus: Minus vero recte, quod de Phyſica prorſus ſingulari, nempe naturae humanae notitia accipiendum erat, laxiſſimo ſignificatu paſſim accipi pro generali corporum naturalium ſcientia. Et vero, quicquid hactenus Phyſiologicarum lucubrationum videre contigiſſet, illo naevo fere omnes laborare, quod in macrocoſmicos conceptus univerſaliores nimium diffuſae Phyſicam, ad medicinam nihil attinentem cum medica Phyſiologia confundant, atque in unum veluti chaos tumultuaria ſcriptione conjiciant &c.*

§ II.

Interea *Waldſchmidius* aliique non dubitant ex tali elementorum phyſica contemplatione ingentia polliceri commoda tam *aegrotanti*, quam ipſi quoque *medico*. Illum nempe gaviſurum, ſe talem nactum eſſe medicum, qui ope ſuorum principiorum omnia phaenomena, in corpore humano adparentia per ſuas cauſas ſolide & citra ullam contradictionem, imo, quod optandum magis quam ſperandum, cum applauſu rationis & experientiae ipſi explicare queat. Huic vero decorum fore, ſi naturam ſangvinis reliquorumq; fluidorum (ſcilicet ſecundum qualeſcunq́; iſtas *elementorum vulgarium* vel *formarum accidentalium* praefigurationes) tam in ſtatu ſecundum quam praeter naturam cognitam atque perſpectam haberet.

§. III.

Ubi paucis tantum moneo, flebile omnino fore illud beneficium & caro nimis pretio redimendum commodum aegrotanti, ſi ille medicum nactus eſſet, qui phaenomena in corpore humano adparentia per ſuas cauſſas clare & diſtincte explicare poſſet, & nihil interea poſitive ad recuperandam ſanitatem hiſce ſuis ſpeculationibus conferret: Morbi enim, ut C. *Celſus* dudum obſervavit, non profligantur verbis, ſed herbis, & dolorum atrocia non mitigatur phalerata oratione, ſed bonis atque efficacibus remediis: Ipſi vero medico id ſummo cederet dedecori, ſi omni ſua, quam jactitat, exquiſita notitia ſangvinis reliquorumq; fluidorum, nihil tamen lucraretur, imo pollicitationes ejus alienum ac theoriis ſuis plane difformem ſequi videret eventum.

§. IV.

§. IV.

Itaque miſſis qualitatibus iſtis elementaribus, tanquam nimis remotis, quaerimus potius proximam *mixtionis animalis* materiam in principiis iſtis, partim nudo ſenſui occurrentibus, partim etiam experimentis chymicis ex ſangvine obtinendis, quae ſunt, ſubſtantia quaedam pulverulenta terrea, principium aliquod aquoſum ſive ſerum, quod reliquis interjectum fluiditatem eorundam tuetur, ſubſtantia quaedam gelatinoſo-lymphatica & principium aliquod inflammabile, uno verbo, ſulphureum. Quae ſane omnia ejus ſunt indolis, ut difficulter admodum intimius ſubeant connubium, imo potius in promptam diſſolutionem eidemque ſucceſſuram putredinem proclivia eſſe animadvertantur.

§. V.

Hanc vero nulla aeque materia citius ac promptius ſuſcipit quam ſulphurea, quae inteſtino putrefactionis motu exagitata adhuc exaltatur & una cum ſumma partium ſuarum ſubtilitate ac tenuitate ſummam ſimul activitatem adquirit, quae proinde energiam ſuam corruptivam procul dubio latius (cum omnis putredo mirabiliter ſui ipſius ſit multiplicativa) diffuſura ipſisq; partibus ſolidis communicatura foret, niſi propter eandem, quam inteſtino putrefactorio motu adquirit, partium ſuarum tenuitatem, ſimul ad excuſſionem per varia corporis emunctoria habilis aptaque reddita eſſet.

§. VI.

Et quanquam tanta materiae hujus ad ſuſcipiendam putredinem atque corruptionem ſit proclivitas: Non

aeque tamen in eandem actu ruit, niſi extra ſtatum mixtionis & motum vitalem conſtituta: Unde veteres tam ſollicite inculcarunt diſtinctionem inter *temperamentum mixti & vivi*, licet eandem non rite explicuerint. Quamdiu enim lege circulationis humorum reliquis adhuc permixta totum corpus peragrat, & vivaci ac vegeto motu per partes tranſprimitur, nullibi facile haerere ſuamque corruptivam indolem aliis partibus communicare valet, imo potius partes corruptas alicubi haerentes abſtergendo ac deinde excernendo potentiſſime illud ab omni labe praeſervat.

§. VII.

Ut adeo praecipuum conſervandae mixtionis & avertendae corruptionis inſtrumentum ſit motus humorum circulatorius: Ubi tamen ſollicite cavendum, ne, quod multi praepoſtere faciunt, perpetuam iſtam ſangvinis circulationem vitam ipſam eſſe credamus, quae quippe ejusdem tantum inſtrumentum eſt: Sed vitam potius praeſtari contendimus perpetuis ſe- & excretionibus materiarum ſalino-ſulphurearum corruptarum atque corruptibilium, ſub hoc motu humorum circulatorio nunquam interrupto actu ita ſuccedentibus, ut ſic corpuſculis illis alienis, noxam illaturis, perpetuo eliminatis, non ſolummodo corpus in ſua mixtione conſervetur, ſed & contra omnem corruptelam, ad quam tantopere propendet, praeſentisſime defendatur ac vindicetur.

§. VIII.

Non eſt itaque abſolute quidem falſum, quod *Mechanico-Dogmaticorum* plerique hactenus docuerunt; *Vitam*

Vitam conſiſtere in circulatione ſangvinis: Sed defectus tantum & qualiscunque imperfectionis hanc deſcriptionem coarguimus. Illud namque dubii omnis expers eſt, vitam tamdiu durare, quamdiu ſalvus atque incolumis eſt motus iſte ſangvinis circulatorius: Interea tamen perpetua hac ſangvinis humorumq; reliquorum circulatione utitur natura tanquam inſtrumento, quo corpus, etiam inter media corruptionis organa conſtitutum, nihilominus efficaciſſime ab eadem defenditur inque mixtionis ſuae integritate conſervatur, & quidem tam ſecretionibus quam excretionibus jugiter ſuccedentibus.

§. IX.

Quae cum ita ſeſe habeant, ſua ſponte corruunt, quae alii vel de ſpiritibus vitalibus eorumq; in conſervanda vita energia, vel balſamo naturali, ſangvinem humoresque reliquos a corruptione praeſervante aliisq; ejuſmodi chymaeris deblaterant. Atque adeo ſi ea, quae huc usque diximus, in brevem ſummam contrahere velimus, vitam nihil reipſa aliud eſſe enunciamus, quam actum *mechanico-organicum*, quo ſub perpetuo & nunquam interrupto ſangvinis motu circulatorio perpetuae corruptarum & qualiumcunq; heterogenearum materiarum ſecretiones & excretiones adornantur, ſicque non ſolum univerſa humorum moles in ſua temperie & mixtura, ſed ipſae ſimul partes ſolidae ac ſolideſcentes ſua in textura intemeratae conſervantur.

§. X.

Unde ſimul diſpaleſcit, quod, cum vita ac ſanitas pari ambulent paſſu, ſecundum hunc, quem de for-

mali vitae ratione formavimus, conceptum, ipſa quoque ſanitas in nullo alio conſiſtat, quam in legitimo & intemerato actuum iſtorum, vitalis mixturae & texturae conſervatoriorum ſucceſſu: Ita enim juſtiſſimum omnium functionum tam vitalium quam animalium exercitium preſſo pede conſequitur, ut anima non ſolum ſingulari cum promptitudine exequatur functiones animales, ſenſus nempe & motus voluntarios, ſed & vitales, chylificationem, ſangvificationem, reſpirationem, ſangvinis circulationem &c. imo nec in ipſis excretionibus naturalibus, tranſpiratione tam ſenſibili quam inſenſibili &c. ullus animadvertatur defectus. Quicunque ergo vivido pollet ingenio atque judicio, omnesque rationales actus prompte ac vivide exequitur, bonum inſuper habet adpetitum, ſomnum, ſenſuumq; atque motuum vigorem, in quo etiam neceſſariae humorum ſe- & excretiones legitimo modo ſuccedunt, illum perfecte ſanum pronunciare non dubitamus. Ut recte omnino *Celſus* dixerit: *Bonam ciborum ingeſtionem, ingeſtorum digeſtionem ac digeſtorum egeſtionem perfectae ſanitatis indicium eſſe.*

§. XI.

Quae tamen omnia cum aliqua latitudine accipienda, neque ad ἀκρίβειαν Mathematicam unquam exigenda ſunt. Talis enim abſoluta & quae inſectilis veluti dicenda, ſanitas non datur. Quemadmodum enim horologium vel aliud automa motibus, quibus deſtinatum, ſufficiens, dicitur integrum, etiamſi non amplius tanta cum exactitudine, ac primo conſtructionis ſuae tempore, ſtata illa tempora ſecundum

minuta

minuta prima indicet: Ita etiam nihil impedit, quo minus corpus hujus vel illius hominis dicatur ſanum, ſi functionibus ſuis obeundis ſufficiat, etiamſi forte alio imbecillius ſit, vel ſimili cum vigore actiones ſuas non exequatur.

§. XII.

Itaque tum demum corpus aegrotare dicitur, quando liberum actuum tam rationalium quam praecipue vitalium, adpetitus, concoctionis ciborum, nutritionis, reſpirationis, pulſus, ſecretionum &c. exercitium turbatum eſt, & quidem vel propter humorum in craſi & mixtione ſua peccantium perverſam qualitatem vel eorundem quantitatem nimiam vel ipſarum quoque partium & organorum ſubſtantiam, texturam, ſtructuram vel connexionem laeſam, vel ipſius naturae, tanquam principii corporis activi, vitio, dum quidem motus in corpore ſuo inſtituit, ſed vel alieno & incongruo tempore, vel perverſo ordine, vel ſi tempeſtive quidem & ordine ſuſceptos, eo tamen, qui requiritur, vigore & alacritate non proſequatur, ſicque gradibus impellendi deficiat, vel directione & intentione ad certum atque determinatum finem excidat: Hiſce enim modis cunctis actionem laedi, ſicque morbos induci manifeſtum eſt.

§. XIII.

Quemadmodum autem morbi ipſius mortis prodromi ordinarie eſſe ſolent, licet eandem non ſemper neceſſario inducant: Ita actu mors ſubſequitur, ſi mixtionis animalis corruptio usque adeo invaluerit, ut reparari nequeat: Mors enim, tanquam oppoſita vitae nihil eſt aliud, quam totius mixtionis animalis, quae ſub

ſub perpetua humorum circumagitatione & procedentibus ſub illa continuis ſecretionibus & excretionibus, in ſua integritate conſervabatur, univerſalis vel totalis deſtructio, ut reſarciri nulla ratione queat, procedens ab actuum vitalium *mechanico-organicorum*, ſecretoriorum inprimis & excretoriorum totali ceſſatione ac deſtructione.

§. XIV.

Notanter dixi, *mortem eſſe deſtructionem mixtionis animalis univerſalem*, ut eandem a corruptione & *Sphacelismo* membri alicujus *particulari* diſtingverem. Evenit enim quandoque, partem quandam humani corporis ſpecialem putredine corrumpi, quae mature reſecta non ſtatim univerſo corpori ruinam inevitabiliter infert, ſed ſolam tantum partem iſtam, quam occupaverat, deſtruit, corrumpit & ad agendum inhabilem reddit: Nihilominus tamen, ſi tali in ſtatu relinqueretur, metuendum utique foret, ne, cum omnis putredo inevitabiliter ſit multiplicativa ſui ipſius, corruptionem ſuam putredinoſam per partes primum proximas, deinde vero per longius etiam diſſitas diffunderet, ſicque totum tandem corpus peſſundaret, mortemq; univerſalem induceret.

§. XV.

Neque mirandum eſt, mortem hanc univerſalem totius corporis tandem certo certius ſequi: Cum enim non ſolummodo tota mixturae animalis conditio ad corruptionem ſumme ſit proclivis, ſed & ipſa organorum corporeorum ſtructura & conformatio alterationem ſuſcipiat, ut anima pro neceſſitudinibus ſuis iisdem amplius commode uti nequeat, imo & illud

ipſum

ipſum principium agens, certis limitibus ſua in energia ſit circumſcriptum, tandemque decrementa patiatur atque fatiſcat, quid mirum eſt, omnibus tandem hominibus inevitabilem moriendi neceſſitatem impendere?

§. XVI.

Loquimur autem hic de morte *naturali*, non *violenta*, quae a gravioribus partium vulnerationibus, fracturis, rupturis aut alia violenta ratione inducitur; Talemque proxime inſtantem utplurimum graviſſimi motus convulſivi praecedere ſolent: Quia natura, per motus ipſi ordinarios & conſuetos nihil obtineri poſſe, obſervans, omnem ſuam energiam veluti concentrat, ſicque viribus unitis materiae corruptae contumaciam ſuperare omni molimine contendit: Qualem naturae methodum liberandi ſeſe ab imminentis corruptionis praevalente efficacia, in ipſis quoque vegetabilibus, fruticibus, arboribus &c. nuperrima rigidiſſima hyeme obſervavimus, ubi primo ſtatim vere per motus veluti convulſivos innumerae quidem gemmulae hinc inde protrudebantur, quae arborum, cum totae emortuae eſſe viderentur, reviviſcentium haud obſcura praebebant indicia, quales tamen conatus, prudentioribus ita facile judicantibus, nihil erant aliud, quam ultima naturae conamina imminentem corruptionem, ſi poſſibile eſſet, praeoccupandi: Sicuti etiam paulo poſt eventus ipſe haud obſcure comprobavit, ubi ſuccum alibilem ſenſim retrocedere ipſasque gemmulas cum ramuſculis in frondibus tenerioribus marcore tandem conſumtas conſpeximus, ſicque mors in nonnullis *univerſalis*, in nonnullis autem *partialis* tantum preſſo pede ſubſequebatur.

INSTITUTIONUM MEDICINAE REFORMATARUM PARS TERTIA proponens PATHOLOGIAM.

CAPUT PRIMUM De *Nexu* Pathologiae *cum* Phyſiologia, *nec non de natura morbi in genere.*

§. I.

P*athologiam medicam*, quae circa theoriam hominis aegroti verſatur, traditurus, ingenue ſtatim primo in limine confiteor, inter *hanc* & *phyſiologiam*, quae in theoria hominis ſani occupata eſt, arctiſſimum nexum & ſororium quaſi vinculum eſſe debere: Unde conſequitur, quod, ſi *haec* inanibus atq; ſterilibus conceptibus, ad medicum ſcopum non tantum nihil conferentibus, ſed & eundem mirifice pervertentibus, referta fuerit, nemo facile crediderit, *illam* alterius indolis eſſe poſſe: Quale enim fundamentum eſt, tale quoque aedificium ſit oportet, quod eidem ſuperſtruitur. Illud ſi lubricum, labile atq; caducum fuerit, hoc quoque alterius conditionis eſſe nequit.

§. II.

Nobis certe metuendum non eſt, ejuſmodi *Pathologiam*, meris hypotheſibus Philoſophorum & Chymicorum vel cerebrinis plane ſpeculationibus ſubnixam, (qualis tamen in pleriſq; Medicorum ſcholis hucusq; regnavit) nos eſſe condituros; Quia undique

perſua-

perſuaſi ſumus, talia in *Phyſiologicis* nos collocaſſe fundamenta, ex quibus ſolida ſcopisq; clinico-practicis eminentem aliquando uſum ſuppeditatura *Pathologia* deduci haud difficulter poſſit, talis nempe, quae omnium cujuscunq; morbi circumſtantiarum tam communium quam propriarum circumſpecta conſideratione mutuaque earundem collatione veram tandem ejusdem & *naſcendi* & *progrediendi* & *finiendi* rationem exponit atque declarat.

§. III.

Hic vero generalia tantum *Pathologiae* fundamenta tradentur; Nempe varii corporis humani morbi ſecundum univerſam ſuam indolem, potisſimum vero ſecundum varias cauſas, *quatenus tractationi medicae ſubſunt*, conſiderabuntur. Dicimus notanter; *Quatenus tractationi medicae ſubſunt:* Tales enim cauſarum indagationes, quae ad exploranda & invenienda auxilia medica propiorem non pandunt viam, ad *Pathologiam* vere *medicam* non pertinent, imo potius multis reſpectibus ſunt nocivae, quia falſis tantum indicationibus inde formandis uberrimam ſegetem ſubminiſtrant.

§. IV.

Sicuti autem vitam atque ſanitatem conſiſtere diximus, tam in legitima organorum & partium, ratione texturae atque ſtructurae, integritate, quam etiam juſta fluidorum craſi indeque fluente legitimo omnium actuum tum vitalium & naturalium, ſecretoriorum inprimis & excretoriorum, tum etiam animalium & rationalium exercitio ſeu conveniente adminiſtratione: Ita e contrario formalis morbi ratio in alio

non conſiſtet, quam in eorundem actuum, inprimis ſe & excretoriorum ſucceſſu turbato vel impedito: Unde reliquorum etiam actuum, animalium nempe & rationalium turbationem vel qualemcunq; ataxiam ſequi neceſſe eſt.

§. V.

Et quemadmodum alias oppoſitorum quoque oppoſita eſt ratio: Ita, cum vita nihil ſit aliud, quam actus mechanico-organicus, quo mediante jugi ac perenni fluidorum a ſolideſcentibus fibroſis, motu quippe tonico vitali gaudentibus impulſorum, progreſſu atque circulatione per ſua vaſa, ſangvis ad corruptionem intimam, nempe putredinoſam ſua natura admodum pronus, perpetua ſucceſſione motuum ſe- & excretoriorum non ſolum ab actuali tali putredine ſollicite praeſervatur, ſed & corruptelae ſalino-ſulphureae, motus vitales varia ratione perturbantes, per organa colatoria publica e corpore proſcribuntur: Hinc mortem in alio non verſari intelligimus, quam in motus hujus ſangvinis humorumq; circularis deſtructione atque ceſſatione totali: Ita enim ſimul ceſſabunt omnes functiones tam animales quam vitales & naturales, potiſſimum vero univerſum actuum tam ſecretoriorum quàm excretoriorum negotium; Quibus quippe fatiſcentibus de vita actum eſſe mortemque ſequi debere, intelligere facile licet.

§. VI.

Cum verò ſecundum Hippocratis effatum omne id, quod hominem adfligit ejusque actiones laedit, morbus ſit, illaque laeſio partes tam fluidas quam fibroſo-ſolideſcentes concernat, clarum eſt, omnes morbos

morbos eſſe vel fluidorum vel ſolideſcentium & ſolidorum, & quidem horum ſubinde frequentius quam illorum, quia a tono & impulſu, ſyſtole ac diaſtole partium fibroſarum motricium maximam partem fluidorum motus & impulſus dependet. Quod fluidorum morbos ſpectat, illi ſiti ſunt vel in nimia eorundem quantitate, quam aliâs Plethoram vocant, vel in vitioſa humorum qualitate vel perverſione & ataxia motuum: Ad alteram vero claſſem praeter morbos conformationis, compoſitionis & ſolutae unitatis omnes morbi ſpaſmodici, qui ex nimia motuum tonicorum intenſione, vel eorundnm remiſſione vel atonia totali oriuntur, pertinent: Hac enim duplici ratione tonus partium fibroſo-membranoſo-muſculoſarum laedi ſolet, nempe vel nimia intenſione, uti fit in ſpaſmis, vel contraria relaxatione & remiſſione vel atonia.

§. VII.

Haſce vero motuum tonicorum alterationes varias quoque motuum anomalias ſequi ipſis in humoribus, evidentis eſt conſequentiae: Quando enim tonus partium fibroſarum violenta ratione intenditur, tunc partes vaſaqve ſangvinea cum vi conſtringuntur, pori evadunt ſtrictiores ac proinde liberior ſanguinis humorumq; influxus & transfluxus intercipitur, imo quicquid humorum in parte ſpaſmodice contracta haeret, efficaciter exprimitur. Sunt autem morbi huc ſpectantes omnes motus convulſivi tam univerſales epileptici quam particulares, uti ſunt vomitus, palpitatio cordis, ſingultus, arthritis tam vaga quam potiſſimum fixa, pleuritis ſpuria, vehe-

mentes quidam dolores, nonnullae etiam haemorrhagiae, quae ex aliarum ſubinde admodum remotarum partium ſpaſmis oriuntur, omnia pathemata hypochondriaca atque hyſterica, flatulentiae, diſtenſiones ac tormina infimi ventris, anxietates praecordiorum, omnia aſthmata inveterata, ſicca atque ſpaſmodica &c. Quando vero tonus earundem partium fibroſarum nimis relaxatur, tunc eaedem nimium, quam par eſt, elongantur, pori evadunt laxiores amplioresq;, atque adeo nimia in copia humores admittuntur, ſicque congeſtionibus, ſtagnationibus atq; ſtaſibus eorundem anſa ſuppeditatur: Hoc enim in ſtatu ſangvinem in motu ſuo locali retardari omnesq; ſe- & excretiones langvere debere, palam eſt. Interea hûc pertinent omnes tumores ex decubitu ſeri oriundi, uti ſunt oedemata pedum, aſcites, anaſarca & quicquid in genere ſub nomine cachexiae vel leucophlegmaciae comprehendi vulgo ſolet. Eodem referri quoque merentur defluxiones catarrhales, coryza, gravedo, rheumatiſmus uteri ſeu fluor mulierum albus, omnes ſpontaneae membrorum laſſitudines, paralyſes ſpuriae, nimia ad ſomnum proclivitas, artuum pondus, gravativus ſenſus & ad motúm voluntarium impotentia: Motu enim tonico, ſive, ut Mechanici loqui amant, elatere fibrarum imminuto ac labefactato tranſpiratio ſufflaminatur, colatoria publica infarciuntur, excrementa ſeroſo-ſalino-ſulphurea ſub cuticula & cute coacervantur, ſicque variis cutis defoedationibus ſcabioſis ulceroſisq; occaſio ſubminiſtratur.

§. VIII.

§. VIII.

Prius vero, quam ad differentias morborum eorundemq́; cauſas enodandas progrediamur, contra praefigurationes vulgares notamus adhuc in genere, quod adſertum illud Hippocratis, ſiquidem ab ipſo profectum fuerit, *omnem* nempe *hominem a nativitate morbum eſſe*, experientiae quotidianae e diametro contrarium ſit, quippe quae potius docet, quod quilibet homo niſi individualis forte diſpoſitio obſit, per totam ſuam vitam rariſſime aegrotet, imo potius à morborum inſultibus ita praeſervetur, ut rariſſime ad artificialia ſubſidia medica recurrendi neceſſitas ipſi incumbat. Quae adſertio utut plerisq; admodum paradoxa videri queat, eſt tamen interea certiſſima ac veriſſima, immenſoq; plebejorum hominum numero ita confirmata, ut, qui ſubinde adhuc aegrotare obſervantur, laborare potius ex peculiari ratione aetatis, temperamenti, morum, vitae generis, diaetae & regiminis, conſuetudinis, tempeſtatum, loci aliarumque cauſarum accidentalium, quam vi internae diſpoſitionis ac naturalis quaſi habitudinisad aegrotandum, oſtendi facile poſſit: Cui obſervationi merito jungenda eſt illa altera, quod nempe homines, qui adhuc aegrotare obſervantur, non adeo multis morborum ſpeciebus laborare deprehendantur, ſed ut plurimum vel uno eodemq; morborum genere vel eorundem ſaltem ſchemate mutato: Unde jam alibi monuimus, ad morborum metaſchematiſmum probe attendendum eſſe. Ex hiſce vero omnibus colligi etiam poteſt paris evidentiae obſervatio de rara cauſarum morbificarum, quarum vulgo ingens ſeries, magnae ad

morbos

morbos ex hypotheſi multos atque varios excitandos efficaciae recenſetur, energia: Nam ſi quilibet homo in ac per ſe conſideratus admodum infrequenter aegrotet, longe infrequentiores & rariores oportet eſſe cauſas, quae morbos excitent.

§. IX.

Si tamen hominem cum homine comparare liceat, reperiemus utique, alterum prae altero morbis rarius vel frequentius expoſitum eſſe: Qui enim ſimpliciore victu contenti ſunt, laborioſam inſuper vitae rationem ſequuntur, & effraenibus paſſionum ſuarum motibus exagitari ſeſe nimium non patiuntur, imo & a violentiis externis, quantum poſſibile, abſtinent, illi certe, quin rarius reliquis aegrotent, vel actuales morbos infrequentius experiantur, dubium eſſe nequit: Econtrario qui gulae blandimentis indulgent, varietate victus delectantur, nimia inſuper quantitate ventriculum totumq; corpus onerant, otio interim atque deſidia veluti diffluentes & nihil tamen interea de peſſima iſta conſuetudine, nimia nempe copia eſculentorum & potulentorum ſeſe ingurgitandi, remittentes, imo & ſub peſſimis hiſce abuſibus, immoderatis animi moribus ac motibus fraena liberius laxant, illos certe frequentius reliquis laborare & actu aegrotare, pariter extra omne dubium poſitum eſt.

§. X.

Imo &, ſi diverſum ſexum comparare inter ſeſe mutuo integrum ſit, reperiemus iterum, ſequiorem prae virili & longe frequentius aegrotare & pluribus tam numero quam ſpecie morbis laborare, ſive jam haec major aegrotandi proclivitas oriatur à nimia ſenſibi-

ſenſibilitate & teneritudine foemellarum, vel inde dependeat, quod otioſiorem vitae rationem ſequantur, vel moribus animae perverſis praeditae, ab adfectuum ſuorum impetu magis abripi ſeſe patiantur, vel ex peculiari ſua deſtinatione, fine ac ſcopo, ad quem mulieres ipſa naſcendi conditione deſtinatae eſſe videntur, liberos nempe concipiendi, fovendi, geſtandi, excludendi, nutriendi & educandi, hanc ſortem experiantur, ubique ſat rationum deprehendimus concludendi, foemellas utique prae viris & frequentius aegrotare, & pluribus inſuper numero ac ſpecie diverſis adfectibus morboſis corripi.

§. XI.

Nec denique, ſi varias hominum aetates inter ſeſe mutuo comparemus, experientiae ſuffragio deſtituemur, ſi aetatem infantilem ac puerilem prae reliquis aetatum gradibus atque ſucceſſionibus, ad frequentius aegrotandum procliviorem eſſe ſtatuerimus, ſive conſideremus varios illos atque multiplices in diaeta ac regimine abuſus imo errores manifeſtos, ſive teneram adhuc corporis conſtitutionem, ſive varium dentitionis ſucceſſum, ſive variolarum atq; morbillorum, a quorum inſultibus vix milleſimus quisque liber in omni vita manet, incertos ac ſaepe infidos ſucceſſus & eventus, ad animum revocemus.

§. XII.

Ratione diſpoſitionis ſeu habitus ipſius corporis omni adhuc animadverſione digniſſimum eſt, quod conſtitutio corporis plena, habitior, florida, quam Hippocrates Athleticam vocat, longe proclivior ſit ad aegrotandum, quam habitus tenerior, & ad ſen-

ſum debilior: Non quidem ex vulgari illa ratione, quam commentatores & interpretes ejusdem adſerunt, quod nihil unquam in ſummo perfectionis ſtatu ſubſiſtere diu valeat, ſed mox in deterius vergere neceſſe habeat: Verum potius, quod omnes motus vitales longe majori activitate in his quam illis expediantur.

§. XIII.

At vero, ſi jam homines cum brutis animantibus comparare liceat, certiſſimum utiq; eſt, majorem aegrotandi frequentiam obſervari in corporibus humanis prae illis brutorum. Quamvis enim corpora brutorum animantium materialiter conſiderata tam ratione mixtionis quam texturae eadem prorſus indole gaudeant cum corporibus humanis, i. e. aequalem habeant diſpoſitionem ac proclivitatem ad putreſcendum: Nihilominus tamen cum uniformi magis atq; ſimplicisſimo delectentur victu, nihil mirum eſt, rarius talia aegrotare: Unde etiam ex brutis ipſis illa prae aliis frequentius morbis laborant, quae manſueta ſunt, hominum conſortio fruuntur & ab illorum illecebris magis ſeduci ſeſe patiuntur: A quibus omnibus cum ferae beſtiae alienae vivant, rarius etiam prae domeſticis & manſuetis aegrotant.

§. XIV.

Ultimum, quod tamen minime poſtremam in hac conſideratione attentionem meretur, eſt illud, quod corpus, quod in ſumma illa ad aegrotandum proclivitate conſtitutũ eſt, & rarisſime tamen actu aegrotat, recondat adhuc in ſeſe energiam quandã, omnem morboſum proventum ita praeoccupandi, ut rarisſime in actualem effectum

fectum deducatur, aut etiam, quantumvis forte morbo quodam actualiter corriperetur, eundem tamen eludendi vel efficaciam ejus obtundendi vel damna jam actu illata avertendi ſicq; corpus ſuae integritati reſtituendi. Vocare hoc ſolent medicinam ſine Medico ſeu ſpontaneam corporis curationem, qua ſine concurſu artificiali medico morbi abiguntur, & corpus tam ratione mixturae quam texturae integrum ſalvumque permanet.

CAPUT SECUNDUM.

De *Differentiis Morborum praecipuis.*

§. I.

Hiſce ita praemiſſis, primarias nunc morborum differentias evolvamus, inter quas primum merito locum occupat diviſio morborum in *congruos* & *incongruos*. *Illi* ſunt, qui in eam aetatem, ſexum, temperamentum, anni tempus &c. cadunt, cui proprii ſunt; *Hi* autem, qui aliam aetatem, ſexum &c. adficiunt, cui alias minus conveniunt. Ita v. g. ut de aetate ordiamur, infantibus ac pueris familiares ſunt achores capitis, defluxiones aurium oculorumq; aphthae, crebri vomitus, tuſſes, diarrhoeae, variolae, morbilli, tumores glandularum, tormina ventris, epilepſiae aliique plures morbi, quorum ſeriem exhibet Hippoc. Sect.III. Aph.24.25. & 26. quos omnes *congruos* adpellare non dubitamus. Si vero puer vel adoleſcens laboret arthritide vel podagra, uti factum fuiſſe probat *Salmuth* Cent. 3. Obſ.53. M.N.C.An.8. Obſ.XII. imo nos ipſi hoc vere anni 1716. in multis juvenculis

tam puellis quam nuptis mulieribus arthritidem vagam hic Duisburgi epidemice quaſi graſſari obſervavimus, quis negabit, aetati iſti hunc morbum penitus fuiſſe *incongruum*, ipſo Hippocrate Sect. VI. Aph. 30. id graviter enunciante. Simili ratione haemorrhoides congruae quidem ſunt aetati virili, penitus vero incongruae aetati infantili, & tamen aetatem hanc in utroq; ſexu haemorrhoidibus tentatam fuiſſe teſtatur *Frommannus* Tract. de haemorrhoidibus p. 1. Probl. 28. *Francus de Franckenau*, M. N. C. An. IV. Obſ. 5. Ita etiam apoplexia plerumq; cadit in aetatem provectiorem, puellam tamen quatuor annorum eadem quoq; correptam fuiſſe teſtis eſt *Hagendorn*. C. I. Obſ. 32. Menſium quoque incongrue prodeuntium ante ſolitos pubertatis annos mentionem fecit *Tulpius* Lib. 3. Obſ. 36. Quod aetatem attinet Juvenilem ac virilem, eidem incongruae ſunt variolae ac morbilli, magis vero aetati ſenili, in quam tamen nonnunquam etiam cadere morbos ejuſmodi infantiles, novellae Lipſienſes ante aliquot annos ex Anglia nobis confirmarunt. Ita etiam podagra ordinarie non adficitur ſexus ſequior, adnotante Hipp. Sect. VI. Aph. 29. ſed ſolus maſculinus, exempla tamen apud *Hagendornium* Cent. 3. Obſ. 23. *Solenand.* Conſ. 1. Hippocratem fecerunt mendacem. Dicuntur quoque multi morbi incongrui, ſi in aliud anni tempus cadant, quam cui alias proprii eſſe ſolent, uti v. g. ſi tertiana, quae vernalis eſſe ſolet, in autumnum, vel quartana, quae autumnalis eſſe ſolet, in aeſtatem incidat.

§ II.

Sicuti autem de hiſce morbis, anni temporibus, ſexui,

ſexui, aetati, habitui &c. exacte non reſpondentibus tale tulit judicium Hipp. Sect. 3. Aph. 8. quod, prout vel bene vel male quadrant, facilius etiam vel difficilius judicentur: Ita Waldſchmidius Inſt. Med. Libr. 2. Cap. 2. merito judicat, quod haec morborum diviſio in inſtituendis praeſagiis maximam habeat utilitatem, cum morbi incongrui ſemper plus alant periculi quam congrui; Quod judicium confirmat quoque Hippocrates Sect. II. Aph. 34. qui licet prima fronte magna laborare videatur abſurditate, eodem tamen nihil eſt certius, cum multiplex eundem confirmet experientia.

§. III.

Intuitu emolumenti vel damni, quod ex certis quibusdam morbis in corpus redundat, diſtingvuntur in *ſalutares* & *noxios*, quorum priores cauſam morbificam removendo incolumitatem corpori praeſtant, quales ſunt omnes febres potisſimum tertianae, intermittentes, quod M. S. veluti ventilando ac purificando, per certam quaſi deſpumationem, uti *Sydenhammius* negotium hoc exprimere conſuevit, a diuturnis alioquin impendentibus morbis tutum praeſtent ejuſmodi febricitantem, dummodo intempeſtivis adſtringentibus, inter quae *cortex Peruvianus* non poſtremum obtinet locum, non ſuffocentur in prima herba adeoque humorum coacervationibus & infarctui anſa ſuppeditetur. Huc etiam pertinent haemorrhagiae critice ſuccedentes, quae praeſentisſimum plethorae morborumq; inde procedentium remedium ſunt. Ejusdem indolis ſunt diarrhoeae, pariter cum euphoria ſuccedentes, uti & catarrhi narium, qui adfectus cuncti etiamſi cum aliquali moleſtia ſint conjuncti,

attamen ſuperati a plurimis excrementitiis partibus & ſordibus corpus liberare ſolent; Idemq; expectandum a vomitu, nempe critico: Noxium contra effectum corpori inducunt hydrops, phthiſis, hectica, febres malignae, petechiales, iliaca paſſio, adfectus ſoporoſi &c.

§. IV.

Non omnes quoque morbi iisdem periculis ſunt ſtipati, quare dividuntur in *Periculoſos* & *non periculoſos*: Ad priorem claſſem pertinent omnes imflammationes & eryſipelata partium internarum, uti ſunt inflammatio ventriculi & inteſtinorum, febres inflammatoriae malignae, item plerique adfectus cerebri, uti ſunt apoplexia, lethargus, epilepſia praecipue ſymptomatica, phrenitis, uti & alii, ſicuti ſunt pleuritis & peripnevmonia, hydrops, paſſio iliaca, phthiſis &c. Minus vero periculi alunt epilepſia idiopathica, potisſimum chronica, adfectio hyſterica, omnes febres tertianae, icterus, niſi in nigrum degeneret, omnes catarrhi & rheumatiſmi, utpote de quorum plerisq; jam antea pronunciavimus, quod aliorum morborum ſolutioni inſerviant.

§. V.

Ratione durationis diſtingvunt morbos in *chronicos* & *acutos*, quorum hi brevisſimo temporis intervallo ſua tempora percurrendo terminantur ſive ad ſalutem ſive ad mortem, quod tempus vix ultra diem quadrageſimum extendere ſeſe ſolet, uti ſunt omnes febres continuae & acutae, phrenitides, peripnevmoniae, pleuritides, apoplexia, paſſio iliaca, catarrhus ſuffocativus &c. Chronici vero ſunt, quos non diebus aut ſeptimanis, ſed menſibus imo annis metimur,

atque

atque adeo diutiſſime protrahuntur, uti ſunt pathemata hypochondriaca atque hyſterica, ſcirrhi hepatis atq; Lienis, icterus, anaſarca, Phthiſis, hectica, febris quartana, lues venerea, epilepſia habitualis, ſcabies & plures alii.

§. VI.

Sunt etiam peculiaria morborum genera, quae his potius quam aliis, adeoq; certis tantum locis, regionibus ac populis propria ſunt, alia vero promiſcue graſſantur & modo hos modo illos occupant. Hoc vero reſpectu nova oritur morborum diſtinctio in *endemios* & *Epidemicos*. *Illi* ſunt, qui certis tantum regionibus certisq; populis proprii & quaſi inquilini ſunt. Ita Rhaeti, Valleſienſes & Helvetii ſtrumis obnoxii ſunt; Cujus rei rationem ex conditione aquarum per montes calcarios decurrentium nonnulli derivant: Idem tamen malum experiuntur quoque incolae Carinthiae ac Styriae, uti & in nonnullis locis Hercyniae, ubi aquas metallicas crudiores potant. Anglis, praecipue Londinenſibus phthiſis admodum exitialis eſt; Cujus rei cauſam plerique a fumo carbonum foſſilium deducunt, qui tamen, an rationes ſuas recte ſubduxerint, alibi diſcuſſimus. Praeter phthiſin regnat quoque in Anglia rachitis, quamvis in Belgio foederato quoq; complures pueros rachitide laborantes viderim, & hic locorum talia quoq; exempla hodie non deficiant. Polonos admodum vexat plica Polonica, frequentius tamen Judaeos quam Chriſtianos. Hungariam adfligit arthritis & podagra. In Miſnia locisq; vicinis peculiaris morbus graſſatur, quem purpuram vocant, & ſub duplici hodie ſpecie obſervatur, dicuntque

purpu-

purpuram vel rubram vel albam, qui morbus antehac incognitus fuiſſe videtur. Atque haec eſt ratio morborum endemiorum. Quod vero epidemicos ſpectat, illi non urbes tantum ſed & integras ſaepe regiones pervagantur pluresque ſimul infeſtant, agnoſcentes plerumque vitium aliquod aëris circumfuſi, uti ſunt febres malignae, petechiales, variolae, morbilli, dyſenteria, tuſſis, febres peſtilentiales imo ipſa peſtis.

§. VII.

Non raro cauſa mali haeret in parte remota, nonnunquam vero in parte immediate adfecta, quo proinde reſpectu morbi dividuntur in *idiopathicos* & *ſympathicos* ſeu *conſenſuales*. *Illi* dicuntur, eadem in ipſa parte adfecta haerente; *Hi* vero, cauſa morbi aliunde tranſmiſſa. Ita datur epilepſia idiopathica habitualis, datur tamen etiam ſympathica, fomite mali ex utero, ventriculo aliisque partibus communicato. Similiter res ſe habet in vertigine, vomitu, cephalalgia, haemorrhagiis variis &c. quorum adfectuum cauſae aliunde ad caput, ventriculum &c. tranſmittuntur.

§ VIII.

Non eſt quoque negligenda morborum diviſio ſecundum 4. anni tempora; Alii enim ſunt vernales, alii aeſtivi, alii autumnales & alii deniq; hyberni, quos ordine deſcribit Hipp. Sect. 3. Aph. 20. 21. 22. & 23. De quibus omnibus eadem Sectione Aph. 19. pronunciat, quod quidem quibusvis anni temporibus omnis generis morbi oriantur, nonnulli tamen in quibusdam tantum fiant. Similiter morbi ſecundum diverſitatem aetatum variare quoque ſolent, quos itidem deſcripſit Hipp. Sect. 3, Aph. 24. 25 26. 27. 28. 29. 30. & 31. Morbos denique,

denique, quod crebras tempeſtatum mutationes conſequuntur, idem deſcripſit eadem Sectione Aph. 5. 6. & 7. Idemque haud inutiliter animadvertit, has potius quam illas naturas ad aeſtatem, alias ad hyemem bene vel male ſeſe habere. Imo nonnullos quoque morbos ad alias anni tempeſtates bene vel male ſeſe habere, experientia id ubique confirmante.

§. IX.

Et cum non omnes morbi hominem aequo ſemper marte invadant, ſed nonnunquam parvas eidem inducias concedant: Hinc non immerito diſtingvuntur in *intermittentes & Continuos.* Hi conſtanti tenore ſine ulla intermiſſione (etiamſi nonnunquam cum remiſſione ſymptomatum) hominem adfligunt, uti ſunt febres continuae acutae; Illi vero ferociam ſuam tantiſper ſuſpendunt, uti ſunt tertianae, quartanae, epilepſia, adfectio hyſterica &c.

§. X.

Non immerito quoque dolemus, quod morborum corruptorum, ſeu, qui praeter propriam & genuinam ſuam indolem vel perverſis Patientium moribus vel prorſus incongrua arte depravantur, pervertuntur ac in pejus deducuntur, mentionem qualemcunq; hic injicere neceſſe habeamus: Morborum enim corruptorum nomine denotamus tales adfectus, qui, ut dictum, praeter & contra conſuetam ſuam indolem in deteriorem ſtatum vel aliam faciem degenerant, & tam durationis, ſucceſſus, impetus & ordinis ratione, quam ſymptomatum accedentium vel

conſequentium reſpectu in varias anomalias deducuntur, ſive jam hoc fiat mali regiminis ſive ipſorum medentium culpa: Unde deinde vel morborum talium recidiva vel heteroclitus typus vel pertinacior ac veluti habitualis contumacia inducitur. Atque adeo talis morborum corruptio inducitur vel morbum producendo & longiorem durationem inducendo, dum nempe acuti tranſmutantur in chronicoteros, tranſitorii & leviores in rebelles, contumaces ac diuturnos, vagi in fixos &c. vel vim eorum exacerbando, qua ratione ex chronicis & intermittentibus fiunt acuti, ex indolentibus dolorifici, ex mitioribus maligni &c. vel excretiones, ad quas interdum ſponte vergit natura, ſupprimendo vel ordinem & ſucceſſum pervertendo, id quod in febrium tertianarum ſuppreſſionibus typorumq; perverſionibus nimis frequenter obſervatur, vel activitatem vitalem enervando, obtundendo & quaſi ſtupefaciendo, ut in poſterum omnem excernendi conatum vel negligat vel ſegniter ſaltem ac tergiverſanter adgrediatur, qualem inprimis effectum poſt ſeſe relinquunt opiata, quae non tantum irrevocabilem virium omnium dejectionem, ſed & obſtinatum vitalium actuum neglectum poſt ſe trahunt. Atque talium morborum dicta ratione corruptorum in utraque tam medica quam chirurgica praxi major occurrit numerus, quam optare fas fuerit. Ad priorem cenſum pertinent febres tam intermittentes quam continuae, omnia pathemata hypochondriaca & hyſterica, adfectus haemorrhoidales, calculoſi & nephritici, uti & arthritico-podagrici, cancer latens & nondum exulceratus; Ad poſteriorem

vero

vero pertinent inflammationes, vulnera, ulcera, tumores, luxationes, fracturae &c. quos omnes adfectus tam externos quam internos variis modis corrumpi & poſſe & ſolere, quotidianam experientiam teſtem citamus.

§. XI.

Uti autem varii morbi tam perverſis Medicorum artificiis quam ipſorum aegrotantium culpa & vitio corrumpi ac perverti poſſunt atque ſolent: Ita non minus in habitum degenerare alii conſveverunt, vel, quod idem plane eſt, *habituales* reddi: Quo proinde nomine denotamus omnes illos morbos, qui vel ex partis alicujus vitio, emendationem vix admittente, imo potius in diuturnam conſuetudinem abeunte oriuntur, vel ex ipſius actionis perturbatione, citra inſigniorem tamen ipſius partis laeſionem, procedunt, cum prompto non minus quam frequenti talis perturbationis recurſu. Talesq; morbi in habitum quaſi & conſuetudinem degenerantes ſunt non ſolum febres intermittentes, ſed & eryſipelas, uti faciei, ita quoque crurum aliarumque partium, epilepſia aliique motus convulſivi, haemorrhagia, catarrhus, rheumatiſmus uteri ſeu fluor mulierum albus, cephalalgia, hemicrania, relaxatio uvulae atque tonſillarum, angina, aſthma ſiccum & convulſivum, tuſſis, palpitatio cordis, diarrhoea ſpontanea, arthritis tam vaga quam fixa, tumores oedematoſi pedum, haemorrhoides, ulcera manantia, pathemata hypochondriaca atque hyſterica, paſſiones nephriticae, colica &c.

§. XII.

Obſervantur praeterea morbi quidam *periodici*, quo nomine illos intelligimus, qui ſtatis temporum intervallis revertuntur, uti ſunt febres intermittentes, adfectus convulſivi, haemorrhagiae nonnullae, uti ſunt haemorrhoides, interdum etiam haemoptyſes & abortus, quorum tamen periodice recurrentium rariora ſunt exempla. Huc etiam pertinet arthritis tam vaga quam fixa, quae licet interdum longioribus ſpatiis revertatur, periodi tamen naturam propterea non exuit, eryſipelas, & rhevmatico-ſangvineae quaedam congeſtiones, ad quem cenſum pertinent cephalalgiae, hemicraniae, otalgiae & odontalgiae nec non ophthalmiae, uti & nonnulli adfectus, rationis uſum turbantes, ut melancholia, mania &c.

§. XIII.

Occurrit inſuper in praxi medica frequens mentio adfectuum ſanabilium, incurabilium & plane lethalium. *Sanabiles* adfectus ſunt, qui tam ſpontaneo naturae ſubſidio quam artis opera ſubjugari ſeſe patiuntur. *Inſanabiles* vero ſunt, quorum laeſiones ita comparatae, ut nec ſponte natura nec artis medicae quocunq; adjumento tractari ac reſtitui ſeſe patiantur, quo eodem ſenſu etiam incurabiles dici poſſunt: Hi tamen a lethalibus manifeſta plane ratione diſtincti ſunt, quia non ea talium natura eſt, ut patientem neceſſario ad mortem deducant, imo licet nonnulli horum cum interitu aegrotantium conjuncti eſſent, lentioribus tamen ſucceſſibus ad finem iſtum tenderent. Adeoque genuino ſuo ſenſu morbi incurabiles

ſeu

ſeu inſanabiles dicuntur, qui, quicquid etiam omni ſua peritia & arte moliatur Medicus, ad conſtantem integritatem & plenariam eradicationem nunquam deducuntur, quin ſubinde repullulent vel denuo inſiſtant, donec tandem ad interitum deducant aegrotantem. Pertinent huc haemorrhagiae habituales, rhevmaticae vel catarrhales defluxiones verſus certum quendam locum deductae, pathemata hypochondriaco-hyſterica, flatulentiae, adfectus colici habituales jam facti, item paſſiones arthriticae, motus convulſivi & epileptici, diuturniore jam mora radicati, paralyſis, apoplexia profundior, melancholia, mania, fatuitas & vertigo caduca, hectica, aſcites, tumores oedematoſi vel crurum vel alterutrius tantum pedis, qui a metaſtaſi repentina febrili ortum ſuum habent, praeſertim longo tempore obfirmati, item ſcirrhi partium glanduloſarum, inprimis mammarum muliebrium earundemq; cancer ſive latens ſive exulceratus, aliarum quoque partium tam interiorum quam exteriorum exulcerationes inveteraſcentes, aſthmata antiqua, impotentia virilis & ſterilitas foeminarum, fluxus albus mulierum annoſior & annoſiorum vetularum, fiſtulae ſinuoſae inveteratae, incontinentia urinae ac ſeminis &c.

§. XIV.

Lethales vero adfectus ex propria ſua indole ſunt, qui vel propter graviſſimam organorum vitalium laeſionem immediatam, ad omnem amplius uſum inidoneorum vel reſtitutionem nullam amplius admittentium, vel certae alicujus corruptelae nimium invaleſcentis praedominium omnem vitalium actuum

 & mo-

& motuum energiam ſpontaneam vel ipſius quoque artis efficacem concurſum ita eludunt, ut non poſſint alium niſi lethalem effectum & eventum pediſſequum habere, exemplo ſphaceli & intimiorum inflammationum internarum, a ſtaſibus oriundarum, quae nulla arte ad reſolutionem vel diſcuſſionem deduci poſſunt, ſed ad ſphacelum prono impetu ruunt, omni quippe ſubſidiorum aditu ad talem partem denegato.

§. XV.

Denique *haereditariorum* adfectuum mentio adhuc injicienda eſt. Denotamus hoc nomine tales morbos, quorum diſpoſitio per haereditatem quaſi a parentibus tranſit in liberos, uti ſunt podagra ejusque ſpecies, phthiſis, apoplexia, paralyſis, haemorrhagia narium, cujus domeſticum exemplum mihi notum eſt Parentis cujusdam, qui enormiori narium haemorrhagia unum vel alterum diem perdurante & recurrente laborabat per vices ſeu certa temporum intervalla, qui tres genuit filios, quorum duo natu majores eidem narium haemorrhagiae obnoxii erant, tertio natu minimo nihil adhuc tale quid patiente. Pertinent quoque ad cenſum adfectuum haereditariorum fluxus haemorrhoidalis, pathemata colica aliaq; plura.

CAP.

CAPUT TERTIUM.

De *Cauſis Morborum.*

§. I.

Exhibitis primariis morborum differentiis, deſcendendum nunc eſt ad eorundem cauſas morbificas, quo nomine generatim comprehendimus omne id, quod vel tonum in ſolideſcentibus fibroſis, vel mixturam, circulationem & motum in fluidis alterare ac turbare poteſt & ſolet. Ne vero ſcrupulum injiciant variae cauſarum appellationes, medicis ſolemnes, quales ſunt cauſarum procatarcticarum, occaſionalium, antecedentium & continentium denominationes: Hinc juvabit hiſce terminis ante omnia ſuam foenerari lucem. Nempe per occaſionalem cauſam intelligunt illam, quae ad producendum effectum remotioris eſt efficaciae, & antecedentem ad agendum impellit. Per antecedentem vero deſignare ſolent talem, quae in proxima ad agendum vel influendum in effectum efficacia vel potentia eſt conſtituta. Ac deniq; continentem deſcribunt, quae immediata agendi ratione effectum producit. Neque ita raro cauſarum quoque moralium mentionem injiciunt Pathologi, quae licet craſſo atque corporeo quaſi contactu effectum phyſicum non edant, aeſtimatione tamen, re quippe pure morali nituntur, nempe propter certum ſcopum ac finem.

§. II.

§ II.

Quae vero propiore morbos cauſandi efficacia pollent, ſunt variae res externae, non naturales medicis dictae, uti ſunt aër, cibus & potus, ſomnus & vigiliae, motus & quies, excreta & retenta, pathemata animi, plethora, cacochymia, inſolitae exhalationes, effluvia & miaſmata per aëra obvolitantia, venena, & plura alia, quae tam fluidas quam ſolideſcentes corporis partes laedendi energia pollent.

§. III.

Haſce igitur cauſas omnes ſpecialiores, quae tamen reſpectu ſpecialisſimarum generaliores adhuc dicendae ſunt, priuſquam perſequamur ſtrictius, iterum iterumque monendum eſt, maxima quidem corpus ad morbos ſuſcipiendum gaudere diſpoſitione, ſive ſangvinem, floridisſimum licet atque ſua in craſi optimum, dum vel extra corpus effuſus eſt vel extra vaſa tantum ſtaſi detentus alicubi haeret, ſive plane fibroſo-ſolideſcentes partes in ſua textura ſpectemus: Nihilominus tamen non obſtante ſumma iſta ad aegrotandum aptitudine oeconomiam animalem ab iſto effectu in morbos actu incidendi alieniſſimam eſſe, & ſuperius jam ſatis confirmavimus, & indeſinens actuum vitalium in corpore vivo adminiſtratio clare evincit.

§.IV.

§. IV.

Haec duo itaque rerum momenta, nempe materialis potentia ab morbos ſuſcipiendum, & energia vitalis, quae impedit, ne diſpoſitio illa in actum prorumpat, ſi debite inter ſeſe mutuo conferantur, adparebit, majorem utique rationem eſſe habendam motuum vitalium, corruptionem iſtam inhibentium, quam ipſius materialis conſtitutionis. Imò & diluceſcet inde error Pathologiae vulgaris, qua multorum morborum accidentia pro ſymptomatibus vel effectibus morbidis declarantur, quae potius pro directis energiae vitalis actibus morbo oppoſitis haberi deberent.

§. V.

Unde quam maxime conveniet, genuinam conſtituiſſe differentiam inter noxas à morbis & moleſtias propter ſanitatem inde obtinendam. Actus vitales, quos natura impendit, pro conſervando corpore ſuo,eodemq; à morbis praeſervando ac liberando,utiles non modo ſunt, ſed & certo reſpectu neceſſarii, etiamſi moleſtiam quandam, ab actibus iſtis quippe inſeparabilem, junctam ſibi habeant. Interim moleſtum illud tam parum pro morbido haberi poteſt, ac moleſtior corporis concalefactio indeque ſequens ſudor, qui motum vehementiorem voluntarium, aegrotanti à Medico injunctum ſequitur, pro tali reputari meretur. Quemadmodum igitur motus ille eſt & manet res utiliſſima, etiamſi cum dictis iſtis incommodis complicetur: Ita ſimiliter actus illi vitales, morbis oppoſiti, utiles ac ſalutares ſunt manentque, etiamſi cum extraordinariis moleſtiis ſint conjuncti; Exemplo febrium,

quibus aeſtus, anxietates, inquietudines, pulſus auctior aliaque complicantur, quae tamen pro effectibus vere morbidis haberi minime debent, ac proinde temere ſupprimenda non ſunt.

§. VI.

Errori modo tacto merito jungimus duos alios errores Pathologicos fundamentales, quos circa cauſarum morbificarum evolutionem committunt tam antiqui, quam potiſſimum recentiores; Quamvis in eô utique aequaliter peccent, quod praecipuum totius Pathologiae fundamentum in pure materialibus ſanguinis reliquorumq; humorum laeſionibus & vitiis collocare non dubitaverint. A veteribus enim innumerae intemperierum & cacochymiarum ſpecies accuſantur; A recentioribus vero tot ſalia totq; portentoſae illorum poteſtates & energiae introducuntur, ut difficile ſit hariolari, quomodo haec talia in mentem ita temere illis venire potuerint, niſi experimenta Neotericorum chymica talibus ſpeculationibus anſam praebuiſſe, dicere placeat.

§. VII.

Inprimis autem, qui ſecundus recentiorum quorundam ſuperius jam notatus error eſt, promiſcuus ille obſtructionum proventus, qui hîc illîc ita prompte fieri creditur, circumſpectioribus jure ſuſpectus eſſe debet. Quamvis enim univerſa totius corporis in ſolideſcente ſui conſiſtentia, textura atque ſtructura compages, ex ſubtilisſimis ac tenuisſimis fibrillis atq; veluti ſtaminibus contexta, atque ita ab omni ſtabili duratione aliena; Imo & ipſe tubulorum atque vaſorum, texturam illarum partium intercurrentium,

habitus

habitus ita comparatus ſit, ut, ſi ſola ſimplex mechanica habitudo & proportio ſpectetur, ad obſtructiones iſtas ſubeundum ex natura & indole ſua propendere videatur, inprimis ſi conſiſtentiam humorum ſpiſſorum, & ſic ad motum minus aptorum, & quibus nihilominus per tubulos iſtos atque canales tranſeundum eſt, attentius conſideremus: Nihiloſecius tamen, quamvis haec omnia ita facile evenire poſſe intelligantur, ipſo tamen actu rarius ita ſuccedere & evenire, peritioribus & clinica in praxi verſatioribus perſuadere, non adeo erit difficile.

§ VIII.

Prodeat potius in ſcenam plethora, i. e. ſanguinis humorumque, utut qualitate non peccantium, copia, nec non quae exſuperantem iſtam ſanguinis quantitatem ſubinde ſequitur, nimia ejusdem ſpisſitudo aliaque craſeωs vitia, quae uno cacochymiae vocabulo exprimere ſolent Pathologi. Nam hæc duo haud infrequenter tanquam cauſas materiales multorum morboſorum adfectuum conſiderare ſolent. Neque vero diu cum argutatoribus quibusdam diſputandum eſt, an plethora detur? Cum ſingulis menſibus à fœmellis in menſtruorum fluxu ſanguinem floridisſimum, purpureum, & nutritiis, roſcidis atque gelatinoſis partibus abundantem, imo & in aliis haemorrhagiis ſanguinem optimum cum emolumento excerni videamus. Accedit, in pleriſque morbis, ex plethora oriundis VSione vix praeſtantius dari praeſidium, ſive praeſervatorio ſive curatorio ſcopo eandem adornaverimus; Imo & ventilationes tales ſponte ſuſcepte

plethorici cum evphoria ferunt, & iisdem ſatis ſenſibiliter ſublevantur; Licet hoc inficiandum non ſit, ſanguinem ſola tantum abundantia peccantem raro eminenter nocere, quamdiu nempe adhuc expedite ſatis circulum ſuum per vaſa arterioſa aeque ac venoſa proſequi poteſt, ſed tunc demum, ubi copia ejus tanta cepit augmenta, ut inter cauſam impellentem, ſyſtolem ſcil. cordis vaſorumque & corpus impellendum nulla amplius ſit proportio, vel à quacunque cauſa ſanguis orgaſtice commotus fuerit.

§. IX.

Hac igitur proportione mutuâ ſublatâ ſanguinem coacervari, congeri adeoq; oeconomiae animali gravem reddi atque nocivum neceſſe eſt. Plethora enim cum liberiorem ſanguinis progreſſum praepediat, ipſique vitali activitati multum faceſſat negotii, variis incommodis gignendis occaſionem praebet: Hinc eſt, quod plethorici ad motus voluntarios expedite ſuſcipiendos inhabiles ſint & facilius ſub iisdem defatigentur, citius quoque incaleſcant, &, laboribus peractis, ſenſum quendam doloris quaſi contuſorii perſentiſcant. Talis oppletiva ſanguinis cöacervatio parit ſucceſſu temporis infarctus viſcerum, ſtagnationes vel plane ſtaſes, pro quarum diſſolutione motus tonici variè intenduntur & ſpaſticis atque dolorificis ſenſationibus anſa ſuppeditatur.

§. X.

Hoc ipſum ita fieri, obſervamus in ſubjectis, habitum corporis laxum atque ſpongioſum poſſidentibus, item foemellis, quae plethora morboſa ut plurimum

mum frequentius adficiuntur, quam viri: Conſequens igitur eſt, plethoram tandem ipſius cacochymiae matrem evadere: Sanguis enim, dum tarde circulum ſuum per vaſa abſolvit, ſpiſſitudinem contrahit, quae, dum obeſt tranſpirationi, retinentur impuritates ſeroſo-ſalino-ſulphureae in corpore, ſicque cacochymia generatur. Ex eadem quoque plethora oriuntur haemorrhagiae, nonnunquam externae, quod melius, nonnunquam vero internae, quod periculoſius: Si enim talis vaſorum ſanguineorum ruptura contingat circa plexum choroideum, effunditur ſanguis in cerebrum, & apoplexia excitabitur ſanguinea; Sin in pulmonibus, orietur haemoptyſis: Si impeditius ſuccedat ſanguinis motus per viſcera abdominis, oriuntur inde ſpaſmi variique adfectus ſpaſmodici, in foemellis pathemata hyſterica, in viris hypochondriaca, infarctus viſcerum eorundemq; ſucceſſu temporis oppilationes & indurationes ſcirrhoſae.

§. XI.

Interea neminem medicorum talis ſtatus plethoricus latere facile poteſt: Innoteſcit enim ex ſpontaneo totius corporis langvore ac laſſitudine, ſanguine quippe copioſo membra gravante, ex craſſo & carnoſo corporis habitu, facie rubicunda & partium poroſo-muſculoſarum repletione, reſpiratione difficili, inprimis ſub laborioſa corporis motione vel ſpiritu quodammodo intercepto, dum ſcalas adſcendunt, pulſu quidem magno ſed ſolito tardiori, pruritu & ardore partium externarum moleſto: Quibus aliisque plethorae indiciis ſi diaetam praecedentem &

victum lautiorem adjungamus, de plethorae praeſentia non eſt dubitandum.

§. XII.

Quemadmodum autem vidimus, ſanguinem nimia ſua copia peccantem inque circulatione ſua impeditum, vel orgaſtice commotum variorum morborum parentem eſſe: Ita nemini paradoxon videri debet, eundem quoque nimio ſui defectu laborantem multis graviſſimis morbis originem praebere. Laborant autem defectu ſanguinis, qui graves ac diuturnas paſſi ſunt haemorrhagias, quales ſunt puerperae, nimium lochiorum fluxum vel frequentes abortus expertae, quae menſibus nimiis laborârunt, item viri haemorrhoides nimias experti vel diuturnis narium haemorrhagiis vel haemoptyſi vexati, quique olim ſua in juventute citra urgentem neceſſitatem abuſum commiſerunt in VSione vel cucurbitularum ſcarificatarum adminiſtratione. Hi omnes in periculo verſantur, ſucceſſu temporis, incidendi in morbos ita dictos frigidos, à ſeri colluvie ortum ſuum deducentes, uti ſunt anaſarca, aſcites, color faciei luridus, lividus & leucophlegmaticus, febris lenta, atrophia & conſumptio totius &c.

§. XIII.

Plethorae indivulſa fere comes eſſe ſolet ſpiſſitudo ſanguinis metusque ſubeundi coaguli. Talis enim plethora etiamſi diu ſatis in corpore absq; inſigni noxa tolerari queat, tandem tamen, cùm liberiori ſanguinis circulationi remoram injiciat, hinc mora diuturna ſpiſſitudinem contrahit, ſicque infarctibus & opple-

oppletionibus viſcerum viam pandit. Sola enim ratio, ob quam in debita ſua conſiſtentia & mobilitate conſervari, & ab omni ſpiſſitudinis & coaguli metu praeſervari & conſequenter ulterior craſeωs corruptio averti poteſt, eſt motus ſanguinis localis indeſinenter continuatus, quo non ſolum per ſua vaſa promovetur, ſed & per partes poroſo-fibroſas perpetuo tranſprimitur, ſicque conquaſſatur & à concretione gelatinoſa praeſervatur.

§. XIV.

Praeter ſimplicem talem ſpiſſitudinem ſubinde generantur variae cacochymiarum ſpecies in humoribus. Hoc autem cacochymiae nomine comprehendimus tale eorundem vitium, quô unius vel alterius humoris praedominium notabiliter eminet prae altero, atque adeo inſigne qualitatis vitium ſubiit. Vix enim fieri poteſt, ut unus aliquis in corpore humor multum redundet, quin idem ſimul pravam induat qualitatem, quod vitium perverſae qualitatis Graeci notanter adpellitârunt *cacochymiam.* Haec vero ſecundum communem Scholarum doctrinam non unius ejusdemq; generis eſt, ſed pro indole humorum peccantium varia: Poteſtq; citra gratuitas ſuppoſitiones, nedum manifeſtas fictiones, uti fieri ſubinde ſolet, commode reduci vel ad nimiam *ſpiſſitudinem* eidemque oppoſitam *tenuitatem* cum ſubtili quadam *acredine* conjunctam, vel ad nimiam *dulcedinem*, aut oppoſitam *ſalſedinem*, ſeu *acrimoniam ſalinam*, vel *tenacitatem viſcidam*, *lentam*, *mucidam* ſeri lymphaeq;, vel *acrimoniam bilioſo-ſulphuream* vel *aciditatem fixam*, *mucido-terreſtrem* vel nimiam *lubricitatem vappidam*, omnis ſpiritu-

ſpirituaſcentiae expertem. Neque ſtagnationem aut plane ſtaſin humorum eidemq; oppoſitam orgaſticam commotionem excludendam eſſe putamus.

§. XV.

Quod nimiam humorum *tenuitatem* attinet, illa vix unquam pure aquoſa ita occurrere ſolet, quin cum inſigni ſimul acredine ſit conjuncta. Et ſolet ejusmodi vitium ſeſe manifeſtare in nonnullis pectoris adfectibus, tuſſi nempe impetuoſa, non omnino ſicca, attamen ſine exſcreatione materiae proportionata, nec non in raucedine faucium, uti & in cholera atque diarrhoea biliosa, quibus quippe in adfectibus cunctis tenuis acredo bilioſa, inflammatorias eryſipelaceas passiones in ventriculo & inteſtinis excitans occurrit. Neque aliam accuſare licet ſanguinis qualitatem in diuturnis haemorrhagiis, praecipue uterinis, nec non in diuturnis ſanguinis vel ſeri acris ſimulque tenuis ſtillicidio in vulneribus & ulceribus.

§. XVI.

Tenacitatem viſcoſo-mucidam humorum adcurate diſtingvere convenit à *craſſeſcentia* eorundem *pulpoſa volubili;* Haec enim naturae ſic ſatis adhuc conveniens eſt, humorumq; diſtributioni & circulationi ſat commode adhuc obedire ſolet; Illa vero, cum lentorem in motu progreſſivo cauſetur, eidem tota adverſa atque adeo noxia eſt. Exurgit talis ſpiſſeſcentia viſcoſo-mucida non à ſolo acido, ut vulgo docetur, ſed vel à defectu ſufficientis motus progresſivi vel ab inſufficiente diluitione, per aquoſa fluxilia, atque adeò

à ſola

à ſola potus parcitate, quae quandoq; vehementes turbas excitare poteſt, ut ſpiſſior hinc chylus generetur, indeque conſiſtentior lympha & ſanguis, à quibus tandem vitiis liberiori motui obſtaculum objicitur, vel tandem à frigore importunius admiſſo. Obſervari potiſſimum ſolet hoc vitium in foeminis tam virginibus quam nuptis, nec non in aliis vitam ſedentariam agentibus, item perſonis meditabundis vel profundis ſpeculationibus intentis.

§. XVII.

Lubricitatem humorum *vappidam* alia ratione rectius adumbrare non poſſumus, quam ſub forma aceti vel vini vappidi & corrupti, quod vulgo oenopolae exprimere vernacula ſolent: Der Wein iſt lang geworden. Amiſſae ſcil. ſunt iſtae priſtinae qualitates, ſapor una cum odore & conſiſtentia. Uno verbo; Denotatur in ſanguine, vappida tali lubricitate laborante defectus ſufficientis activitatis, quae ſecundum naturam in illo reperiri ſolet, & deprehenditur in morbis contagioſis, putredinoſae corruptioni corpus exponentibus, quod inprimis in ſphacelo conſpicere licet, tum etiam in cancro invaleſcente, item vulneribus & ulceribus tam internis quam externis in corruptionem ruentibus, nec non in extraordinariis partium refrigerationibus.

§. XVIII.

Haec vero omnia ita theoretice obſervaſſe, non exigui uſus erit: Multiplici enim obſervatione innotuit, corpora cacochymica ſemper gravius & periculoſius decubuiſſe, dum diarrhoeae, dyſenteriae, febres petechi-

zantes & exanthematicae aliique morbi epidemici & contagioſi fuerunt graſſati; Benignius vero ac mitius tractatos eſſe illos, qui notabili ejusmodi cacochymia vel quocunque eminenti humorum vitio non laborant.

§. XIX.

At vero longe periculoſiora adhuc dramata luduntur, ſi ſordes heterogeneae atque corruptae beneficio critico ſemel à centro ad peripheriam propulſae denuo intra humorum maſſam revertantur, ſicuti videmus in petechiis retrocedentibus, in purpura, variolis morbillisque, quam retroceſſionem ordinarie graviſſima inſequuntur ſymptomata: Quia talia excrementa non debent non virtute ſua admodum penetrante activa in varios anomalos motus totum corpus conjicere. Sudores critice expulſi & violenter retropulſi pariunt recidivam multo graviorem in febribus, plerumque in lentam hecticam degenerantem. Ita quoque ſudor ille foetens in plantis pedum incaute ſuppreſſus aut per adplicationem remediorum frigidorum & repellentium improuide retropulſus gignit poſtmodum anxietates praecordiorum, dolores artuum vagos, vertigines, cephalalgias, febres lentas. Quae monſtra producat ſcabies intempeſtive ſuppreſſa & retropulſa, vulgo notiſſimum eſt, aſthmata ſcil. febres lentas, catarrhum ſuffocativum, epilepſiam, diarrhoeam, convulſiones aliaque plura mala. Ulcera quoque cacoëthica & vulnera antiqna ante tempus conſolidata de aſthmate, inflammatione uvulae, phthiſi & hectica abunde teſtantur. Quam graviter medicaſtrorum vel obſtetricum imprudentiam

ſaepius

ſaepius luant tenelli infantes, achore capitis laborantes, quam frigidis improvide adplicitis retropellunt, tam notum eſt, quam quod notiſſimum: Plerumque enim epilepſiam, catarrhos ſuffocativos ac febres uti & diarrhoeas exinde reportant. Podagra imprudenter retropulſa, tormina, ſpaſmos & anxietates internas, nonnunquam etiam graviores partium internarum inflammationes inducit. Eryſipelas externum, quod pariter nihil aliud, quam criticus naturae actus eſt, frequenter adfectus ſoporoſos, lethargum & aſthma progignit. Taceo multas alias evacuationes criticas, quarum perverſiones cauſſae multorum aliorum morborum evadere ſolent.

§. XX.

Activitate magna in Oeconomiam motuum vitalium operantur venena, quae exigua quidem ſui mole ſed virtute maxime activa ac perniciſſimo motu non univerſam tantum humorum maſſam, ſed & fibroſo-ſolideſcentium partium contextum deſtruere valent: Unde patet, non attendendum hic eſſe ad agentis molem, utpote quae minima eſt, ſed ad ſummam activitatem deleteriam, quae maxima eſt in minima mole. Sunt igitur venena talia corpora, quae ſumma activitate inſtructa poſſunt celerrime proſternere omnes actus vitales cum effectu deleterio; Et talia vel ab extra corpori humano immittuntur, vel in propriis ejus viſceribus generantur. Quae extrinſecus corpori inſinuantur venena, vel immediate operantur in fibroſo-ſolideſcentes vel fluidas partes.

Quae in priores agunt, vi cauſtica efficaciſſima pollent, qua ventriculum & inteſtinum duodenum ſtatim corrodunt, horrendos excitant ſpaſmos & convulſiones, quas ipſa mors brevi ſubſequitur, uti ſunt vehementiora quaedam purgantia, helleborus albus, euphorbium, cicuta aliaque ex vegetabilium familia cauſtica vel ex proſapia mineralium, uti ſunt arſenicum, ☿ 🝞tus corroſivus &c. quibus ventriculus ſtatim inflammatur, cui deinde brevi poſt gangraena & ſphacelus inducitur. Quae vero in ipſum ſanguinem immediate operantur, ejusdemque mixturam ac motum deſtruunt, quandoque nihil ſenſibile in corporibus defunctorum relinquunt; aliquando tamen exanthemata ſive maculae ſubrubro nigricantes poſt mortem hinc inde erumpunt, quales etiam in febribus petechialibus haud raro obſervantur: Nonnunquam maculae adparent liveſcentes, nonnunquam corpus poſt mortem plane intumeſcit; interim mors, nulla cauſa manifeſta adparente, plerumque talis veneni indicium eſſe ſolet.

§. XXI.

Mirum inſuper dictu eſt, quod ex corruptelis ſalino-ſulphureis in intimis corporis receſſibus latitantibus venena aeque peſtilentia generentur, quae in actum denuo erumpentia non minorem edunt ſtragem, quam venena extrinſecus corpori immiſſa. Neque vero mirandum eſt, ejusmodi corruptelas tamdiu innoxias latere in corpore poſſe, cum idem videamus in materiali principio morbillorum atque variolarum, quod, poſteaquam per plurimos continuos annos latuit in corpore, tantam malignitatem acquirit non-

nunquam

nunquam provectiore aetate, ut pleroſque è medio tollat. Eadem de re non fucatum praebent teſtimonium febres bilioſae, diarrhoeae, dyſenteriae partiumque internarum inſperatae inflammationes, quorum morborum originem non aliunde rectius licet derivare, quam à bile corrupta, cauſtica, quae in ventriculo & inteſtinis diu reſtagnando virulentam qualitatem nacta eſt. Non abſimiles effectus venenorum inſtar corpori quoque inſinuant inopinatus terror, potisſimum vero ira & excandeſcentia, uti innumeris prorſus exemplis conſtat.

§. XXII.

Et ſicuti ex corruptione humorum partes quoq; fibroſae ſolideſcentes aeq; ac ſolidae gravisſime mulctantur: Ita quoque has ipſas ex cenſu cauſſarum morbificarum excludere neque poſſumus neque debemus, quarum quippe impulſu, tono atque elatere debito promoventur in motu ſuo progreſſivo humores, imo & in naturali ſua temperie & mixtura conſervantur. Diximus autem jam ſuperius, fibrarum tonum ſubinde vel nimium *intendi* vel nimium *relaxari:* Id quod & ipſis antiquis non plane incognitum fuit, dum nonnulli illorum totum pathologiae fundamentum *ſtricto* & *laxo* inaedificarunt, imo in ore ſaepius habuerunt: In omnibus fluxionibus conſiderandum eſſe partis pellentis robur & recipientis debilitatem, ubi manifeſtum eſt, per *robur* ipſos intellexiſſe tonum auctum ſive ſpaſmum, per debilitatem vero relaxationem vel atoniam partis, in quam humorum fluxus recipitur. Et notatu dignum eſt, quod fibrae motrices facillime

ſibi habitum conſciſcere queant ad eosdem denuo motus ſubeundos: Hinc qui ſemel colica flatulenta laborarunt, ex leviſſimo diaetae errore, facillime in eandem relabuntur. Qui aliquoties catarrhalem defluxionem vel rhevmatiſmum alicujus partis experti ſunt, ex quavis minima aëris mutatione in eundem denuo incidunt. Qui doloribus arthriticis vel vagis vel fixis aliquoties divexati fuere, in iis ſtatis temporum intervallis denuo reſuſcitantur. Idem de eryſipelate notum eſt. Quibus natura ſemel criſin molita eſt vel per ſudores, vel per diarrhoeas vel vomitum, per easdem quoque vias conatur alio tempore ſuperfluitates eliminare. VSio vel ſcarificatio, niſi repetatur, multa parere ſolet incommoda. Ex quibus omnibus, quantae conſiderationis in adfectibus morboſis vel ſuſcipiendis vel ſuſcitandis ſint partes fibroſae ſolideſcentes, liquido adparet, licet vulgo vel nimis ſuperficialiter attendi vel plane negligi hoc ſoleat.

§. XXIII.

Pollet praeterea inſigni cauſali influxu ad varios morbos producendum ipſum quoque temperamentum. Etiamſi autem hac de re jam aliquid dixerimus ſuperius: Attamen, cum temperamentum nihil utiq; aliud denotet, quam mutuam fluidorum erga ſolida & horum erga illa habitudinem, & univerſum vitale negotium abſolvatur motibus humorum per partes ſolideſcentes, qui certe ipſi illi mechanicae proportioni partium ad humores innituntur: Hinc manifeſtum prorſus eſt, diſpoſitiones illas, à temperamentis diverſis in individua diverſa redundantes gignere inſignem illam diverſitatem, ut non ſolum unum tem-

peramen-

peramentum prae alio *facilius* vel *difficilius* ad aegrotandum diſpoſitum, ſed & unum prae altero *his potius quam aliis adfectibus morboſis* expoſitum ſit: Quarum omnium rerum ſolidum fundamentum in alio haud conſiſtit, quam vel in pari exacta congruentia humorum per partes movendorum cum ipſis viis ſeu canalibus, illorum progreſſui recte reſpondentibus; Vel aliquali harum rerum difformitate, ut nempe bona quidem humorum, ſed impeditior atque difficilior viarum ſit conſtitutio; Vel utrorumque evidenti vitio, ſimul concurrente, ut nimirum tam humores minori mobilitate gaudeant & viae quoque impeditiores ſint, ut ſic tranſitus humorum ſpiſſiorum & minus mobilium per vias ſtrictiores & quoquo modo impeditas difficilius ſuccedat.

§. XXIV.

Ipſe quoque habitus corporis diverſus ſeorſim ſpectatus cauſſarum morbificarum numero excludendus non eſt. Vetus eſt obſervatio, ipſi jam Hippocrati non ignota, quando Sect. II. Aph. 44. adſeruit, natura admodum craſſos celerius interire, quam graciles: Quoniam obeſi carnes habent luxuriantes & flaccidas, molles, raras atque ſpongioſas, vaſa vero ſanguinea admodum exilia, unde ſegnius procedente ſanguinis circulatione humorum reſtagnationes atque decubitus fiunt; Atque adeo aperta eſt ratio, quare non ſolum frequentius reliquis aegrotent & periculoſius decumbant, ſed & tarde denuo convaleſcant & ordinarie vitae brevioris exiſtant? Qui vero corpore ſunt graciliores, carnes habent ſtrictiores, ſimul tamen vaſa patentiora & conſequenter liberiore gaudent

dent humorum circulatione, illi non ſolum infrequentius aegrotant, ſed & facilius convaleſcunt & utplurimum vitae longaevioris ſunt. Quemadmodum igitur obeſi plerumque conflictantur gravedine, coryza, angina, tonſillarum uvulaeque relaxatione & nonnunquam inflammatione, febribus tam intermittentibus quam acutis, aſthmate, colica flatulenta, cachexia & tumoribus oedematoſis, &, ſi ſexus ſequioris ſubjecta ſint, chloroſi, fluxu albo indeque ſequente ſterilitate: Ita è contra graciliores proclives magis ſunt ad pathemata ſpaſmodica, haemoptyſes, hecticam, phthiſin aliosque tales morbos. Magno itaque pollere influxu diverſum huncce corporis habitum, in genere quoque indicavit Hipp. Sect. II. Aph. 34. ubi inquit: Per morbos minore ſunt periculo, quorum naturae & aetati & habitui & anni tempori morbus magis, quam quibus in horum aliquo minime cognatus fuerit.

§. XXV.

Cauſſis morborum hucusque enumeratis adnumerare quoque fas fuerit conſuetudinem aegrotandi, quippe quae eximium etiam locum hic meretur, tanto magis, cum inter omnes conſtet, reperiri nonnullos homines usque adeo ſenſibilis ac tenerae conſtitutionis, ut ad leviſſimas quasvis aeris mutationes male habeant, qui in eosdem illos, quos aliquoties jam experti ſunt, adfectus facillime denuo incidunt, vel etiam ex uno in alium morbum, licet a priori non omnino diverſum prolabuntur. Hos tales communi medicorum conſenſu *valetudinarios* dicimus, qui

qui, etiamſi rudioribus morborum inſultibus occupentur, illos tamen longe felicius ſuperare ſolent, quam qui tota vita gaviſi ſunt florida & illibata corporis ſanitate, qui, ſi tandem vehementiore quodam adfectu occupentur, non ſolum gravius plerumque decumbunt, ſed & haud raro eidem ſuccumbunt. Ratio iſtius diverſitatis ſita eſt potiſſimum in actionum & motuum, circa quorum promptum exercitium conſvetudo inprimis verſatur, majori promptitudine & alacritate, ut adfectus, quibus adſueverant, facilius ferant, & ſine evidenti periculo ſuperent. Cujus rei contrarium obtinet in *Inſuetudine*.

§. XXVI.

Ex diverſo vitae genere non minus varii pullulant morbi, iique congruentes materiae, circa quam verſantur artifices varii. Aurifabri v. g. qui ☿ium frequenter tractant, & vaſa argentea auro obducunt, tremori manuum & paralyſi obnoxii ſunt. Stannarii ex effluviis ſaturninis contrahunt ſibi contumaces tuſſes, aſthmata convulſiva & anguſtias pectoris: Figuli ſimiliter, ob effluviorum ſaturninorum copiam, & qui lythargyrio vaſa ſua fictilia obducunt, contracturis membrorum & paralyſi laborant. Monetarii & ſeparatores metallorum ob effluviorum metallicorum vehementiam aſthma incurrunt. Similibus morbis exponuntur pictores, dum pariter ex pigmentis mineralium, auripigmento, viridi aeris, minio, ceruſſa &c. varias noxias metallicas exhalationes inſpirando attrahunt atque in pulmones dimittunt. Fabri murarii calcem vivam & gypſum perpetuo tractantes,

 anhelo-

anheloſi evadunt, hypochondriorum duritiem & alvum perfrequenter adſtrictam experiuntur. Qui vitam ducunt ſedentariam, uti textores & ſartores, plerumque ſcabioſi evadunt; Qui vero ſimul lautiori victui indulgent, uti nonnulli monachi, illi incurrunt haemorrhoides, teſticulorum tumores & varices, ficus & condylomata ani. Qui lucubrationibus indulgent, multasque noctes trahunt inſomnes, malo hypochondriaco & melancholiae hypochondriacae obnoxii redduntur, uti ſtudioſi, quibus nempe ſtudia ſua curae cordique ſunt. Qui fortius vociferantur & exſpirando magnam aëris quantitatem cum laborioſo molimine elidunt, uti ſunt Profeſſores, concionatores, tubicines, cantores, illi facile redduntur hernioſi. Plura addere non attinet, poſteaquam argumentum illud exquiſitiſſime pertractavit *Ramazzinus* in eleganti *tractatu de morbis artificum*, qui evolvi poteſt.

§. XXVII.

De *rerum non naturalium*, medicis ita dictarum efficacia cauſandi morbos prolixe agere, eo magis ſupervacuum mihi videtur, quo certius eſt, haſce res cenſum cauſſarum morbificarum longe infrequentius ſubire, quam vulgo putetur. Accedit, plerorumque Pathologorum libros hac tractatione plenos eſſe: Ut nos ſat commode ſicco pede praetermittere eandem poſſemus, niſi moribus receptis aliquid tribuendum eſſet.

§. XXVIII.

Ordiamur igitur ab aëre, corpora noſtra ambiente, qui vel propterea adcuratiori penſitatione dignus

gnus eſt, quod non tantum nulla ejus uſum evitandi occaſio eſt, ſed & ad conſervandam ſanitatem morbosque depellendos usque adeo neceſſarius, ut propterea occultus vitae cibus haud immerito à nonnullis vocetur. Ut vero effectus hoſce praeſtet, purum, elaſticum, ſiccum, nullis pravis inquinamentis aut rerum putreſcentium ſqualore eundem perfuſum, ſed ventis ſubinde exagitatum eſſe oportet. Hinc autem ſequitur, aërem, contrariis qualitatibus imbutum h. e. turbidum, nebuloſum, vappidum, atque ex ſufficientis ventilationis defectu ſqualentem, ſanitati maximas ſtruere inſidias. Nocent inprimis qualitates aëris excedentes in *frigore*, *calore*, *humiditate* atque *ſiccitate*. Nam aër exceſſive frigidus poros humani corporis ſupra modum conſtringit, ſerum lymphamque inſpiſſat, ſanguinis motum retardat, tranſpirationem tam ſenſibilem quam inſenſibilem ſufflaminat, univerſamque humorum maſſam à circumferentia verſus centrum repellit. Atque hinc jam intelligitur ratio, cur exceſſivum gelu excitet dolores capitis, ad *gravedinem*, *coryzam*, *tuſſim* atque *catarrhos* diſponat, frequentes moveat *diarrhoeas*, imo nonnunquam ad *apoplexiam*, *paralyſin* & *morbos ſomnolentos* viam ſternat. Moderatum vero frigus, idque ſiccum ſi regnaverit in aëre, corpora, ſecundum *Hippocratis* effatum, multo valentiora, expeditiora, magis itidem colorata ac melius audientia redduntur.

§. XXIX.

Contra ſi aër ſupra modum calidus extiterit, pori in habitu cutis nimium aperiuntur, partesque

tenuiores, relictis craſſioribus, evaporant, gelatinoſae quoque ac roſcidae nimis, quam par erat, reſolvuntur, indeque acrem volatilem indolem adquirunt, ſicque corpus, viribus ſuis privatum mirifice enervatur debilitaturque, atque hinc ad *tabem*, *diarrhoeam*, *dyſenteriam* morbosq; exanthematicos, malignos, imo peſtim ipſam via panditur. Unde patet ratio, quare in calidioribus regionibus, aequatori vicinioribus frequentius febres tales malignae ipſaque peſtilentia graſſentur, quam in hiſce noſtris ſeptentrionalibus mundi partibus.

§. XXX.

Eſt vero etiam aër nimis humidus, vappeſcens & elatere ſuo deſtitutus admodum nocivus & ſecundum *Hippocratis* effatum corpora exſolvit, gravitatem capitis & auditus, ipſisque corporibus & oculis difficilem motionem inducit, præſertim ſi ſimul calidus fuerit, qualis eſſe ſolet auſtrinus; Ex quibus omnibus nunc de locorum ſalubritate vel inſalubritate non improbabiles formare licet regulas: Illa ſcil. loca reliquis ſalubriora erunt, quae altiorem habent ſitum; Praeferendus quoque aër ſerenior & ſiccior, quique ventis ex oriente ſpirantibus libere perflari poteſt. Contrarium eveniet illis in regionibus, quae decliviorem habent ſitum, multis paludibus ſqualent, & hinc humidiore aëre, putredinem facile concipiente, impraegnatae ſunt.

§. XXXI.

Non minoribus incommodis exponitur corpus ex vario abuſu *eſculentorum* & *potulentorum*, copia inprimis peccantium; Vitium enim qualitatis, utut in ſe damnoſum, niſi ſimul quantitate excedat, vix adeo eminenter nocere ſolet. Id quod ſedulo quoque inculcat Hippocrates, quando graviter pronunciat, praecipuum ſanitatis ſtudium esſe, non ſatiari cibis & contra: Ubi plus cibi, quam pro natura, ingeſtum ſit, morbos parere, ait: Inde enim non ſo-

lum

lum prodibunt duae illae famoſae ventriculi cruditates, acida & nidoroſa, ſed & flatulentia, ſcabies, infarctus viſcerum, febres intermittentes &c. Ut proinde plenior illa victus ratio multis modis noxia ſit, atque adeo tenuior longiſſime praeferenda: Quae regula, etſi effato Hippocratico Sect. I. Aph. 5. directe videatur contraria: Attamen prudenti Medico diſtingvendum inter morbos, quibus diverſa haec diaetae ratio adplicanda eſt. Si quis enim morbo peracuto laboraverit, tenuiſſima victus ratio commendanda eſt, ſecundum Sect. I. Aph. 7. qualis etiam eligenda eſt, ſi morbus extiterit in ἀκμῇ ſive vigore, idque ſecundum ejusdem Sectionis Aph. 8. Alia eſt conditio morborum chronicorum, ubi nimis tenuis vivendi ratio proculdubio damnoſa & exitialis eſt. Quo minus igitur Medicus in determinanda ciborum quantitate praecipitem errandi viam inveniat, ſollicite & vigorem morbi & virium praeſentem ſtatum expendat neceſſe eſt.

§. XXXII.

Nihilominus tamen praeter quantitatem ciborum ſedulo quoque animadvertendum eſt in eorum qualitatem: Hinc dulcia praeſertim intemperanter ingurgitata, ſanitati maxime inimica ſunt: Unde pueri flatulentias & diſtenſiones ventresq; duros tympani inſtar renitentes contrahunt, lumbricos generant & dentium cariem experiuntur. In foemellis, praecipue ad pathemata hyſterica pronis generatur chloroſis, menſtruorum ſubſiſtentia, inflationes abdominis & paſſionum hyſtericarum mirificae exacerbationes. Phlegmaticos praecipitant in febres putridas pessimi moris; & in cholericis augent copiam & acrimoniam bilis. De acidis exceſſive uſurpatis hoc ferimus judicium, quod primis viis infenſa ſint & pathemata hyſterico-hypochondriaca in diſpoſitis reſuſcitent, pectori inimica ſint & tuſſes facile excitent. Atque ob hanc rationem praecedenti ſeculo nonnulli Medici *Batavi*, *Sylvius*, *Bontekoe*, aliique *viſcidum* & *acidum* pro fundamento omnium

ſere morborum ſtabilire conati ſunt, quamvis in eo nimium, quam par erat, ſuo tribuerint principio, quod crederent, illud uſque adeo univerſale eſſe, ut adfectuum omnium fundamentum eſſe temere crediderint. Sed hoc argumentum pluribus deduxerunt *Bohnius* & *Hoffmannus*, uterque in erudita Diſſertatione *de acidi & viſcidi inſufficientia pro demonſtrandis morborum cauſſis.* Denique nimium *viſcida* atque terreſtria, uti ſunt varia legumina, non ſolum craſſum corpori alimentum praebent, ſed & flatulentias gignunt, atq; adeo primis viis, in quibus tormina & diſtenſiones flatulentas excitant, admodum infenſa ſunt; Quod idem de carnibus vel piſcibus fumo vel vento induratis vel exſiccatis tenendum quoque eſt.

§. XXXIII.

Et ſicuti alimenta ſolida morborum ſunt feracia: Ita nullum dubium eſt, quin potus diverſa quoque ratione ſanitatem noſtram laedat atque inſectetur. De hoc vero tenenda haec regula univerſalis: Quo tenuior & ſimplicior fuerit potus, eo quoque melior & naturae humanae convenientior. Inde ſequitur: Aquam ſimplicem ac puram omnibus aliis potulentorum generibus longisſime praeferendam eſſe; Hinc Turcae & Indi Orientales ſolo potu aquae calidae, Theae vel Coffeé cum ſummo ſanitatis ſucceſſu ſitim fallunt. Laudabiliter quidem hunc Indorum morem noſtrarum quoque regionum incolae imitantur, ſed abuſum frequentem committi, extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt. Nec leve ſanitati praeſidium praeſtant varii fontes ſoterii Geſundbrunnen, qualium copia Germania noſtra luxuriat, uti ſunt thermae & acidulae; Commendamus vero ſimul circumſpectum earundem uſum. Salubres dicimus in genere omnes illas aquas, quae actiones corporis noſtri roborant, confirmant & perficiunt, quaeque non modo humores in debita fluxilitate conſervant, ſed & per varia colatoria publica excretiones juvant

ac promovent. Omnium vero ſaluberrimae ſunt illae aquae, quae, ſecundum *Galeni* effatum, purae ſunt ac limpidae, guſtui gratae, olfactui jucundae ac potiſſimum peregrinarum qualitatum expertes, ſi inſuper leviſſimae fuerint ac tenuiſſimae, inſuperque hypochondria celerrime tranſeant: Inſalubres contra habendae, quae turbidae ſunt, quae ex locis paludoſis, ubi ſtagnant, hauriuntur, male olent & peregrino ſapore ſunt inſtructae, quaeque inſuper diutius in hypochondriis haerendo, difficulter concoquuntur, flatus excitant, adeoque ventriculi & inteſtinorum robur ac tonum dejiciunt.

§. XXXIV.

In locum aquarum ſubſtituuntur à nonnullis variae cereviſiae, quarum aliae plus, aliae minus ad morbos diſponunt. Quae ex tritico parantur, ſanitati minus conveniunt, quia non ſolum multas viſciditates in ſinu ſuo recondunt, ſed & in primis viis facile aceſcunt & pectori inimicae ſunt. Meliores quidem ſunt, quae ex hordeo coquuntur; Quia tamen nimis alimentoſae ſunt, & immodica utplurimum lupuli copia impraegnantur, hinc vaporibus caput replendo inebriant & ad ſomnolentiam diſponunt. Hiſce ſalubriores ſunt cereviſiae tenuiores, quaeque pauciſſima lupuli quantitate impraegnatae ſunt, caput non replent, ſed viſcera ſecretioni & excretioni urinae dicata celerrime & ſine murmure pertranſeunt. Commendamus hoc nomine noſtram *Carthuſianam*, quae, ſicuti guſtui pergrata eſt; Ita quoque hypochondria citiſſime tranſit.

§. XXXV.

Nihil vero eſt, quod promptius ad cachexiam, hydropem, phthiſin & hecticam diſponat, breuique bonam mentem corrumpat & ad fatuitatem deducat, quam ſpiritus frumenti vulgaris largius hauſtus, inprimis ſi jejuno ſtomacho potetur: Mox enim vaporibus caput replendo ſtuporem & ſomnolentiam inducit, adpetitum proſternit, chyli-

chylificationem turbat, unde deinde variorum aliorum morborum phalanges procedunt. De vinis ſimiliter cum prudentia judicandum. Vina dulcia Canarienſia, Hiſpanica atque Italica guſtui quidem grata ſunt, ſed ad plethoram morbosque inde oriundos diſponunt. Vina acida, uti ſunt Franconica praeſertim recentia, diſponunt ad tuſſes, adfectus articulares & calculum. Vinum Rhenanum antiquum & generoſum egregia pollet vi confortandi, unde non immerito à quibusdam lac ſenum adpellatur. Conducit eximie ſanitati, quia celerrime pertranſit hypochondria, urinas pellendi facultate inſtructum eſt & caput non nimis gravare ſolet. Ejuſmodi quoque indolis ſunt Moſellana & Nekerana, quae ſi moderate adhibeantur, non exiguum ſanitati praeſidium praeſtant, ac proinde ſcopo praeſervatorio non inepte commendantur.

§. XXXVI.

Aſt progrediamur ad motum atque quietem, ubi ſub nomine motus comprehendimus omnis generis exercitia, veteribus uſitata, quae vel tanquam nuda tantum exercitia, uti fuerunt luctatus, pugilatus, curſus &c. vel ſimul tanquam opera, ubi omnibus corporis viribus & maxima contentione opus erat, vel tanquam exercitia ſimul & opera, uti ſunt venatio, equitatio, ſaltatio & muſicae vocalis exercitatio &c. ab ipſis conſiderata fuerunt. Haec vero exercitia cuncta ſanitatis praecipue cauſſa inſtituebantur, quippe quae verſatur in conſervando ac promovendo ſanguinis circulo, tanquam unico vitalis conſervationis, quae in ſe- & excretionibus potiſſimum conſiſtit, inſtrumento. Sicuti vero per moderatas corporis exercitationes ſanitas praeſens non ſolum conſervatur, ſed & homo à variorum morborum inſultibus praeſervatur: Ita poteſt tamen & ſolet quoque ille motus nonnunquam mediocritatis terminos tranſilire, atque ita variis aegritudinibus viam pandere; Potiſſimum in plethoricis, ſanguinis craſſitie ac ſpiſſitudine ſimul laborantibus, qui, ſi violentius corpora ſua exagitent, mox inde experientur varias anguſtias pectorales,

narium

narium haemorrhagias, cephalalgias aliaq; congeſtionum ſanguinearum ſchemata, qualia inprimis foemellis familiaria eſſe ſolent, inordinatum menſium fluxum vel totalem eorundem ſubſiſtentiam paſſis, quippe quibus per alias easque valde incongruas vias erumpere & in haemoptyſin vel vomitum cruentum degenerare ſubinde ſolent; Ut taceam graviſſimas cordis palpitationes, anguſtias pectorales, aliaque Pathemata, quibus inde ſubjiciuntur. Nihil vero pernicioſius eſt, quam corpus ſuum exceſſivo calore exagitatum mox denudare, frigido aëri exponere vel potum frigidum aeſtuantibus viſceribus ſimul ac ſemel adfundere. Prompte enim nonnunquam inſequuntur inflammationes ventriculi & inteſtinorum, febris inflammatoria & hac tempeſtive non ſoluta, gangraena, ſphacelus tandemque ſubitanea mors. Vel, ſi mitius res cedat, oriuntur inflammationes aliarum partium, pleuritides, peripnevmoniae, hectica, tandemque phthiſis conſummata vel quandoque hydrops. Haec inter alia ratio eſt, quare milites Germani in Hungaria plerumque coemeteria ſua inveniant: Quia non ſunt adſveti ſubitae iſti aëris viciſſitudini quoad calorem & frigus: Aeſtum enim diurnum ſequitur mox frigus nocturnum, quod in iis, qui ejuſmodi alterationibus adſveti non ſunt, magnam parere debet totius corporis alterationem.

§. XXXVII.

Sicuti autem *motus*, intra mediocritatis terminos conſiſtens, humorum circulationem efficit promptiorem & inſenſibilem quoque tranſpirationem promovet: Ita mediocris quoque *quies* ſuis iterum commodis defraudanda non eſt; Quia ſine hac nec animi nec corporis vigor conſervari poteſt; Sicuti ipſe agnoviſſe videtur Hipp. Sect. II. Aph. 48. Quovis in corporis motu ſimul ac laborare coepit, quies confeſtim laſſitudinis eſt remedium. Si vero quies in otium tranſeat, idque fuerit exceſſivum, torporem concipient humores in ſuo motu, reſtagnabunt in meatibus,

& tranſpiratio ſufflaminabitur, unde ſcabies, fluor albus mulierum, cachexia, malum hypochondriacum, paſſio hyſterica aliique morbi chronici natales ſuos derivant.

§. XXXVIII.

Pergimus ad *ſomnum* & *vigilias*, quorum utrumq; prudenti aequilibrio ita moderari decet, ne exceſſivum evadat. Sicuti enim ſomnus moderatus vires collapſas reſtaurat, concoctionem promovendo & diſtributionem ſucci nutritii accelerando, ipſamque tranſpirationem, teſte *Sanctorio*, augendo; Unde etiam à ſomno nocturno corpus ſentitur minoris ponderis ac levius: Ita contra ſomnus nimius humores incraſſat, inſpiſſat, ad coagulum diſponit, & tranſpirationem retardat vel ſufflaminat. Id quod confirmat *Sanctorius Med. Stat. Sect. IV. Aph. 50. Per nimium ſomnum interiora & exteriora frigeſcunt, humores impinguntur, redduntur inſpirabiles, & corpora fiunt ponderoſiora.* Et aphoriſmo ſequente nimium ſomnum cholericis praecipue damnoſum eſſe, ſequentibus indicat verbis: *Corpora binoſa per nimium ſomnum facile laeduntur, non quia recrementa tertiae concoctionis fiunt imperſpiralia, ſed quia mordaciſſima fiunt, feriuntque deinde caput & alia viſcera.* Dum igitur ſomnus exſuperans adcumulat ſordes & excrementa, adfectibus non tantum cutaneis natales praebet, ſed & morbos ſubinde ſoporoſos, apoplexiam, lethargum, vertiginem, ſtuporem & paralyſin cauſatur, atque adeo functiones tam animales quam vitales corrumpit.

§. XXXIX.

Sicuti vero ſomnus immodicus damnoſus eſt: Ita etiam vigiliae immodicae noxa haud vacant, quia corpus viribus ſuis defraudant, cruditates accumulant omniumque ſenſuum functiones debilitant & univerſum corpus reſolvunt. Nocent inprimis cholericis, debilibus, teneris, ex inſultibus febrium chronicarum vel acutarum debilitatis, hecticis, phthiſicis &c. Quae omnia eleganter comprehendit *Hipp. Sect. 2. Aph. 3. Somnus, vigilia, utraque modum*

exceden-

excedentia, malum denunciant: Quia vires dejiciunt, cruditates pariunt & alimentorum concoctionem impediunt, cum &, ſecundum obſervationem *Sanctorii*, corpora per inſolitas vigilias reddantur ponderoſiora ac debiliora.

§. XL.

Sequuntur *excreta* atque *retenta*, in quibus, quantum ad conſervandam ſanitatem & averruncandum morbos ſitum ſit praeſidii, inde liquet, quod utrumque conſiſtere nequeat, niſi fluida corporis animalis proportione juſta reſpondeant ſolidis, h. e. niſi inter motum partium fibroſarum tonicum & humorum progreſſivum juſtiſſimum quaſi aequilibrium ſit: Hinc ergo, quae oeconomiam animalem gravant ejusq; functiones impediunt, eliminanda ſunt per varia excretoria publica, quae eum in finem liberaliter homini indulſit benigna mater, natura, nempe per poros cutis, urinam, alvum, glandulas ⊖ivales, naſales &c. Imo fiunt quandoque excretiones ſanguinis ſinceri, & quidem in infantibus ac pueris per haemorrhagias narium, in foemellis per fluxum menſtruorum, in viris per haemorrhoides, & id quidem, ſi copia non exorbitent, eventu ſic ſatis etiam felici. Si vero ſolemnes iſtae evacuationes p. n. ſupprimantur & ſic humores excernendi retineantur, varias quoque aegritudines pariunt, & quidem circa caput adfectus catarrhales, cephalalgicos, otalgicos, ſomnolentiam, ſtuporemque; Circa pedes tumores oedematoſos, in hypochondriis malum hypochondriacum, in hepate ſcirrhum & hydropem, in liene ejusdem tumorem, ſcirrhum & indurationem, in ventriculo flatulentiam, anxietates praecordiorum & vomitum, in renibus dolores nephriticos & quandoque mictum cruentum excitant. In mulieribus ſi praeter naturam retineantur menſtrua, graviſſimis iterum morbis laxatur janua: Univerſum enim corpus ingratus occupat langvor atque torpor, in capite graviſſimas cephalalgias, in pectore anxietates praecordiorum, reſpirandi difficultatem, metum ſuffocationis &

Aa 2 palpita-

palpitationes cordis moleſtiſſimas, in abdomine ſpaſmos viſcerum, cardialgias, tormina inteſtinorum & pathemata hyſterica experientur. Non minus quoque ad febres lentas, hydropem, hecticam ſimiliaque mala inde diſponentur foemellae. Interdum etiam ſanguis, ſi per vias conſvetas exitum liberum non inveniat, aliorſum impetum ſuum convertit & per loca minus conſveta erumpit, & id quidem, uti obſervationes Practicorum teſtantur, cum emolumento.

§. XLI.

Hinc intelliguntur rationes, quare intermiſſam VSionem ſequantur in Juvenibus haemoptyſes, pleuritides, peripnevmoniae, ſpirandi difficultates & pectoris anguſtiae, in provectioribus vero apoplexia, morbi ſoporoſi & paralyſes? Quare intermiſſam ſcarificationem per cucurbitulas ſequantur rhevmatismi & ſeri acris decubitus circa articulos ibique doloribus arthriticis anſam ſuppeditent? Quare poſt coryzam & catarrhos narium intempeſtive ſuppreſſos ſequantur atrociſſimi dolores arthritici, & quare hi, ſuperveniente coryza, evadant mitiores? Atque ita de caeteris idem eſto judicium v. g. ſi certis anni temporibus ſalutares inſtituantur criſes per diarrhoeas, vel ſalivationes &c.

§. XLII.

Agmen denique claudunt *Pathemata animi.* Etiamſi vero difficile ſit conceptu, qua ratione anima non ex ſolo actu ideali tantum, ſed & vero efficaci concurſu corporis ſui motus turbare & alterare queat: Attamen, cum conſtanti obſervatione à poſteriori notiſſimum ſit & evidens, oeconomiam motuum praecipue vitalium vehementer turbari à paſſionibus animae, de re tam certa & quotidianis experimentis explorata dubitandum amplius non eſt, licet modus, quo hoc fiat, tantiſper adhuc maneat incognitus. Supervacuum vero eſt, circa modum multum ſollicitum eſſe velle, ſi de re ipſa ſatis conſtiterit. At vero duplici potiſſimum ratione anima corporis ſui motus regulares

turbare poteſt & ſolet, eosdem ſcil. vel nimium augendo & intendendo, vel contra eosdem imminuendo vel ſiſtendo. Priori modo effectum ſuum ſortitur ira & excandeſcentia, motum nempe & calorem ſanguinis augendo partesque fibroſas tonice ſtringendo, unde pulſus excitatur citatior & frequentior, reſpiratio celerior, facies in nonullis rubore, in nonnullis pallore perfunditur, os quandoque in excandeſcentia ſpumat, videnturque tales furibundis haud abſimiles. Multi ex adfectus hujus vehementia in motus convulſivos & epilepticos fuêre praecipitati, alii inſultus febriles experti, alii ex praeter-naturali bilis & ſucci pancreatici effuſione & regurgitatione in ventriculum ſpaſmis, vomitibus, inflammatione, gangraena & ſphacelo ventriculi correpti, in aliis febres cholericae, imo cauſus excitatus, in nonnullis haemorrhagiae novae ſuſcitatae, vel veteres hactenus ſuppreſſae revocatae, in plethoricis nonnunquam apoplexia excitata, in quam plurimis dolores arthritici diu ſopiti revocati, aliique plures anomali effectus producti fuêre.

§. XLIII.

Aliae contra ex paſſionibus animae ſunt, quae humorum motus imminuunt atque retardant, uti eſt triſtitia eaque profundior ſeu moeror animi: Hae enim circulationem ſanguinis efficiunt tardiorem & ventriculi cordis quaſi collabuntur, dumque ſanguis tranſitum tentat, dolore & palpitatione adficitur; Hinc pulſus naturali debilior eſt, reſpiratio parva atque cohibita, unde diſponi corpus ad morbos chronicos, cachexiam, malum hypochondriacum, melancholiam hypochondriacam, paralyſin, febres quandoque petechiales, putridas atque malignas, frequentes Practicorum obſeruationes loquuntur. Similiter etiam exitiales ſummeque pernicioſi ſunt effectus, qui ex metu & terrore ſubitaneo in corpus redundant, in quibus quippe ſanguis ſubito à peripheria verſus centrum pellitur, quod ex tremore artuum palloreque faciei ſatis colligimus. Multi ſunt, quos ſubitaneus terror momento

 citius

citius extinxit, multi ex eodem epileptici facti ſunt, alii febrium intermittentium paroxyſmos inde experti. Non paucae nutrices tumores & inflammationes mammarum inde contraxerunt; Multis puerperis praeſentiſſimam mortem attulit terror; Non paucis puellis atque mulieribus fluxus menſtruorum absque ulla ferme reſtitutionis ſpe fuit ſuppreſſus; Quidam haemorrhagiarum diuturnarum praeſens inde perſenſerunt levamen. Non infrequenter terrorem ſubitaneum ſequitur eryſipelas faciei, mammarum vel pedum, exulceratio oris vel pudendorum. Ejusdem adfectus ſubſidio expedite propagari ſeſe patiuntur morbi epidemici, variolae, morbilli, febres petechiales imo peſtis ipſa: Unde medicorum proverbium: Plures metu, quam peſte ipſa mori.

§. XLIV.

Denique inter cauſſas morborum genetrices non infimum quoque locum occupant varii morbi *antecedentes*, quorum alter alterius cauſſa eſſe ſolet. Ita haemorrhagias nimias atque diuturnas ſequitur proſtratio virium, adpetitus dejectio, tinnitus aurium, vertigo, tumor pedum oedematoſus, adſpectus faciei luridus, pallidus & abjectus, imo ſubinde plane hydrops. Subſiſtentiam menſtruorum pertinaciorem tanquam pedisſequae tandem conſequuntur febres lentae, chloroſis, languor univerſalis corporis, ſuffocatio hyſterica &c. Febres quartanae diuturnae relinquunt quandoque pertinaces viſcerum obſtructiones & ſcirrhos eorundem, hydropem vel febres lentas, hecticas. Cephalaea diuturna deſinit interdum in apoplexiam. Herniae inteſtinales pariunt ſubinde pertinaciſſimas alvi obſtructiones imo plane in Paſſionem iliacam quandoque tranſeunt. Variolae relinquunt interdum profundiores partium ulcerationes, fiſtulam lacrymalem & oſſis narium ſpongioſi cariem. Diuturna urinae ſuppreſſio inflammationem, gangraenam, ſphacelum vel ulcerationem veſicae inducit. Diuturnae alvi obſtructiones aliorum morborum ſymptomata mirifice ſaepe exacerbare ſolent. Gonorrhoea virulenta, niſi tempeſtive curetur, in luem veneream certiſſime tranſit. Taceo alios multos ejus indolis morbos, quibus Practicorum obſervationes plenae ſunt.

§. XLV.

Quod ſupereſt; de cauſſarum morbificarum effectibus, nempe ſymptomatibus, tria adhuc verba ſubjungenda ſunt. Intelligimus autem per ſymptomata illa incommoda ſive moleſtias, quae inevitabiliter morbis complicata ſunt, atque laeſionem ſive texturae in partibus ſolideſcentibus fibroſis ſive mixturae in fluidis concomitantur, eodem modo, uti umbra corpus comitari ſolet. Ita pathemata colica vehementiora cum vomitu ſunt conjuncta, quod ſymptoma ordinarie quoque dolores nephriticos comitatur. Obſervandum autem, ſequi nonnunquam ſymptomata in partibus valde diſſitis & a membro adfecto remotis. Ita ſi ſpaſmo violento conſtringantur viſcera abdominis, ſequitur nonnunquam haemorrhagia in capite. Ita Ventriculus moleſte adfectus a ſaburra humorum in eodem accumulato-

cumulatorum prompte ſuſcitat vertiginem. Inflatio ventriculi vel a copia ingeſtorum vel a flatuum incarceratione, reſpirandi difficultatem & aſthma inducit. Atque ita de multis aliis adfectibus, per conſenſum aliarum partium ortis.

§. XLVI.

Deinde quoque notandum eſt, quod non omnia ſubjecta aequali ſymptomatum vehementia excrucientur: Qui enim tenerioris & ſenſibilioris texturae ſunt, vehementiora quidem, ſed minus diu durantia experiuntur ſymptomata: Qui vero texturae craſſioris, ac proinde minus ſenſibiles ſunt, mitioribus quidem ſed diutius durantibus obnoxii ſunt ſymptomatibus.

§. XLVII.

Non eſt vero usque adeo impeditum aut difficile, morbum ipſum a ſymptomate & cauſſa morbifica diſtingvere, licet haec tria plerumque miſere confundi in ſcholis ſoleant. Quamvis enim morbum communiter ſequatur ſymptoma, imo haud infrequenter fieri ſoleat, ut unum in aliud tranſmutetur: Attamen, quae ſua natura diſtincta ſunt, doctrina quoque ſeparari neceſſe eſt. Morbus enim eſt tam fluidorum in mixtura ac motu laeſio atque turbatio, quam ſolideſcentium & ſolidorum in figura, ſitu, connexione, vel, ut paucis verbis ediſſeram, in textura & ſtructura alteratio. Cauſa morbifica comprehendit ſub ſeſe omne illud, quod iſtam alterationem partibus tam ſolidis quam fluidis & ratione craſeως & ratione texturae inducere aptum natum eſt. Et ſymptomata denique tanquam ipſius morbi effectus quidam & conſectaria conſideranda ſunt. Ita v. g. in febri intermittente tertiana viſcidum atque mucidum, ventriculum primasque vias male adficiens, conſiderari poteſt ceu cauſſa materialis, ad quam vel ſubigendam vel excernendam motibus vitalibus ultra proportionem naturalem auctis, i. e. tono ac pulſu, utroque intenſo inſurgit Natura; Id quod cum ſine moleſtiis, doloribus capitis, aeſtu, ſiti aliisque talibus fieri nequeat: Hinc oriuntur incommoda, ſymptomata dicta.

§. XLVIII.

Interim ſymptomata dicta laedunt vel *actus vitales* & *naturales*, vel *animales* vel *rationales*. Quae actus vitales adficiunt, concernunt vel *chylificationem* vel *ſangvificationem* vel *lymphificationem* quomodocunq; laeſas. Quae actus naturales laedunt, verſantur potiſſimum in *ſecretionibus* & *excretionibus*. Et ſymptomata actuum animalium & rationalium adficiunt praecipue ſenſus tam externos quam internos.

§. XLIX.

Ut vero tanto commodius in certas ac diſtinctas ſuas claſſes reducamus adfectus morboſos, id quod diſcentium labores non parum ſublevat, ad tres praecipue fontes illos revocamus, nempe 1) ad vitia *plethorae*, ſeu nimiae humorum quantitatis, 2) ad vitia perverſae *craſeως* ſeu qualitatis in

humoribus;

humoribus; Ac 3) ad vitia *motuum* ſive *exorbitantium* ſive *deficientium*. Ex primo fonte, nempe plethora, pullulant pleraeque haemorrhagiae, ex quibuscunque demum partibus emergant, quarum una prae altera ſubinde majori, ſubinde minori periculo ſtipata eſt, imo & omnes motus ſeu conatus haemorrhagici: Ita v. g. ad haemorrhagiam narium ſpectant quoque *cephalalgia, odontalgia, otalgia, ophthalmia, phrenitis, parotides, grauedo, coryza, phlegmatorrhagia, angina, prunella, lethargus, coma ſomnolentum, carus, vertigo*, imo *apoplexia* ipſa. Ad *haemoptyſin* pertinet *pleuritis, peripneumonia, aſthma ſpurium, phthiſis, tuſſis &c. Vomitui cruento* adfinia ſunt vitia evacuationum tam *menſtrualium* quam *haemorrhoidalium*, cum quibus denuo colludunt *pathemata hypochondriaca* atque *hyſterica &c.* Ad *mictum cruentum* reſpiciunt *nephritis*, tam *ſimplex* quam *calculoſa*, *Malum arthritico iſchiadico-gonagrico-podagricum &c.* Imo, quicquid etiam hac de re ſentiant ſcholae, hujus quoque haemorrhagici negotii ſunt *adfectus* quidam *ſeroſi*, exemplo *cachexiae, hydropis, oedematis, chloroſeως, ſcabiei, leucophlegmaciae, atrophiae &c.*

§. L.

Ad alteram adfectuum, vitioſam humorum qualitatem praeſupponentium, claſſem pertinent *orgaſmus ſanguinis* humorumq;, *raucedo faucium, ſoda, cruditates ventriculi* famoſae, *acida* ac *nidoroſa*, ejusdemq; *debilitas, anorexia, flatulentia, obſtructio alvi, iſchuria, dyſuria, ſtranguria*, talesque plures. Ad tertiam denique ac ultimam claſſem, nempe vitia *motuum* ſpectant *ſpaſmus, pleuritis ſpuria, cardialgia, ſingultus, teneſmus, colica, epilepſia, tetanus, catalepſis*, in quibus cunctis motus tonicus auctus & exacerbatus eſt; Aſt *Lipothymia, ſyncope, tremor artuum, vertigo, paralyſis, procidentia ani* & *uteri, incontinentia urinae, relaxatio uvulae* atque *tonſillarum* motum tonicum relaxatum & imminutum ſupponunt. Ad motus excretorios ſpectant *vomitus*, nempe *ſpontaneus, diarrhoea, dyſenteria, fluxus hepaticus, lienteria, paſſio coeliaca, cholera, fluor albus, pollutio nocturna, gonorrhoea, ſudor nimius, icterus* &c. Imo tota quoque febrium cohors ad hanc eandem claſſem pertinet. Quae tamen omnia prolixius diſcutere, partim hujus loci non eſt, partim vero ad *Pathologiam ſpecialem* ſunt referenda. Interea tamen ſingulorum horum adfectuum breves atque ſuccinctas ſive definitiones ſive deſcriptiones ſubminiſtrare, a ſcopo noſtro alienum non eſt.

(O)

CAPUT QUARTUM
SISTENS
Brevem atque ſuccinctam *Noſologiam*, quam vulgo, licet perperam, *Symptomatologiam* vocant.

§. I.

Memoriae pariter atque commoditati diſcentium conſulturi, paucis repetimus, id quod paullo ante jam innuimus, nempe ad tres praecipue claſſes nos morbos omnes internos eſſe revocaturos, quarum prima morbos *plethorae* ſeu vitioſae humorum quantitatis, altera morbos *cacochymiae* ſeu perverſae craseωs, ac tertia *anomalias motuum* recenſebit.

§. II.

Per *plethoram* intelligunt *Pathologi* abundantiam ſangvinis, ratione *craſeωs* alioquin boni atque laudabilis, ſubinde tamen cum *cacochymia* complicati; Quarum *illa*, ſibi relicta & in orgaſmum non concitata, nonnunquam ſatis diu innoxia eſt & ſine eminenti incommodo tolerari poteſt, tandem vero debite non ventilata ſpiſſitudinem & ſucceſſu temporis alia craſeωs vitia incurrit, actus ſe-& excretorios turbat ſicque oeconomiam vitalem variis modis pervertit.

§. III.

Ad hanc deplendam corpusq; à variis moleſtiis cum plethora conjunctis liberandum *haemorrhagiae ſpontaneae* ſuscitantur, quae pro aetatum diverſitate per varias regiones & partes corporis ſuccedunt, infantibus nempe atque pueris per nares, unde *haemorrhagia narium* exurgit, in juvenibus per pectus, unde *haemoptyſis* naſcitur, in virili aetate per *haemorrhoides* & *vomitum cruentum*, inque ſenili tandem per *mictum cruentum*. Cumque in ſequiori ſexu prae virili

longe major obſervetur diſpoſitio ad plethoram gignendam, imo & ob negotium nutritionis & formationis foetus neceſſario adeſſe debeat: Hinc ſolemnibus etiam ſuoque ſexui privatis ſubjiciuntur haemorrhagiis, nempe fluxui ſanguinis menſtruo pariter ac lochiali, quem ultimum in ſtatu puerperii inprimis experiuntur foeminae, ſicuti in ſtatu graviditatis haud raro tumore venarum varicoſo correptae conſpiciuntur.

§. IV.

Haemorrhagia in genere nihil eſt aliud, quam actus naturae excretorius, quo ſubſidio motus tonici vitalis ſanguinem, nulla aeque *dyſcraſia* laborantem, ſed ſola copia moleſtum per varia corporis loca evacuat, nullum alium ob finem, quam ut partim ſanguis in motu ſuo locali atque progreſſivo promoveatur, partim verò corpus à moleſtiis, quas plethora parere ſolet, liberetur.

§. V.

Patet hinc, ſermonem hic nobis eſſe de *haemorrhagiis ſpontaneis* & *activis*, ab interna potius cauſſa, quam violentia quavis externa inductis. Eoque ipſo pleraeque recentiorum ſpeculationes de obſtructionibus vaſorum ſanguineorum, à paſſivis humorum ſtaſibus excitatis, de vi rodente particularum acrium, humores perreptantium & vaſa exedentium, de energia fermentationum, vaſa cum violentia quadam perrumpentium &c. ſua ſponte concidunt.

§. VI.

Inter haemorrhagias vero ſpeciales primum tribuimus locum *haemorrhagiae narium*, cui inprimis aetas puerilis & quidem ſexus magis maſculini, quam foeminei ſubjecta ſunt obnoxia. Eſtque excretio ſanguinis ſinceri per nares modo parcius, modo largius, modo facile & expedite, modo vero difficilius & laborioſius, plerumque critice, interdum tamen etiam ſymptomatice, ſponte ſuccedens, &

quidem

quidem pariter miniſterio motuum tonicorum vitalium, ſanguinem copioſius verſus caput naresque reſtringentium: Qua de re ſenſus inferiorum frigidus, hypochondriorum tenſio & ſtrictura ſpaſtica, alvi adſtrictio, urinarum tenuitas & parcior ſucceſſus, oppletiva pectoris anguſtia cum difficultate ſpirandi, vaſorum colli atque temporum inflatio atque pulſatio, vertiginoſa capitis adfectio cum dolore ejusdem gravativo, tinnitus aurium, oculorum rubor, faciei atque genarum inflatio & rubedo aliaque talia phaenomena, quae de motu tonico aucto, ad reſtrictionem ſanguinis verſus caput reſpectante, manifeſtum praebent teſtimonium.

§. VII.

Juvenili & primae ineunti virili aetati ſolemnior eſt *haemoptyſis*, quae eſt excretio ſanguinis ſinceri, ſimulque floridi atque ſpumoſi, ex vaſis pulmonalibus cum vel ſine tusſi, tacite ſubinde & in notabili quantitate, non tamen ſine periculo ſuccedens, mediante motu tonico, ſanguinem verſus pulmones vel aſperam arteriam copioſius reſtringente, ad plethoram ventilandam, ſuſcitata.

§. VIII.

Differt a *ſputo cruento*, quod quippe denotat tantum ſanguinis pauci rejectionem per ſcreatum, magisque ex vaſculis aſperae arteriae ruptis vel apertis, quam pulmonibus ipſis eorundemque vaſis ſuccedit.

§. IX.

Vomitu cruento uterque ſexus, adultiori tamen in aetate, adficitur, & ſequior quidem ob impeditiorem menſium ſucceſſum vel totalem eorundem ſuppresſionem vel qualemcunque aliam ataxiam, maſculinus vero ob vitium haemorrhoidum vel difficulter ſuccedentium vel plane ſuppreſſarum. Eſtque nihil aliud, quam evacuatio ſanguinis ſpisſi atque grumoſi, procedens a ſtricturis ſpaſticis circa

venam portae ſuſcitatis, quibus ſanguis per ramum ſplenicum copioſius atque vehementius verſus ſplenem indeque verſus vaſa brevia reſtringitur, illiſque tandem prae copia ſanguinis eo congeſti ruptis atque apertis in cavum ventriculi effunditur, cujus fibras motrices moleſte adficiendo naturam ipſam ſtimulat & ad excernendum ſanguinem invitat.

§. X.

Per *mictum cruentum*, qui ſenioribus, & maſculis quidem prae foemellis familiarior eſt, intelligimus haemorrhagiam ſpecialem, qua ſanguis ſincerus, beneficio motus tonici *erronee* a natura verſus vaſa emulgentia renesque ipſos congeſtus per organa urinaria evacuatur, ſicque plethora, loco licet valde incongruo, ventilatur. Eſtque hic *ſpontaneus* mictus diſtinguendus à *violento* ſeu *calculoſo-nephritico*, qui nempe ab irregulari & anguloſa calculorum renalium figura & procedente hinc vaſorum laeſione violenta ortum ſuum habet.

§. XI.

Fluxus haemorrhoidalis eſt excretio ſanguinis ſinceri per *venas haemorrhoidales* tam *internas* quam *externas*, eum in finem inſtituta, ut plethora partim imminuatur & viſcera infimi ventris ſuperfluo ſanguine priventur, partim oeconomia vitalis a variis adfectibus & incommodis vel praeſervetur vel liberetur. Patet hinc, *haemorrhoides* alias eſſe *internas*, quae ex ramo ſplenico oriuntur & per interiorem inteſtini recti profunditatem diſſeminatae ſunt, alias vero *externas*, quae ex ramis venae cavae iliacis exſurgunt, & per exteriorem inteſtini recti ambitum ſunt diſperſae. Cumque exitu ſuo non aeque feliciter ſemper potiantur, impulſu interno nihil interea de ſuo vigore remittente, hinc non incongrue quoque *haemorrhoides* in *molientes* & *fluentes* diſtingui ſeſe patiuntur. Subinde *coecae*, nonnunquam vero omnino *ſuppreſſae* obſervantur, ſubinde vero *immodice* fluunt, quod tamen paullo rarius, & quidem cum praejudicio vel detrimento aegrotantis, contingere conſuevit.

§. XII

§. XII.

Ab hoc *fluxu haemorrhoidali* reipſa non differt *fluxus* ita dictus *hepaticus*, imo, exacte rem aeſtimando, nihil potius eſt aliud, quam imperfecta ſeu incompleta *haemorrhoidalis* evacuatio, procedens a motibus *haemorrhoidalibus*, ad plenam perruptionem pertingere non valentibus. Ideo tamen nullo modo inficiamur, colludere ſubinde ſuſpectum hepatis infarctum, impedientem quippe, quo minus ſanguis per hepar libere diffundi atque diſtribui queat, unde verſus loca *haemorrhoidalia* regurgitans, *incompletas haemorrhoides* mentitur, quibus non quidem ſanguis ſincerus, ſed loturae carnium ſpeciem tantum prae ſe ferens evacuatur, non tamen ſine ſpaſticis motibus, lumbos potisſimum adficientibus, ſubinde tamen etiam verſus hypochondrium dextrum, ubi hepar ſitum ſuum habet, ſeſe extendentibus.

§. XIII.

Sequiori ſexui ſolemnis & quaſi privatus eſt *fluxus menſtruus*, quo ſingulis menſibus in foemellis puberibus & extra graviditatis ſtatum conſtitutis notabilis ſanguinis floridi atque laudabilis quantitas ex vaſis uterinis tam vaginam quam fundum perreptantibus effunditur, nullum alium ob finem, quam ut plethora, qua foeminae ad foetum nutriendum graviditatis tempore indigent, extra ſtatum illum ventiletur: Atque adeo periodi criticae rationem habet *fluxus menſtruorum*, quam ſingulis viginti octo diebus regulariter in ſtatu ſanitatis abſolvit.

§. XIV.

Suas tamen patitur ataxias; Quandoque enim *copia & impetu* excedit, qui tamen caſus non modo paullo rarior eſt, ſed & cum *largiore menſium ſucceſſu*, cui plethoricae ſunt obnoxiae, non eſt confundendus. Quandoque contrario laborat *defectu* vel *totali ſuppresſione*; Interdum menſes ſunt *decolores*; interdum *inordinatis* fluunt *temporibus*; Quandoque

vero per *ſtillicidium* tantum ſuccedunt; Quandoque *alienas* & *inſolitas* adfectant *vias*; Quandoque vero alias anomalias incurrunt.

§. XV.

Praeter menſtrualem ſanguinis evacuationem foeminae adhuc poſt partum & in puerperio experiuntur *lochia* ſeu *fluxum lochialem*, quo nomine Pathologis denotatur ſanguinis excretio, quam foeminae poſt partum ſive legitimum ſive abortivum ſive etiam poſt molae excluſionem aliquot continuis diebus cum euphoria patiuntur. Uti vero *menſtrualis* ſuis laborat ataxiis: Ita non minus *lochialis* mulierum *fluxus* ſubinde *nimius* eſt & *exceſſivus*, ſubinde vero contrario *defectu* vel *totali ſuppreſſione* laborat.

§. XVI.

Pertinent huc *haemorrhagiae abortuum*, quae pariter per uterum ſuccedunt & abortum vel praecedunt vel ſequuntur & a violenta ſecundinae ab interna uteri ſuperficie ſeparatione ſive totali ſive tantum partiali originem ſuam deducunt. Inſolentior ſubinde ejusmodi *uteri haemorrhagia* deprehenditur ac *fluxus lochialis* ordinarius, nec minus futuro novae conceptionis & geſtationis foetus actui ingens parit praejudicium, quia, recurrente abortus tempore, haud raro novus conſequitur abortus.

§. XVII.

Manatio varicum, quae haemorrhagiarum ſpecies infimam corporis regionem, artus nempe inferiores occupat, talem indigitat ſanguinis ſinceri excretionem, qua per venas crurum, *ſponte* & *active*, haemorrhoidum vel alterius cujusdam haemorrhagiae gratia, cum qua quippe commercium ſuum alit, evacuatur. Rarior vero eſt actualis *varicum manatio*, ubi contra eorundem turgeſcentia longe frequentius in praxi obſervari ſolet. Toto coelo differt haec *ſpontanea varicum conſtitutio* a *varicoſis* venarum cruralium & ſpermaticarum tumoribus, quorum illi foemellis gravidis,

gravidis, hi vero viris otioſis, plethoricis, in coelibatu viventibus, ſunt familiariores.

§. XVIII.

Sudor ſanguinis eſt haemorrhagia non modo oppido rara, ſed & valde inſolita minusque conſueta eruptionis loca adfectans, alterius tamen haemorrhagiae vicaria, non vero a qualicunque ſanguinis diatheſi ſcorbutica, quam vulgo accuſare ſolent, quaeque rodendo viam per cutis ſuperficiem ſibi paret, procedens, ſed certo non minus atque deſtinato naturae conſilio, ut aliae haemorrhagiae, active ſuſcepta, ad ſanguinem nempe ſuperfluum, ſingulari animi motu in orgaſmum concitatum, evacuandum.

§. XIX.

Aſt quod *facilem gingivarum cruentationem* attinet, extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt, praeter plethoram & motus ſanguinis congeſtorios verſus gingivas, ipſum quoque cruorem manifeſta dyſcraſia ſcorbutica laborare: Quam etiam ob rationem nullis aliis quam ſcorbuticis ſubjectis, ſive univerſali ſive particulari tantum gingivarum ſcorbuto laborantibus familiarior eſſe ſolet.

§. XX.

Haemorrhagiis *ſpontaneis* & *activis*, de quibus hucuſque actum eſt, opponuntur *violentae* atque *paſſivae*, quae vel vaſa rupta, diſciſſa vel punctim tantum laeſa conſequuntur. Multum *hae* ab *illis* differunt, quia, uti *activae ſponte* fuerunt enatae; Ita etiam plerumque ſponte, facta ſufficienti ſanguinis excretione, denuo ſiſtuntur: *Paſſivae* vero, niſi forte grumulus ſanguinis ulteriorem cruoris effluxum removetur, omnem ſucceſſive ſanguinem, modo breviori modo longiori temporis mora, egredi permittunt.

§. XXI.

Verum, expoſita ſic paucis plerarumque haemorrhagiarum hiſtoria, indole ac natura, ad motus ſeu molimina haemor-

haemorrhagica eorundemque conſectaria explicanda transeundum eſt, ubi eundem plane ordinem ſervabimus, quem in haemorrhagiarum pathologia nos ſervaſſe, ex hactenus dictis patet. Prius tamen, quam *ſpeciali* harum rerum tractationi nos accingamus, *in genere* obſervamus, motus ſeu conatus haemorrhagicos, ad actualem quidem haemorrhagiam ſeu perruptionem ſinceri ſanguinis eſſe deſtinatos, ad eandem tamen non ſemper pertingere, atque adeo *congeſtiones* ſubinde pure *ſangnineas*, ſubinde vero *ſeroſas* tantum excitare.

§. XXII.

Congeſtionis vocabulo denotatur *activa* ſanguinis vel ſeri copioſioris reſtrictio verſus locum haemorrhagiae deſtinatum, auxilio motus tonici vitalis aucti, eum in finem ſuſcitata, ut in vel circa locum illum actualis ſanguinis perruptio contingat ſicque plethora ventiletur. Dicitur reſtrictio *activa*, ut tam a *paſſiva* humorum *reſtagnatione*, quam etiam ab actuali *ſtaſi* eorundem diſtinguatur. In *ſtagnatione* enim ſanguinis vel ſeri non quidem omnino ſubſiſtunt dicti humores, ſed difficilius tantum per partes fibroſo-poroſas vel vaſculoſas tranſeunt, ſublata nempe illa proportione, quae in ſtatu oeconomiae vitalis ordinario inter adfluxum & refluxum humorum eſſe neceſſario debet: At vero in *ſtaſi* eſt totalis ſanguinis ſubſiſtentia, ſeu motus progreſſivi atque localis ſublatio: Quam etiam ob cauſſam ſanguis ita interceptus inque motu ſuo vitali praepeditus brevi temporis intervallo in corruptionem ruere ſolet: Quorum tamen omnium contrarium in *congeſtione* contingit, in qua quippe neuter motuum vitalium, ſive progreſſivus & localis ſive inteſtinus fuerit, omnino deficit, ſed refluxus tantum ſanguinis quodammodo eſt impeditus, ſine ſucceſſu tamen verae atque realis vaſorum obſtructionis, quam *Pathologorum* turba fingere hic ſolet.

§. XXIII.

Congeſtiones ſanguinis verſus caput factae pariunt *cepha-*

cephalalgias, otalgias, odontalgias, tinnitus atque *ſuſurros aurium*, quin *ſurditatem* ipſam, *coma, carum* atque *lethargum, vertiginem*, atque adfectus ita dictos ſeroſos, *phlegmatorrhagiam, gravedinem, coryzam, parotides, glandularum colli tumores, uvulae tonſillarumque relaxationes* &.

§. XXV.

Cephalalgia vi vocis denotat dolorem capitis, & diſtingvitur in *ſanguineam* atque *ſeroſam*: *Illa* a congeſtione ſanguinis copioſioris verſus vaſa capitis, inprimis meningum; *haec* vero a congeſtione ſeri dependet: *Illa* cum doloribus admodum tenſivis, ſubinde pulſatilibus ac valde aeſtuantibus, vaſorum ſanguineorum inflatione, oculorum turgeſcentia, vertigine &c. eſt conjuncta: *Haec* vero ſenſum obtuſiorem magiſque preſſorium & gravativum tantum cum quadam quaſi temulentia complicatum offert. Utramque ad haemorrhagiam narium collineare, non inde modo patet, quod ſubjecta haemorrhagiis alias expoſita, nunc vero earundem ſuppreſſione laborantia doloribus iſtis familiarius adficiantur, ſed & prompte vel mitigentur vel omnino conſopiantur, ſi vel narium haemorrhagia in cephalalgia ſanguinea, vel ſaltem coryza in ſeroſa conſequatur.

§. XXVI.

Species *cephalalgiae* ſunt *cephalaea* & *hemicrania*; *Cephalaeam* quod attinet, illa non ſolum dolorum vehementia, ſed & durabilitate tranſitoriam *cephalalgiam* multum ſuperat, atque nihil aliud eſt, quam *cephalalgia* diuturna atque habitualis, ex copioſiori ſanguinis ad caput adfluxu indeque procedente vaſorum venoſorum diſtenſione ortum ſuum derivans. Rem ſic ſeſe habere, Anatomia practica numeroſis exemplis edocuit: Poſt mortem enim in cadaveribus diſſectis vaſa venoſa, ſubinde varicoſa magna ſpiſſi ſanguinis copia infarcta ac turgida fuerunt deprehenſa: A qua diuturna ſtagnatione toni debilitatio & relaxatio ſucceſſu temporis fuit inducta; Quam etiam ob rationem

 perti-

pertinaces iſti capitis dolores tam frequenter recurrere ſolent. Ab ea realiter non differt *clavus hyſtericus*, ſeu *cephalalgia iliaco-Haematitica*, quam *ileum haematitem* vocavit *Hippocrates*, niſi quod ſexui ſequiori prae virili familiarior ſit, & cum qualicunque menſtruorum anomalia, reſtrictionem ſanguinis menſtrualis verſus caput cauſante conſpiret: Quanquam viri propterea ab hac cephalalgiae ſpecie non omnino vivant immunes, illi nempe, qui qualeſcunque haemorrhoidalis fluxus turbas incurrerunt. Cumque non modo adpetitus dejectus, ſed & ructus vomendique conatus ſit conjunctus, a nonnullis ſpeciale *colicae anotericae* nomen accepit.

§. XXVII.

Hemicrania vi vocis ſignificat dolorem capitis, alterutrum tantum latus, utplurimum ſiniſtrum, ſeu dimidium capitis occupantem. Indolis eſt partim congeſtoriae, partim arthritico-ſpaſticae, & eminus quidem ad haemorrhagiam narium reſpicit, ad eandem tamen actu non pertingit. Familiarior iterum eſt foemellis quam viris, inprimis illis, in quibus legitimus menſtruorum ſucceſſus eſt perturbatus.

§. XXVIII.

Quandocunque ſuſpicio ſubeſt, non ſimpliciter congeſtionem ſanguineam, ſed inquinamentum venereum ulceroſo-ichoroſum ſuam hic ludere ſcenam, id quod ex ſenſu dolorum rodentium, terebrantium, & ipſum perioſtium & calvariam quaſi ſuperficiaria arroſione adficientium, & nocturno inprimis tempore recurrentium aeſtimari facile poteſt, tunc *cephalalgiae venereae* nomen huic dolorum ſpeciei imponendum eſſe, nemo multum tergiverſabitur. Et quid impedit, quo minus *cephalalgiae ſcorbuticae* denominationem illi tribuamus ſpeciei, quae a diatheſi ſanguinis ſcorbutica in talibus ſubjectis, ſcorbuto vero adfectis dependet?

§. XXIX.

Praeter varias hucusque enarratas cephalalgiae ſpecies datur adhuc alia, quae tanquam *apoplexiae prodromus* conſiderari

derari jure poteſt, quaeque, ſi in haemorrhagiam narium, ad quam reſpicit, deſineret, ſalutari ſuo ſucceſſu minime deſtitueretur; Quia vero effuſionem ſanguinis in interiora cerebri minatur, imo ſubinde plane actualiter praeſtat, non eſt mirandum, cur interdum in apoplexiam actualem deſinat. Nec denique oblivioni hic eſt tradenda cephalalgiae ſpecies, quam *ſtomachalem* Practici vocant, quae nempe ob conſenſum cum ventriculo exoritur, non quidem a nervorum communicatione derivandum, ſed quod ventriculo aliquid inſoliti, quodque difficulter digeri poteſt, oblatum ſit, quod deinde motibus tonicis ſtrictoriis, ultra gradum conſuetum auctis, excutere denuo molitur natura; Unde reſtrictiones & regurgitationes ſanguinis verſus caput & conſequenter dolores ejus procedunt, qui tamen mox mitigantur tandemque omnino conticeſcunt, vomitu tempeſtive ſubſecuto, rebusque inſolitis, omnemque digeſtionem reſpuentibus ventriculo denuo excuſſis.

§. XXX.

Congeſtionum ſanguinearum, ad haemorrhagiam narium reſpectantium, ſoboles eſt quoque *otalgia*, niſi quod vehementisſimi dolores lancinantes, pulſatorii, intercurrentibus ſubinde febrilibus commotionibus, inflammatorii quippiam conjunctum eſſe, ſatis oſtendant. Denotat vero *otalgia* acutiſſimum ac ferme intolerabilem auris alterutrius dolorem, a ſtaſi ſanguinis inflammatoria exortum. Deſinit quandoque in *fluxum aurium*, reſolutione tempeſtive non ſecuta; Tunc enim ad *ſuppurationem* vel *exulcerationem* totum tranſit negotium, ſicque materia *purulenta* vel *ulceroſa* ſucceſſive auribus effluit.

§. XXXI.

Ex eodem fonte reliqui aurium adfectus, nempe *tinnitus*, *difficultas auditus*, quin *ſurditas* ipſa exſurgunt, & reipſa nihil aliud ſignificant, quam conatus haemorrhagicos

 ſeu

ſeu ſubtiles ſpaſticos motus, ad haemorrhagiam narium contendentes, ſed, quia incompleti ſunt, ad eandem raro pertingentes; Quam etiam ob rationem *tinnitus aurium* inter ſigna, haemorrhagiam narium futuram indicantia, non inepte referri ſolet.

§. XXXII.

Non minus easdem quoque origines agnoſcit *odontalgia*, niſi forte manifeſtum dentium vitium, nempe caries ſubſit; Id quod ex univerſo adparatu congeſtorio, inflatione nempe vaſorum ſanguineorum, rubore faciei, tumore & inflammatione gingivarum partiumque proximarum, doloribus acutiſſimis, ad interiora aurium quandoque ſeſe extendentibus &c. clare liquet. Ut proinde *odontalgia* nihil ſit aliud, quam dolor dentium acutiſſimus, à congeſtione inflammatoria ſanguinis circa perioſteum, partesque nervoſas admodum ſenſibiles ortum ſuum trahens; Quia vero molimina iſta excretoria incompleta pariter ſunt & effectu ſuo deſtituuntur: Hinc ad haemorrhagiam narium actualem res non pertingit, etiamſi conatus iſti congeſtorii ad eandem citra dubium collineent. Quod ipſum inter alia inde patere poteſt, quod artificiales ſanguinis ventilationes ad mitigandam vel praeoccupandam *odontalgiam* non parum conferant. Quo ipſo interim vulgares Pathologorum praefigurationes de ſtimulatione acrium atque ſalſarum particularum circa radices dentium obhaereſcentium ſua ſponte concidunt.

§. XXXIII.

De reliquis ſive oculorum ſive capitis adfectibus, *ophthalmia*, *lippitudine* & *ungue oculorum* ipſaque plane *cataracta*, de *parotidibus* itidem & *achoribus infantum*, de *glandularum colli tumoribus*, nec non *linguae*, *faucium collique intumeſcentia* & *inflammatione &c.* vel propterea nihil hic commemoro, quia ſinguli hi adfectus chirurgicam potius quam medicam opem expoſtulant, quanquam interea certus ſim, ex iisdem plane fontibus omnes ac ſingulos procedere.

§. XXXIV.

§. XXXIV.

Nihiloſecius tamen *de phrenitide, paraphrenitide, vertigine* aliisque huc ſpectantibus adfectibus mentio adhuc facienda eſt. Quotienscunque ſubjecta activiora, admodum plethorica, olim haemorrhagiis narium vel aliis, quae tamen nunc repetino quodam inſultu ſuppreſſae fuerunt, *phrenitide* corripiuntur, totiens certum eſt, teſtari illam de ſubitanea quadam ſanguinis copioſioris congeſtione ſeu potius ſtaſi inflammatoria circa & in meningibus aliisque interioribus capitis partibus facta; Id enim non modo ſtricturae ſpaſticae circa organa excretioni faecum tam fluidarum quam ſolidarum dicata, ſed & faciei rubor cum venularum ſubtiliſſimarum per oculos diſperſarum turgescentia, aperte monſtrant. Ut proinde, brevibus negotium comprehendendo, *phrenitis* nihil ſit aliud, quam inflammatio meningum cum febri acutiſſima, à ſtaſi profunda ſangvinis ortum ducens, ad quam reſolvendam atque diſcutiendam tam acutis febrilibus motibus natura inſurgit.

XXXV.

Ab *hac*, niſi loco tantum adfecto, vix differt *paraphrenitis*, quae quippe denotat febrim inflammatoriam aeque acutam & ſanguinis ſtaſi circa & in diaphragmate enatam, ad quam reſolvendam motus iſti febriles acuti ſunt deſtinati. Quo minus autem haemorrhagicum negotium, ſive ad haemorrhagiam narium ſive ad haemoptyſin contendat, excludi hic poſſit, id clare demonſtrant ſubjecta, *phrenitidi* pariter ac *paraphrenitidi* familiarius obnoxia, quae nulla ſunt alia, quam quibus vel olim haemorrhagia narium fuit familiaris, nunc vero quacunque de cauſa emanſit, vel qui ſanguinis ventilationi per ſcarificationem vel venaeſectionem ſeſe ſubmiſerant, nunc vero conſuetudini iſti temere renunciarunt, vel etiam, ſi foeminis menſtrua aut viris haemorrhoides fuerint ſuppreſſae; Ex quibus quippe fontibus fatales tales ſanguinis reſtrictiones verſus meninges atque diaphragma procedunt.

§. XXXVI.

Ad *vertiginis* indolem rite cognoſcendam, non opus eſt cum *ſpeculatoribus Mechanicis* ad putatitium quendam vorticoſum *ſpirituum animalium* motum in cerebro recurrere, ſed in plano poſita illa erit, dummodo recte ad animum admittatur, nulla facile alia ſubjecta fieri vertiginoſa, quam eminenter plethorica, ſanguineo-phlegmatica vel ſanguineo-melancholica, quaeque olim in prima adoleſcentia haemorrhagias narium experta fuerunt, foeminas item male menſtruatas vel viros, quibus haemorrhoides impeditius ſuccedunt, indeque turbas circa venam portae incurrunt, atque adeo hypochondriaci evadunt &c. Hiſce enim omnibus cum ab inferioribus verſus ſuperiora reſtringatur ſanguis inque capite copioſius accumuletur, quam proportionate per venas refluere queat: Hinc irregulares tales & quaſi undulatoriae ſanguinis commotiones procedunt, quae vertiginem conſtituunt, non pari tamen gradu omnes ac ſingulos adficientem, ſiquidem primus gradus *vertiginis* nomen retinet, alterum *ſcotomiam* ac tertium denique *vertiginem caducam* vocant.

§. XXXVII.

Adfectus quoque *ſoporoſi* in hac morborum claſſe omittendi non ſunt, quorſum ſpectant *coma*, *carus* & *lethargus*, imo *apoplexia* ipſa, qui tamen omnes *gradu* tantum inter ſe mutuo diſcrepant, & à congeſtione vel ſtaſi ſanguinis vel ſeri ſuam derivant originem.

§. XXXVIII.

Coma eſt vel *ſomnolentum* vel *vigil*; *Illud* adfectum vocant ſoporoſum, utplurimum *ſymptomaticum*, ab humorum ſeroſo-viſcidorum atque mucidorum reſtrictione verſus caput ortum ſuum deducentem, & cum delirio quidem, non tamen vehementi conjunctum. *Hoc* vero, nempe *vigil*, ingentem quidem ad dormiendum proclivitatem inducit, nullo tamen actuali ſomno ſubſecuto; Unde delirando corpusque inordinatius & inquietius jectigando maximam temporis partem tranſigere ſolent.

§. XXXIX.

§. XXXIX.

Per *carum* intelligunt *Pathologi* majorem adfectuum ſoporoſorum gradum, quo in ſomnum usque adeo profundum incidunt, ut difficulter excitari queant, & licet puncturis, clamoribus aliisque mediis tandem excitentur, mox tamen in eundem denuo ſoporem prolabuntur, quod vitium phlegmaticis, ſenibus, catarrhalibus olim defluxionibus, gravedini atque coryzae expoſitis, magis familiare eſt.

§. XL.

Lethargus denotat ſoporem admodum profundum, ut excitari difficulter poſſint aegrotantes, cum *febre* omniumque rerum *oblivione* conjunctum.

§. XLI.

Per *apoplexiam* intelligunt ſummum adfectuum ſoporoſorum gradum, quo praecipiti ſimultaneo quaſi actu functiones animales, ſenſus atque motus voluntarii vel totaliter vel partialiter abolentur, cum pulſu debili atq; reſpiratione ſtertoroſa. Oritur ab extravaſatione & ſtaſi ſanguinis vel ſeri, eoque intuitu in *ſangvineam* atque *ſeroſam* diſtingvi conſuevit.

§. XLII.

Congeſtionum ſeroſarum, verſus caput & confinia ejusdem, haemorrhagiae narium cauſſa inſtitutarum, effectus ſunt adfectus quidam ſeroſi, ſuperius commemorati, nimirum *gravedo* atque *coryza*, *phlegmatorrhagia*, *lippitudo*, *ptyaliſmus*; Quorſum & *parotides* aliarumque glandularum tumores uti & *angnia* ſpectant.

§. XLIII.

Gravedo atque *coryza* inter ſe mutuo diſcrepant, ut *antecedens* & *conſequens*. *Illa* denotat catarrhum capitis, à congeſtione & ſtagnatione ſeri circa nares vicinasque alias partes excitatum, quod vero perruptione actuali potiri nequit, atque hinc ſenſum gravativum & quaſi temulentum cum dolore premente, vaſorum ſanguineorum turgeſcentia,

tia, ſiti oriſque ac faucium ariditate, aliasque moleſtias parit aegrotantibus.

§. XLIV.

Coryza vero eſt pariter adfectus catarrhalis, ſed actuali materiae ſeroſae copioſiſſimae plus minus ſpiſſae per nares, fauces imo ipſos quandoque oculos excretione ſeſe prodens, & haud raro cum permoleſto ardoris ſenſu, quin leviori arroſione praediactarum partium ſtipatus.

§. XLV.

Phlegmatorrhagia eſt tenuis, limpidae ſed ſimul valde acris ſeroſae materiae ſtillicidium per nares, & haemorrhagiam narium ſuo in ſucceſſu quodammodo aemulatur.

§. XLVI.

Similiter *lippitudo* ſive *ophthalmia*, nempe *ſeroſa*, quae à *vera*, inflammatoria, nempe dolore, rubore ardoreque ſeſe manifeſtante, differt, eſt continuus & involuntarius ſeri plus minus acris ex oculis effluxus, à congeſtione ſeri verſus oculos dependens & cum dolore & inflammatione eorundem conjunctus, nonnunquam vero, in leviori nempe gradu, ſine iisdem.

§. XLVII.

Ptyaliſmus nempe *ſpontaneus*, qui ab *artificiali*, remediis mercurialibus excitato, eſt diſtinguendus, denotat copioſum materiae ſeroſo-ſalivalis ex glandulis oris interni ſalivalibus excretionem. Subinde criticae eſt indolis, aliosq; adfectus, quibus ſupervenit, ſolvit, interdum vero à laxiore tono glandularum ſalivalium ſuam deducit originem.

§. XLVIII.

Parotidum nomine denotatur adfectus *congeſtorio-inflammatorius*, glandulas pone aures ſitas occupans, & ad excretionem ſive ſanguinis ſive ſeri reſpectans. Adfligit non nunquam *idiopathice*, nonnunquam *ſymptomatice*, idque ſubinde ſine, ſubinde cum febre.

§. XLIX.

Angina conſiſtit vel in ſimplici congeſtione ſeri vel ſanguinis circa muſculos *laryngis* vel *pharyngis*, vel inflammatione earundem partium, quae conjuncta eſt cum febre acuta inflammatoria, deglutitione difficili & metu ſuffocationis.

§. L.

Revertamur ad *haemoptyſin* adfectusque eidem adfines, *pleuritidem* nempe atque *peripnevmoniam*, quorſum etiam *infarctus pulmonum*, *tubercula* ſeu *nodi ſcirrhoſi* eorundem, nec non *vomica pulmonum* & *empyema pectoris* una cum *phthiſi pulmonali* pertinent.

§. LI.

Pleuritis aeque ac *peripnevmonia* denotant *febrim acutam inflammatoriam*, propter ſtaſin ſangvinis ſive in pleura ſive in membrana, pulmones cingente ſive in ipſa eorum ſubſtantia exortam, atque cum dolore lateris punctorio difficilique reſpiratione conjunctam. Interdum utraque pars adfecta inflammatione corripitur, atque tunc *pleropnevmonia* vocatur adfectus. *Pleuritis vera* perite diſtingvenda eſt à *ſpuria* ſeu *notha*, & ad adfectus potius ſpaſmodicos referenda, de qua ſuo loco dicetur.

§. LII.

Infarctus pulmonum eſt nimia eorundem oppletio, à ſpiſſitudine ſangvinis, indeque orto difficili ejusdem progreſſu tandemque exinde nata ſtagnatione ortum ſuum derivans. Cum *ſimplici* ſangvinis *congeſtione* & *aſthmate* non eſt confundendus.

§. LIII.

Naſcuntur ſubinde ex infarctu tali *nodi ſcirrhoſi* pulmonum ſeu *tubercula*, quae, ſi ſucceſſu temporis matureſcant & ſuppurentur, vel *vomicam* vel *phthiſin pulmonalem* pariunt.

§. LIV.

Sicuti igitur *vomica* denotat *abſceſſum* ſive *apoſtema* pulmonum, quod tamen ſuum intra folliculum membrana-

ceum una cum materia purulenta adhuc concluſum eſt: Ita in *empyema* tranſit, rupto folliculo materiaque purulenta intra pectoris cavitatem effuſa.

§. LV.

In *phthiſi* vero vera pulmonum exulceratio obtinet, quae cum febri hectica, tuſſi, materiae purulentae ac foetentis rejectione, tandemque, rebus aegri conclamatis cum contabeſcentia, ſudoribus & diarrhoea colliquativa eſt conjuncta.

§. LVI.

Ad eandem hanc claſſem pertinent *adfectus* quidam *ſeroſi*, uti ſunt *tuſſis humida* una cum *aſthmate humido, branchusq;* cum *raucedine faucium* & *catarrho ſuffocativo.*

§. LVII.

In *tuſſi humida*, nempe *pectorali*, quae à *ſtomachali* provide eſt diſtingvenda, conatur natura mediante motu thoracis vehementiſſimo concuſſorio, ſaepius per intervalla repetito, mucum viſcidum, lentum atque tenacem pulmonum bronchiis inhaerentem, reſpirationisque libertatem admodum turbantem & intercipientem reſolvere tandemque eliminare.

§. LVIII.

In *tuſſi* vero *ſicca* conatus iſte, quantacunque licet vehementia atque violentia ſuſceptus, vel omnino vanus & irritus eſt, vel ſaltem pauciſſima materiae viſcoſae lentaeq; quantitas rejecta, cum motibus excuſſoriis eum in finem adornatis nullam proportionem ſervat.

§. LIX.

Aſthma humidum denotat ſpirandi difficultatem *cum ſibilo* à materia viſcida, lenta atque mucoſa, pulmonum cellulas pnevmonicas, vel eorundem ſaltem bronchia opplente, inductam.

§. LX.

Differt ab eodem *aſthma ſiccum*, in quo quidem pariter ingens reſpirandi difficultas, una cum ſonitu acuto, attamen

men absque vehemenri tuſſi atque humorum rejectione obſervatur, videturque magis vitium pulmonum in textura, nempe ſcirrhoſitatem, vel nimiam eorundem relaxationem pro fundamento agnoſcere.

§. LXI.

Inter *branchum* & *raucedinem* faucium vocisque, quos duos adfectus *Pathologorum* nonnulli inter ſeſe mutuo confundunt, inſignis eſt differentia; In *brancho* enim, qui inter *defluxiones catarrhales* ſuum jure locum tuetur, fit humorum ſeroſorum, tenuium quidem, attamen valde acrium decubitus verſus fauces partesque aortae ſuperiores: In *raucedine* vero membrana ejusdem aſperae arteriae interna magis adfecta, & corroſione quin exulceratione ſubinde laborare perſentitur: Quam ob rem etiam *vocem claram* in *raucam* eſſe converſam deprehendimus.

§. LXII.

Catarrhus ſuffocativus, quem ſubitus ſangvinis ſerique illapſus in pulmones, nimia toni relaxatione laborantes inducit, ac praeſentiſſimam aegro ſuffocationem comminatur, hujus propric loci non eſt, ſed ad aliorum adfectuum, ex defectu potius motuum tonicorum ortum ſuum trahentium, claſſem referri meretur.

§. LXIII.

Pergo ad *vomitum cruentum*, cum quo pathemata *hypochondriaca* virorum & *hyſterica* mulierum certiſſime conſpirant; Ita tamen, ut in *illis* vitia haemorrhoidum ſive male fluentium ſive plane ſuppreſſarum, in his vero ataxiae menſium tacite colludant: Unde haemorrhagiis hiſce exitu ſuo fruſtratis reſtrictiones regurgitationesq; ſangvinis verſus V.P. viſceraque cum eadem conſpirantia inſtituuntur, gignitur infarctus lienis, diſtenduntur vaſa brevia, ſplenem & ventriculum interjecta, quibus tandem prae ſangvinis nimii ſimulque ſpiſſi copia ruptis & apertis, in cavum ventriculi ſangvinis fit effuſio & *vomitus* ſequitur *cruentus*. Atque mutuae hujus conſpirationis nullum aliud

ſolidius eſſe fundamentum, id inprimis documento eſt, quod pathemata hypochondriaca Virorum eximie ſtatim, ſupervenientibus haemorrhoidibus mitigentur, & mulieres hyſtericae, ſtatim ac menſes emicare denuo incipiunt, inſigne inde levamen reportent.

§. LXIV.

Ex eodem plane fonte pullulat quoque *infarctus* viſcerum hypochondriacorum, *ſplenis* nempe atque *hepatis*: *Ille*, quotienscunque ſangvis ſpiſſus ac difficulter mobilis per *ramum ſplenicum* verſus lienem: *Hic* vero, quando ejusdem indolis quantitate ſimul nimia peccans ſangvis per *vaſa meſaraica* ad hepar reſtrictus oppletionem parit. Uterque adfectus, ſtagnatione vel ſtaſi tempeſtive non ſoluta, in *ſcirrhum* immedicabilem tranſit.

§. LXV.

Hujus quoque loci eſt *atrophia*, quae ab *infarctu* vel *ſcirrho glandularum meſaraicarum* enaſcitur; Unde praecluſa alimentaris ſucci acceſſione & communicatione cum ſangvine corpus ſucceſſive conſumptum contabeſcit, ſicque *atrophia* gignitur. Differt ab *hectica* & *phthiſi*, nec non *maraſmo ſenili*.

§. LXVI.

Mictui cruento adfines ſunt *rhevmatiſmi* una cum univerſa adfectuum *arthriticorum* tam *vagorum* quam *fixorum* caterva; *Rhevmatiſmi* nomine non intelligunt Pathologi qualemcunque defluxionem catarrhalem verſus hanc vel illam corporis partem factam, ſed decubitum ſeri admodum quidem tenuis, attamen ſimul valde acris, in partibus fibroſo-muſculoſis cum *dolore*, *ardore* & *rubore* partis, quam occupavit.

§. LXVII.

A *rhevmatiſmo* reipſa non diſcrepat *arthritis*, niſi quod *ille* partes carnoſo-muſculoſas, *haec* vero articulationes teneat obſeſſas, diciturque *arthritis vaga*, ſi ab uno articulo

corporis vel ſponte vel artificialiter tranſeat in alterum, *fixa* vero, ſi unum eundemque locum conſtanter occupet, quorſum *podagra, gonagra, chiragra* & *malum iſchiadicum* aliaeq;, quas hodie Practici obſervarunt, ſpecies pertinent.

§. LXVIII.

Nephritis denique tam *ſimplex* quam *calculoſa* hujus quoque loci eſt. *Illa* denotat adfectum renum *eryſipelaceo-inflammatorium* ſine *calculo*, qui tantum à congeſtione & reſtagnatione ſangvinis, *eminus* haemorrhoides externas, *cominus* vero mictum cruentum reſpectante, ortum ſuum deducit. Provide non modo a *doloribus iſchiadicis*, ſed & *colicis*, cum quibus haud raro confunditur, diſtingvenda eſt.

§. LXIX.

Nephritis vero *calculoſa* nunquam *ſine calculo* eſt. Diſtingvitur in *calculum renum* atque *veſicae*; *Ille* in *renibus* ex principio mucoſo, ſalino atque terreſtri concreſcit: Hic vero in *veſica* non tam generatur, quam potius adoleſcit: *Calculus* enim *veſicae* ex *calculo renum* gignitur. Uterque à ſe mutuo haud difficulter diſtingvi poteſt; *Ille* enim ſcaber eſt, anguloſus, parvus & friabilis: *Hic* vero levis, ex multis ſtratis ſibi mutuo ſuperimpoſitis tanquam totidem ceparum lamellis compoſitus, molem inſignem habens, durusque & compactus. *Ille* à ſtaſi ſangvinis indeque ſuborta *corruptione* ſive *ulceroſa* ſive *apoſtematode* renum natales ſuos derivat, unde tandem *calculus renalis* ad veſicam per ureteres translatus *veſicalem* gignit.

§. LXX.

Relicta nunc prima adfectuum morboſorum claſſe, ad alteram nos convertimus, in qua occurrunt morbi, à vitioſa humorum qualitate (*cacochymiam* vulgo vocant) originem ſuam trahentes; Ubi tamen notari meretur, pleraque craſeωs vitia plethorae pedisſequa eſſe.

§. LXXI.

Uti vero *cacochymia* vitioſam humorum diſpoſitionem ratione craſeωs denotat, quae utplurimum neceſſariarum ſe-& excretionum ſuppreſſionem ſubſequitur: Ita *cachexia* nihil aliud eſt, quam depravatus corporis habitus, conſiſtens in flaccidula & ſubtumida partium, maxime externarum conſtitutione, ab inſolita toni remiſſione indeque procedente materiae ſeroſo-mucidae copioſae incarceratione dependens.

§. LXXII.

Species *cachexiae* eſt *chloroſis*, quam ideo *cachexiam virginum*, *febrim albam* ſive *amatoriam puellarum* adpellitant, deſignatque *cachexiae* ſpeciem, puellis propriam, & obſtructionem menſium pertinacem, quae deinde regurgitationem ſangvinis verſus V. P. ipſorumque viſcerum hypochondriacorum oppletionem & infarctum parit, pro fundamento habet & agnoſcit.

§. LXXIII.

Gradu à *cachexia* differt *leucophlegmacia*, quae ſignificat depravationem univerſi corporis habitus externi, à ſtagnatione ſeri viſcidi ac lenti exortam, & proinde colorem pallidum una cum ſenſu frigidiuſculo offerentem.

§. LXXIV.

A *leucophlegmacia* differt *anaſarca*, quae eſt ſpecies hydropis univerſalis, cum tumore totius corporis oedematoſo ſese manifeſtans, quo cutis ad ſplendorem ſeu nitorem usque extenſa tantam adquirit duritiem, ut veſtigia digitis impreſſa diu relinquantur. Oritur plerumque ex male tractatis, ſuffocatis & intempeſtive ſuppreſſis febribus tam catarrhalibus & acutis quam intermittentibus, ex ſcabie itidem repreſſa, nec non menſium ſuppreſſione in foemellis & haemorrhoidum in viris, ſudoribus ſubito cohibitis aliisque ſeroſis evacuationibus perverſe ſuppreſſis aliisque talibus cauſis.

§. LXXV.

§. LXXV.

Aſcites vero eſt tumida totius abdominis inflatio, cum femorum pedumque inturgeſcentia hydropica conjuncta, quaeque ex colluvie ſeroſo-lymphatica muceſcente, largius intra abdominis cavitatem effuſa ibidemque fluctuante ſuam trahit originem: Depravatam enim ſeri lymphaeque craſin ſequitur vaſorum lymphaticorum diſtenſio, tandemque ruptio & ſeri effuſio, ſicque verus hydrops.

§. LXXVI.

Tympanites, cum non ſit tumor ſimpliciter hydropicus, ſed vaporoſo-flatulentus, male quidem hydropis ſpeciebus adnumeratur; Interea tamen, cum ex humoribus lentis, viſcidis atque glutinoſis flatus oriantur, ſuum hic ſat commode locum invenit: Unde & à nonnullis *hydrops* ſiccus vocari ſolet. Eſtque nihil aliud, quam vehemens ventris inferioris diſtenſio tanta, ut digito percuſſus veluti tympanum reſonet, cum levi murmuratione ac rugitu. Eſſe autem flatulentam talem abdominis expanſionem in cauſſa, id documento eſſe poteſt, quod non modo ructus emiſſi patientes tales vivos egregie ſublevaverint, ſed & in mortuis inteſtina flatibus mire diſtenta fuerint reperta.

§. LXXVII.

Dantur vero, praeter *hydropem univerſalem*, variae aliae *hydropis particularis* ſpecies; Quales in quavis C. H. parte tam externa quam interna non ipſorum tantum organorum, ſed & humorum vitio contingere poſſunt & ſolent; Quorſum praeter *hydrocephalum* ſpectat *hydrops omentalis*, *hydrocele*, *à pnevmatocele* provide diſtingvenda, hydrops itidem *uteri*, *ovarii muliebris*, pluresque aliae ſpecies.

§. LXXVIII.

Imo huc etiam *ſclyroſews* atque *hydatidum* pathologia pertinet. Per *illam* intelligimus hydropem *glandularum meſaraicarum*, per *hanc* vero puſtulas ſeu veſiculas aquoſas,

quae

quae in ſectionibus cadaverum in hepate, liene, pulmonibus aliisque viſceribus ſubinde occurrunt.

§. LXXIX.

Ejusdem hujus loci ſunt *tumores oedematoſi pedum*, qui tamen rariſſime per ſe oriuntur, ſed plerumque aliorum morborum pediſſequi ſunt, denotantq; tumorem mollem, pallidum ſimulque indolentem, quique veſtigia ſui digitis impreſſa diu poſt ſe relinquit, & à ſtagnatione humorum ſeroſorum, qui in diatheſin muceſcentem tranſiverunt, ſuos derivat natales.

§. LXXX.

Ad vitia *ſeroſarum excretionum* ſuo quoque jure referenda eſt turbatio *tranſpirationis* non modo *inſenſibilis*, quam alias *Sanctorianam* adpellant, ſed & *ſenſibilis*, quae *ſudorum* nomine venit, imo & *obſtructio alvina* ejusdem hujus loci eſt.

§. LXXXI.

Sicuti vero, quamdiu tam halituoſa illa quam manifeſta humorum ſeroſorum per habitum cutis poroſum commode ac libere non minus quam moderate ſuccedit, maſſa humorum totumque corpus à corruptelis ſuis ſalinoſulphureis aliisque liberatur ſicque in intemerato ſanitatis ſtatu conſervatur: Ita contra, ſi vel *defectu* vel *totali ſuppreſſione* utraque haec excretio laboret, laſſitudo totius corporis cum artuum gravitate aliaque mala inde exſurgunt.

§. LXXXII.

Peccant tamen etiam ſubinde excretiones tales ſeroſae nimio ſui *exceſſu*, quorſum inprimis ſpectant ſudores ita dicti *colliquativi*, quales vel poſt febres tertianas & quartanas male curatas ſequuntur, vel phthiſi, hecticis ac lentis febribus ſymptomatice complicantur, quae cum non modo omni rationali fine deſtituantur, ſed & vires patientium penitus tandem exhauriant, tempeſtivam medicorum attentionem omni modo merentur.

§. LXXXIII.

§. LXXXIII.

Aliter vero ſentiendum eſt de *ſudoribus aequinoctialibus*, qui prudenter aeſtimati patienterque ad unam vel alteram ſeptimanam tolerati non ſolum non nocent, ſed & pleniſſimam euphoriam poſt ſe relinquunt, etiamſi quandoque quodam laborare exceſſu videri poſſent. Eveniunt utplurimum plethoricis, ſpontaneis haemorrhagiis vel artificialibus ſangvinis ventilationibus adſueis, quas tamen neglectim vel nullo numero habuêre, unde natura ſpontanea tali ſangvinis in ſerum reſolutione eidemque ſuccedente excretione plethoram imminuere conatur.

§. LXXXIV.

Obſtructio alvi, quae ab ejusdem *adſtrictione* ceu *paſſivum* ab *activo* diſtingvitur, ipſam ejus *ſegnitiem* quoque ſub ſeſe comprehendit. In *illa* faecum alvinarum plenaria retentio, in hac vero ſegnior tantum earumdem excretio obſervatur: At vero in *adſtrictione alvi* ſpaſmodica activa muſculi *ſphincteris* conſtrictio peccat, atque adeo nihil excrementorum alvinorum, fortiſſimo licet niſu excretorio in ſubſidium vocato, excerni poteſt.

§. LXXXV.

Segnior alvi ſucceſſus ejusdemque *ſiccitas* imo *totalis obſtructio*, uti ſubinde ab humorum ſeroſorum defectu vel ipſius quoque motus inteſtinorum periſtaltici ſegnitie ortum ſuum trahunt: Ita in *adſtrictione*, quam alii potius morbi fovent, activa ſpaſmodica conſtrictio locum habet. Nullo in adfectu morboſo utilis eſt qualiscunque alvi ſegnities, ſolis *febribus exanthematicis* & inter illas *variolis* exceptis, quae quippe ſub illa laetius ſemper eſfloreſcere imo & ad optatam maturitatem deduci deprehenduntur. Aliâs vero in ſtatu hominum ſano aeque ac morboſo alvum rite ſemper ſuccedere, optimum eſſe ſolet indicium: Ubi contra contumaci obſtructioni communiter flatulentia veſtigia legit, quam deinde tormina colica cum ingenti anxietate conjuncta conſequuntur, atque tandem ex contentionibus

Ee talibus

talibus diſtenſoriis ac repulſoriis repreſſiones ſanguinis & irregulares ejusdem diſtributiones ad caput, pectus &c. exurgunt; Id quod in ſexu potiſſimum foemineo obſervare licet.

§. LXXXVI.

Ejusdem hujus loci ſunt quoque *adfectus ulceroſo-ſcabioſi* cutis, qui, uti per omnes aetatis humanae periodos graſſantur, ita tamen infantibus, pueris, adoleſcentibus atque juvenibus magis infenſi eſſe ſolent. Diſtingvitur *ſcabies* in *benignam* & *malignam*; *Illa* iterum eſt vel *humida* vel *ſicca*: *Hac* autem vel *venerea*, vel *leproſa*. Ex *benignae* ſpeciebus *humida* puſtulis latis, copioſo ſpiſſo humore turgidis ſeſe exerit, quae tandem ruptae copioſam, ſpiſſam & quaſi oleoſam flaveſcentem materiem fundunt & ulcerationes ſic ſatis profundas cauſſantur: *Sicca* contra puſtulis longe minoribus paucoque ſero lucido repletis ſeſe prodit, quae vehementer quidem pruriunt, non tamen profundam aeque ulcerationem cuti inducunt, cum ſummam tantum ejus ſuperficiem adficiant, humoresque tenues, admodum tamen acres, inter cuticulam tantum atque cutim reſideant.

§. LXXXVII.

Utraque tam *humida* quam *ſicca* natales ſuos deducit vel ex ſero ſpiſſo atque muceſcente vel nimia ejusdem tenuitate, cum ſubtili tamen acredine ſtipata, vita otioſa ac deſide nec non alterationibus cutis periphericis, ex frigida inprimis humiditate ortis, ſymbolam ſuam conferentibus. Longe vero major atque profundior ſero ineſt corruptio in ſingulis *ſcabiei malignae* ſpeciebus, quales ſunt *impetigo* (quae etiam *pſoram* ſeu *lepram Graecorum*, & *elephantiaſin* ſeu *lepram Arabum* ſub ſeſe complectitur) nec non ſcabies tam *ſcorbutica* quam *venerea* aliaeque cutis defoedationes, quae ſpecialibus ſuis ſignis atque indiciis omnes ſeſe manifeſtant.

§. LXXXVIII.

§. LXXXVIII.

Scorbutus, ſub cujus larva haud raro *lues venerea* palliari ſolet, ſingularem denotat humorum lymphatico-ſangvineorum corruptionem ſemiputredinoſam, quae non modo in inſigni ſanguinis grumoſitate ſed & inſufficiente ejusdem cum portione ſeroſo-lymphatica interagitatione conſiſtit, & varia ſymtomata, dolores nempe ſpaſticos, ulcera foetida, viriumque defectum &c. juncta ſibi habet. Comprehendit ſub ſeſe ceu ſpecies *ſtomacacen* & *ſceletirben*, quarum *illa* gingivarum, cum facili earundem cruentatione & ulceroſa corruptione ſtipatum, haec vero pedum ſcorbutum cum eorundem languore doloribusque junctum deſignat.

§. LXXXIX.

Cavendum tantum hic eſt, ne quamcunque ſanguinis humorumque dyſcraſiam, id quod nonnulli perverſe facere conſuevêrunt, pro ſcorbuto venditemus. Cumque non minus ab aliis, hiſtoriae morborum non admodum gnaris, fieri ſoleat, ut propter qualemcunqne circumſtantiarum quarundam convenientiam *ſcorbutus* cum *lue venerea* erronee confundatur, opera quoque danda eſt, ut, quae venereis corruptelis competunt pasſiones, ſcorbuto, & vice verſa, neutiquam imputentur; Cujus peritae discretionis hic inprimis fructus eſt, ut ſolerter praecaveatur, ne pathematibus luis venereae *antiſcorbutica*, nec ſcorbuticis adfectibus *antivenerea* temere opponantur.

§. XC.

Conſiſtit vero *lues venerea* in intimiore humorum lymphatico-ſalivalium, in quos quippe inquinamentum venereum, per impuram meretriciam cohabitationem communicatum profundius ſeſe inſinuavit, depravatione & cum laſſitudine artuum, doloribus capitis membrorumq; obtuſis, veſpertino potiſſimum tempore ingraveſcentibus, puſtulis ſcabioſis hinc inde in corpore effloreſcentibus, in quibusdam cum bubonibus, ulceribus penis, ſubinde cum

 rauce-

raucedine vocis & uvulae, faucium nariumq; exulceratione, imo haud raro plane cum cranii carie capillorumque defluvio ſtipata eſt. Haec enim corruptio lymphatico-ſalivalibus humoribus intimius innidulata & hinc inde in partibus membranoſis, ligamentoſis, tendinoſis, glanduloſis, cartilagineis & oſſeis ſtaſes gignens earundem corruptioni viam ſternit.

§. XCI.

Sequitur in viris utplurimum poſt male curatam gonorrhoeam malignam, in foemellis vero poſt fluorem album virulentum adſtringentibus perverſe cohibitum atq; ſuppreſſum. Exerit ſeſe *malum Neapolitanum* tribus diſtinctis *gradibus*, quorum *primus* eſt, ſi venerea corruptela adhuc in & per partes genitales ſeſe diffudit; In *altero* vero gradu idem illud inquinamentum per humores ſubtilius atque tenerius eſt diſſeminatum; Quam etiam ob cauſam praeter langvores artuum & fatigationes gravantes nulla aeque graviora ſymptomata obſervantur; Sed in *tertio* ac ſummo luis hujus gradu, corruptelis venereis per ſolideſcentes aeque ac ſolidas partes undiquaq; diffuſis, graviora quoque ſymptomata, antea enumerata manifeſtare ſeſe ſolent.

§. XCII.

Praeterea ad ſeriem adfectuum, vitioſam humorum qualitatem praeſupponentium, praeter *ſodam* ſpectant etiam binae ventriculi cruditates, *acida* nimirum atque *nidoroſa*.

§. XCIII.

Soda, quam alii *orexin* dicunt, quaeque à *cardialgia* provide diſtingvenda eſt, & vulgo & Practicis nihil deſignat aliud, quam ardorem ventriculi, ſive moleſtum ſenſum ardentem, qui potiſſimum quidem circa ſuperius ventriculi orificium perſentitur, ſed deinceps per integrum oeſophagum eidem continuum ad ſummas usque fauces ſeſe diffundit, & ab humore bilioſo acri ibidem depoſito ſuam

derivat

derivat originem, una cum continua ſalivae in os effuſione, nauſea, in actualem vomitum quandoq; degenerante, ipſo interdum capitis dolore eidem conjuncto.

§. XCIV.

Familiaris eſt cholericis vel cholerico-ſanguineis, abuſum committentibus eſculentis pingvibus, frigidam inprimis vel potum ſpirituoſum ſuperbibentibus, aromaticis itidem, coepis, allio ſimilibusq; acribus atque vaporoſis indulgentibus, nec non potulenta cereviſiaria non rite fermentata ſed potius faeculenta, craſſa turbidaq; adſumentibus. Quandoq; complicatur etiam malo hypochondriaco, nec minus de *ſoda* conqueruntur gravidae, nec non haemorrhoidarii aliique, qui congeſtionibus ſanguinis verſus ventriculum expoſiti ſunt.

§. XCV.

Inter *cruditates ventriculi* admodum moleſta eſt *acida*, quae ab humoribus acidis in ventriculo hoſpitantibus ſuoque in adſcenſu dentes ſtupefacientibus ortum ſuum derivat.

§. XCVI.

Non minores parit moleſtias *cruditas* ventriculi *nidoroſa*, quae à miſcela humorum bilioſorum corruptorum & ova quaſi frixa redolentium originem ſuam deducit.

§. XCVII.

Ejusmodi corrupti ac putridi, in ventriculo & inteſtinis ſtabulantes humores commodum quoque nidum praebent lumbricis; Unde putredo vulgo vermium patria dici ſolet. Eſtque utplurimum verminoſus talis adfectus conjunctus cum ventriculi & inteſtinorum roſionibus, interdum cum vehementi adpetitu, interdum vero contraria

 inappe-

inappetentia, cum atrophia, pallido faciei colore, circulis lividis circa oculos, foetore oris ad aciditatem vergente, deſtillatione ſalivae clarae ac limpidae ex ore, dejectionibus excrementorum gryſei coloris & ſtercori bubulo ſimilium, narium pruritu ac frequenti frictione, abdominis intumeſcentia & induratione, alvo modo laxa modo adſtricta, ſiticuloſitate, inprimis jejuna & nocturna, tandemq; cum pavoribus nocturnis aliisque pluribus indiciis.

§. XCVIII.

Dantur tres eorum ſpecies, quorum primam conſtituunt lumbrici *teretes* & infantibus admodum ſunt familiares, quique, cum ventriculo & inteſtinis tenuibus innidulentur, haud raro per oeſophagum & os vel nares exitum quaerunt, ordinarie vero per anum vel vivi egrediuntur vel mortui excluduntur. Ad *alteram* claſſem pertinent vermiculi, acarorum inſtar in caſeis vetuſtis hoſpitantium, qui inteſtinis craſſis, potiſſimum recto innidulantur, vel plane prope muſculum ſphincterem hoſpitantur, ibidemq; teneſmum admodum moleſtum excitant. Ad tertiam denique ſpeciem ſpectant lati, reliquis rariores, & ſeminibus cucurbitarum vel ficubus indicis haud abſimiles, unde etiam nomen *cucurbitinorum* accepêre. Interdum integri vermium globi conglomerati tunicae quaſi involuti, germ. Wurmſtöcke excerni ſolent.

§. XCIX.

Spectant huc etiam varii adfectus ventriculi, quibus haud raro laborat, uti ſunt ejusdem *debilitas*, *nauſea*, *anorexia*, ut & *adephagia* ſeu comedendi intemperantia. *Debilitati* obnoxia inprimis ſunt ſubjecta teneriora ac ſenſibiliora, quae, ſi vel refrigerio tantum corpus expoſuerint, vel potum frigidiuſculum adſumſerint, vel cibos minus conſuetos comederint, vel cum nauſea ventriculo obtulerint vel inter comedendum ira vel terrore fuerint correpta, vel profundis meditationibus ac ſpeculationibus indulſerint,

ſerint, ſenſibiliter inde ſtatim adficiuntur, ac de ventriculi debilitate conqueruntur; Quo in ſtatu neque cibi recte digeruntur, neque qualitercunq; digeſti rite ac tempeſtive diſtribuuntur, ſed multae contra cruditates in ventriculo reſtitant impediuntque, ne reliqui cibi rite concoqui valeant: Unde perit non modo adpetitus, ut in *anorexia*, ſed & ventriculus illos plane averſatur, ſicuti in *nauſea* contingit.

§. C.

Adephagia denotat Pathologis comedendi intemperantiam, pueris verminoſis admodum familiarem, quae non modo moleſtum *tenſionis*, *renitentiae* & *preſſionis* ſenſum inducit patientibus, ſed interdum plane in anxietates praecordiales & nauſeam vomibundam, in actualem vomitum ſubinde deſinentem tranſit, vel colicos torminoſos adfectus inducit, adpetitu interim prorſus fatiſcente, cum vertiginoſa ac temulenta capitis adfectione, gravitate artuum totiusque corporis langvore & frequentibus abdominis borborygmis.

§. CI.

Hujus quoque cenſus eſt *flatulentia*, quo nomine intelligimus copioſam, inſolentiorem & *volutatoriam* flatuum in inteſtinis generationem, ex reſolutis & in vaporem halituoſo-elaſticum converſis humiditatibus ortum ſuum trahentem & inductam vel à ſimplici fiſtulae inteſtinalis *atonia* vel ab humoribus viſcidis ac lentis eidem pertinaciter adhaereſcentibus, vel à turbis circa V. P. exortis: Quo etiam intuitu ſubjecta hypochondriaca & foeminae hyſtericae omnium frequentiſſime *flatulentiae* ſunt obnoxiae.

§. CII.

Dicta fuit *volutatoria*, ut à *ſtataria* eo melius diſtingvi poſſet. Eſtque vel *ſtupida* & plerumq; indolens vel *impetuoſa* proindeque admodum dolorifica. *Priori* phlegmatici, *poſteriori* vero cholerici & ſanguinei magis expoſiti ſunt.

§. CIII.

§. CIII.

Subjungimus tandem adfectus morboſos, organa ſe- & excretoria urinarum concernentes, quales ſunt *iſchuria*, *dyſuria* atque *ſtranguria*. Inter duos priores adfectus gradualis tantum differentia eſt, notatque *iſchuria* totalem ſive plenariam urinae ſuppreſſionem, & quidem vel *renum* vel *veſicae* vitio inductam, nullo ne quidem ſtimulo ad eam excernendam ſeſe exerente: *Dyſuria* vero difficilem tantum urinae excretionem, cum dolore tamen anxiaque preſſione ac niſu ſignificat. In *ſtranguria* denique, in qua ſenſus potius frigoris quam ardoris percipitur, niſi quod poſt mictionem ardor quidam perſentiatur, urina guttatim tantum excernitur, ob collum veſicae ejusque ſphincterem ſpaſmodice conſtrictum.

§. CIV.

Hoc itaque modo ad finem perducta altera adfectuum morboſorum claſſe, ad tertiam nunc pedem promovemus, enarraturi adhuc morbos, *tonum* adficientes, eumque vel nimis *auctum* & intenſum, vel, prout idem ille remiſſior eſt ac tantum debilitatus vel penitus abolitus, ut in *atonia* contingit.

§. CV.

Ad tonum auctum ſive exacerbatum pertinent *ſpaſmi* & *convulſiones*; *Spaſmi* nomine generatim intelligimus rigidam muſculi cujusdam vel plurium ſimul in uno vel altero corporis humani membro, potiſſimum tamen in artubus, tenſionem admodum dolorificam & rupturam quaſi comminantem, qua non modo ipſa illa membra, quibus movendis muſculi tales ſunt deſtinati, ſed & muſculi ipſi rigida tenſione & quaſi duritie quadam detinentur & adfecta eſſe animadvertuntur.

§. CVI.

Adficiunt ſubinde *ſpaſmi* tales vel univerſum corpus vel ſingularem tantum ejus partem. *Univerſales* ſub ſeſe compre-

comprehendunt *tetanum*, *emproſthotonum*, *opiſthotonum* & *catalepſin*: *Particulares* vero adfectus *arthriticos* tam *vagos* quam *fixos*, *incubum*, *aſthma convulſivum*, *ſpaſmum cynicum* ac *riſum ſardonium*, *priapiſmum* itidem & *ſatyriaſin* nec non *colicam flatulentam* & *ſpaſmodicam* ſub ſeſe complectuntur. Illorum aliqui vel integrum muſculum cum doloribus tenſivis adficiunt & *muſculares* audiunt, alii vero ſingulares tantum fibras ſeu fibrillas, ac proinde *fibrillares* adpellantur.

§. CVII.

Falluntur autem, qui, in cauſſas ſpaſmorum inquirendo, qualemcunque irritationem vel ſtimulationem ab acrimonia ſalina inductam, vel aliam quandam *phyſicam* materiae efficaciam ſomniant, cum natura utili potius intentione atque fine motus tales *active* inſtituat, ad rem quandam noxiam vel ſaltem incommodam è corpore removendam; Unde fruſtranea, abſona & irrationalia ſunt omnia ea Practicorum conſilia, quibus motus tantum ſpaſticos contemperare & conſopire adnituntur, parum vel nihil cogitantes de removendis noxis vel incommodis, contra quae directi ſunt; Cum, remotis illis, ſponte utplurimum conquieſcere ſoleant.

§. CVIII.

A *ſpaſmis* differunt *convulſiones*, quatenus in *illis* membrum totum rigidum & dolore exquiſito adfectum eſt, *convulſionibus* vero correptum alternative modo violenter extenditur, modo iterum contrahitur. Id enim proprie *convulſionem* adpellant Pathologi, quando variae corporis partes, potiſſimum muſculoſae, reciproce modo extenduntur modo contrahuntur, & quidem ad rem aliquam noxiam vel ſaltem incommodam è corpore ejiciendam vel removendam, ſive illa actu ſit praeſens, ſive adeſſe tantum fingatur: Qui vero inter *convulſionem* & *motum convulſivum* tam ſollicite diſtingvunt, fruſtra ſunt & nodum in ſcirpo quaerunt.

§. CIX.

Species *convulſionum* eſt *epilepſia*, quae, dum *idiopathice*, ut plerumque ſolet, corpus adfligit, motibus convulſivis artus, tam ſuperiores una cum pectore quam inferiores repente & non raro inopinato adfligit, cum ſubitanea corporis in terram proſtratione, privatione ſenſuum, pollicum in pugnum implicatione, reſpiratione valde laborioſa, ſeminis ſubinde, urinae & faecum alvinarum involuntaria excretione, ſpumaeque circa os collectione aliisque ſymptomatibus. Paroxyſmo ſuperato totius corporis laſſitudo relinquitur.

§. CX.

Quando vero *ſymptomaticam* habet rationem, tunc plerumque cauſſas materiales praeſupponit, & vel complicari ſolet excretionibus difficulter ſuccedentibus vel plane ſuppreſſis, vel poſt retropulſam ſcabiem vel achores repreſſos ſequitur, vel variolis & morbillis circa eruptionis tempora complicatur, vel difficultati dentitionis, adfectibus verminoſis, calculo &c. ſupervenit; Ex quibus omnibus ſimilibusque caſibus ſatis liquido adparet, laborioſo tali, utut erroneo & non raro inani conatu Naturam excutere velle rem alienam, & vel *phyſice* vel *moraliter* eidem moleſtam.

§. CXI.

Hujus quoque loci ſunt *cardialgia* & *ſingultus*. *Illa*, quae quidem circa ſuperius ſeu ſiniſtrum ventriculi orificium ſedem ſuam habet, ſed ipſum tamen diaphragma una cum viſceribus hypochondriacis in conſenſum trahit, conſiſtit in vehementi ſpaſmodica conſtrictione praedicti ſuperioris ventriculi orificii, quod, cum ſenſus exquiſitisſimi capax ſit, hinc cum atrocibus doloribus, anxietate praecordiorum ſumma, reſpiratione difficili & anxia, nauſea & actuali quandoque vomitu, imo vertiginoſis & ſyncopticis pathematibus eſt conjuncta; Quo ultimo intuitu *cardialgia ſyncoptica* vocari conſuevit.

§. CXII.

Communiter diſtingvunt illam Pathologi in *idiopathicam* & *ſymptomaticam*. *Illa* cruditatibus primarum viarum originem ſuam debet; *Haec* vero à translatione ſanguinis menſtrui vel haemorrhoidalis dependet. Familiaris eſt *cardialgia* valetudinariis & hypochondriacis vel flatulentiae obnoxiis, hyſtericis itidem, ataxia menſium laborantibus nec non infantibus lumbricis tentatis &c.

§. CXIII.

Scopus naturae, dum violentia tanta ſuperius ventriculi orificium ſpaſmodice conſtringit, nullus alius eſt, quam vel flatus incluſos elidere, vel ſanguinem eo congeſtum diſſipare, vel ad excretionem diſponere, vel vermes ejicere, vel bilem corruptam aliosque pravos humores, ventriculo infenſos vel moleſtiam ſaltem parientes, eliminare.

§. CXIV.

Singultus vero ad *motuum convulſivorum* indolem propius accedit, quorum quippe vehementia non ſolum ventriculus & inteſtina una cum meſenterio vehementer conſtringuntur, ad elidendum ea, quae in cavo ventriculi ejusdemque confiniis continentur, ſed etiam muſculi diaphragmatis & abdominis una in conſenſum trahuntur.

§. CXV.

Eſtque vel *tranſitorius* vel *chronicus*; *Ille* plerumque à cibis crudis atque dyſpeptis, ventriculum onerantibus, vel à potu frigido ſimultanee ingeſto dependet, ſed cito iterum perit, nullumque eminens portendit periculum: Qui vero morbis acutis, v. g. inflammationi pylori, hepatis, meſenterii, inteſtini ilei in dyſenteria, febri cauſodeae aliisque inflammatoriis adfectibus complicatur, mali ut plurimum ominis eſſe ſolet.

§. CXVI.

Spectat huc etiam *colica*, quae in vehementi ſpaſmo inteſtinorum laxatorum, inprimis coli conſiſtit, quorum quippe ſpaſmodica contractio usque adeo acutum ac maxime ſenſibilem dolorem in abdomine excitat, & vel flatuum incarceratorum vel bilis corruptae eliſionem vel ſanguinis haemorrhoidalis promotionem & excretionem pro fine habet, & pro diverſitate materiae, cujus eliminationem intendit, vel *flatulenta* vel *bilioſa* vel *haemorrhoidalis* audit. Alia ſecundum eminentiam *hyſterica* dici conſuevit, & cum doloribus tenſivis, alvo pertinaciter ſtricta, & retractione umbilici ſeſe prodit, & magis circa tenuia quam craſſa inteſtina ſeſe manifeſtat. Major ejus gradus *colica convulſiva* dicitur, quae in infantibus epilepſiam inteſtinalem conſtituit.

§. CXVII.

In *teneſmo*, qui tamen adfectus mere *ſymptomaticus* eſt, pariter quidem moleſta talis ſphincteris ani ſtrictura ſpaſtica eſt, qua continuo ad alvum deponendam urgentur patientes, qui tamen conatus plerumque vacui ſunt, actuali quippe excretione raro ſubſecuta, niſi forte pauxillum materiae mucoſae excipere velis.

§. CXVIII.

Catalepſis in praxi medico-clinica tam rari eſt proventus, ut inter mille Practicos vix unus vel alter reperiatur, qui tota in vita ſua vel ſemel tantum adfectum iſtum obſervaverit. Natura ejus ſpaſtico-convulſiva eſt, adficiens potiſſimum meninges, cerebrum ſpinalemque medullam inveſtientes, quo ſpaſmo rigiditas quaedam dictis partibus inducitur, unde functionum animalium, ſenſuum aeque ac motuum, interceptio procedit.

§. CXIX.

Longe vero frequentius in eadem occurrunt *adfectus ſpaſtico-arthritici*, quorſum praeter *hemicraniam*, nec non *pleu-*

vitidem atque *nephritidem ſpuriam*, potiſſimum *arthritis* tam *vaga* quem *fixa* ſpectat.

§. CXX.

De *hemicrania* jam ſuperius actum eſt. *Pleuritis* vero *notha*, quae à *vera* multis modis differt, eſt adfectus *rhevmatico-ſpaſticus*, à ſanguine verſus partes pectoris externas, potiſſimum muſculoſas reſtricto, dependens, & conjunctus cum doloribus punctoriis, ſub reſpiratione ſeſe manifeſtantibus, cum pectoris compreſſione ac reſpirandi difficultate, appetitu proſtrato, & ſomno inquieto, interdum etiam cum febricula, nullum tamen typum ſervante.

§. CXXI.

Ejusdem indolis *rhevmatico-ſpaſticae* eſt quoque *nephritis ſpuria*, quae doloribus valde exquiſitis, tenſivis atque lancinantibus circa dorſum & lumbos, nempe in partibus muſculoſis externis ſeſe exerit, & à motu ſanguinis ad haemorrhoides reſpectante, ortum ſuum deducit. Febris omnis expers eſt proindeque à *nephritide vera* manifeſte diſcrepat.

§. CXXII.

Nihil vero *rhevmatici* obſervatur in *incubo*, ſed conſiſtit is in ſimplici ſpaſmodica contractione muſculorum thoracis & abdominis, & nocturno potiſſimum tempore in ſubjectis plethoricis, pathematibus hypochondriaco-ſpleneticis alias laborantibus & ſupine decumbentibus ſeſe manifeſtat. Differt non modo ab *aſthmate ſpaſtico*, ſed & tanto magis à *catarrho ſuffocativo*, id quod ex notis ſive indiciis omnium horum adfectuum tanto clarius diluceſcet.

§. CXXIII.

Praeterea ad *motuum tonicorum* exacerbationes nimias merito etiam reducimus *motus excretorios* auctos, qui nempe excuſſionem plus minus violentam variorum excrementorum tam ex ventriculo & primis viis, quam ex aliis organis excretoriis, atque adeo ſalutem corporis reſpiciunt.

§. CXXIV.

Ac proinde hujus primum loci eſt *vomitus*, nempe *ſpontaneus*, qui quidem extraordinarius, attamen vitalis motus eſt, nempe periſtalticus auctus, quo inverſo ventriculus noxia quaevis vel ſaltem *phyſice* aut *moraliter* moleſta, biliosa, mucida &c. eliminare contendit. *Spontaneus* vocatur, ut à *violento* diſtingvatur. Datur tamen etiam *ſymptomaticus*, qualis *nephriticis* & *calculoſis*, nec non *vulneratis*, ſupervenire ſolet. Qui circa aequinoctia ſolemnes ſuos recurſus in nonnullis obſervat, *periodicus* omni jure dici meretur.

§. CXXV.

Quando vero aucta tali ventriculi inteſtinorumque periſtalſi recrementa mucida, bilioſa aliaeque corruptelae vel proxime ex primis viis, vel eminus ex aliis viſceribus per anum ejiciuntur, tunc *diarrhoeae* nomen adſciſcit adfectus; Id quod cum non ſine aegrotantium levamine fiat, tantum abeſt, ut pro morbida haberi poſſit vel debeat, cum tota potius indole ſua ſalutaris atque critica ſit: Ubi contra tota *ſymptomatica* eſt, quae *hecticis*, *tabidis* & *phthiſicis* ſupervenire ſolet; Quare etiam *colliquativa* Practicis audit.

§. CXXVI.

Si tam per ſuperiorem quam inferiorem fiſtulae inteſtinalis partem humores acres, bilioſi aliaeque corruptelae una cum praecordiorum anxietatibus, inquietudine & jectigatione corporis, pulſu celeri atque frequenti, lipothymiis, ſudoribus frigidis circa frontem &c. ejiciantur, *choleram humidam* dicunt adfectum. Obſervatur vel *cum* vel *ſine* febre; In utraque excernitur quidem magna cum violentia ſaburra quaedam acrium ac ſemicauſticorum humorum tam ſuperne quam inferne: Et nihiloſecius tamen utraque reſpectu finis utilis ac ſalutaris eſt. Atque adeo vitium omne conſiſtit tantum in vomituum aeque ac dejectionum alvinarum violentia, impetu, ac frequentia.

§. CXXVII.

§. CXXVII.

Ad motus excretorios *activos*, non morbidos ac *paſſivos*, quos Pathologi hic ſibi imaginantur, quibus materia ſemiputrida & fermentativo acri inquinamento depravata valide excutitur, eſt quoque referenda *dyſenteria*, quam in *benignam* & *malignam* diſtingvunt. *Illa* nihil aliud eſt, quam *diarrhoea cruenta* plus minus *torminoſa*, conſiſtens in motibus inteſtinorum periſtalticis auctis, quibus humores acres, cauſodeam indolem prae ſe ferentes, & cum ſanguine permixti vel ſincerus ſubinde ſanguis excernuntur, cum febrilibus motibus ſtipata: *Haec* vero, uti *febrim inflammatoriam* acutiſſimam ſibi junctam habet: Ita reliqua ſymptomata omnia in ea non modo graviora ſunt, ſed & breviori temporis intervallo, & utplurimum cum pernicie aegrotantium, ad finem ſuum decurrit.

§. CXXVIII.

A *dyſenteria* toto coelo differt *fluxus* antiquis *hepaticus* dictus, de quo erroneum iſtum fovebant conceptum, humores ſeroſo-ſanguineos, loturae carnium haud abſimiles, per alvum excerni ſolitos, ex hepate, cujus debilitatem accuſabant, in inteſtina deſcendere ſicque *dyſenteriam* mentiri, cum nihil revera aliud ſit, quam *fluxus haemorrhoidalis incompletus*, & qui proinde cum *menſium muliebrium decoloratione* omnium optime comparari poſſet; Cujus rei documentum nullum evidentius eſt, quam quod in nulla facile alia ſubjecta, niſi *haemorrhoidaria* cadere ſoleat. Sed hoc jam ſuperius à nobis animadverſum eſt.

§. CXXIX.

Species *diarrhoeae* eſt *lienteria* una cum *fluxu coeliaco*, in qua utraque paſſione digeſtionis negotium admodum fatiſcit, & cibi vel penitus indigeſti & parum alterati, id quod in *lienteria*, vel ſemiconcocti, id quod in *paſſione coeliaca* contingit, egeruntur.

§. CXXX.

§. CXXX.

Pollutio nocturna virorum, quae eſt veluti *gonorrhoea* mitis, qua ſemen ſomni tempore utplurimum cum inſomniis venereis *involuntarie* excernitur, coincidit cum *fluore albo mulierum miti* ſive *benigno*, qui re vera nihil aliud eſt, quam *rhevmatiſmus uteri*. *Illa* vero familiarius occupat ſubjecta caeterum ſaniſsima, ſed plethorica, in diaeta lauta & evpepta conſtituta, ſimul autem otioſa; Unde multum ſeminis generatur, quod ſtragulorum calore vel inſomniorum venereorum repraeſentatione in orgaſmum concitatum, qua data porta, cum voluptatis ſenſu erumpit & diutius continuando laxitatem tandem organis retentioni ſeminis dicatis inducendo, in *gonorrhoeam benignam* deſinit.

§. CXXXI.

Similiter *gonorrhoea virulenta* virorum coincidit cum *fluore mulierum albo*, itidem *maligno*; *Illa* ab impura meretricia cohabitatione natales ſuos derivat, quae ſeminis corrupti ex flavo virideſcentis, interdum ſanguine tincti profluvium involuntarium & voluptatis expers cauſatur, cujus loco potius in urethra arroſa dolorem ardoremq; experiuntur, quotiescunque urinae mittendae neceſſitas ipſis incumbit. *Hic* vero à *gonorrhoea virulenta* virorum parum vel nihil differt.

§. CXXXII.

Spectat huc *icterus flavus*, qui ex impedita bilis flavae in hepate ſecretione & intercepta excretione in inteſtinum duodenum exoritur; Unde deinde bilis, quae ordinarie in inteſtinum duodenum per ductum choledochum ex hepate & cyſtide fellea amandatur, per univerſam humorum maſſam diffuſa & ſub cuticula & cute reſtagnans totum corporis habitum croceo colore tingit. Tranſit haud raro in *icterum nigrum*, qui habitum corporis nigro vel plumbeo colore inficit, & priori utplurimum longe periculoſior eſt.

§. CXXXIII.

His ordine ſic expoſitis, ad pathologiam *febrium* tranſitum facimus, eoque nomine intelligimus ſalutarem illum naturae conatum, quo per motus vitales extraordinaria activitate ſuſceptos humores noxios, ſolidis aeque ac fluidis inhaereſcentes, in ſalutem corporis ſui excutere atque eliminare contendit.

§. CXXXIV.

Diſtingvuntur in *intermittentes*, *continuas* & *lentas*. Ad *intermittentes* referendae ſunt *quotidianae*, *tertianae*, *quartanae*, &, quae à nonnullis obſervatae ſunt, *quintanae* &c. Ad *continuas* inprimis *catarrhales* ſpectant, quae tamen à *continentibus*, quorſum *ſynocha* ſeu *ſanguinea* ſecundum eminentiam pertinet, ſunt diſtingvendae. Ad *lentas* vero *hecticae* ſunt reducendae.

§. CXXXV.

Ex *intermittentium* claſſe *quotidiana* reliquis omnibus rarior eſt & infrequentior. Ob quotidianum, quem format, cum horrore & ſubſequente aeſtu, recurſum hoc nominis accepit, in qua natura humores lentos, viſcidos, mucoſos, primis viis inhaerentes, reſolvere ac reſolutos eliminare ſtudet; Unde quivis paroxyſmus in ſpontaneos tandem ſudores deſinit.

§. CXXXVI.

In tertiana eadem naturae intentio eſt, niſi quod quovis die tertio ſolemniter recurrat, horrore plus minus gravi praecedente & aeſtu febrili eidem ſuccedente, donec, paroxyſmo ſoluto, ſudores ſic ſatis largos experiantur patientes.

§. CXXXVII.

Hac ipſa longe contumacior eſt magisque rebellis *quartana*, etiamſi eundem plane finem reſpiciat, nempe primarum viarum, quorſum tamen, praeter glandulas meſaraicas & inteſtinorum, etiam viſcera hypochondriaca, nempe hepar cum liene ſpectant, abſterſionem ac repurgationem

nem à tenaci quadam mucoſitate, qua hae partes obſeſſae tenentur.

§. CXXXVIII.

Inter *continentes* eminet *ephemera* ſeu *diaria* tam ſimplex, quam plurium dierum, una cum *ſynocha*, alias *ſanguinea* dicta. In *ephemera* principium agens motibus febrilibus auctis ſanguinem, quantitate magis quam qualitate peccantem, imminuere vel reſolvere conatur; Unde etiam vel haemorrhagia narium vel ſudore ſponte ſuccedente utplurimum ſalutariter terminatur.

§. CXXXIX.

In *ſynocha* idem intenditur finis, nempe plethorae ventilatio, idque vel per ſinceram ſanguinis evacuationem v. g. haemorrhagiam narium criticam, vel, hac non ſuccedente, per reſolutionem ejusdem in ſerum. Unde plethorici potiſſimum & ad orgaſmum ſanguinis proni huic febri prae aliis magis expoſiti ſunt. Eſtque à *ſynocha putrida* veterum plane diſtincta, eo quod haec praeter quantitatem, etiam vitioſam ſanguinis qualitatem pro fundamento ſuo habeat & agnoſcat.

§. CXL.

A *continentibus* differunt *acutae* & *continuae*; *Acutae* adpellantur ob brevem periodum, quam celeri progreſſu abſolvunt: *Continuarum* vero nomen ideo gerunt, quod quidem, quamdiu durant, nunquam penitus intermittunt, ſuas tamen remiſſiones habent, aeſtu nempe febrili non aequali ſemper vigore adfligente, ſed ſubinde de ſua vehementia tantiſper remittente.

§. CXLI.

Reſpiciunt autem febres tales ad craſeos ſanguinis, multis ſc. partibus ſeroſo-acribus, ſulphureis & orgaſticis coinquinatae depurationem; Quo fine obtento feliciter plerumque decurrere ſolent, dummodo ſuo in typo per varia incongrua tentamina non turbentur.

§. CXLII.

§. CXLII.

Ad hanc *acutarum* claſſem *febres* quoque *inflammatoriae* ſunt reducendae, uti ſunt *pleuritis*, *peripnevmonia*, *hepatites*, *ſplenites*, *phrenitis* imo ipſa quoque *paſſio iliaca*. De *phrenitide*, *pleuritide* ac *peripnevmonia* jam ſuperius actum eſt, quae proinde hic prolixe non repetimus.

§. CXLIII.

Aſt *hepatitis* eſt *febris inflammatoria*, ſuſcepta propter ſanguinis ſtaſin in hepate, ad eam, ſi poſſibile fuerit, denuo diſſolvendam ac diſcutiendam. Eſtque vel *eryſipelacea* vel *phlegmonodes*, quarum *haec illa* longe periculoſior eſt, & funeſtum plerumque ſortitur eventum.

§. CXLIV.

Splenitis pariter eſt ex cenſu *febrium inflammatoriarum*, & ad ſtaſin ſanguinis in liene enatam reſolvendam ac diſſipandam eſt deſtinata. Pari modo, ut *hepatites*, vel ſuperficiem ejus membranaceam occupat, vel profundius in ſubſtantiam ejus penetrat, eoque intuitu vel periculoſior vel minus periculoſa eſt.

§. CXLV.

Contingit quoque, *ventriculum*, *inteſtina*, *uterum* aliasq; partes & viſcera interna *inflammari*, quorum inflammationes etſi ſuo non deſtituantur periculo: Omnes tamen ſuperat *volvulus* ſeu *paſſio iliaca*, quae revera nihil aliud eſt, quam *febris inflammatoria*, ſuſcepta propter *inflammationem ilei*, ſive dependeat illa à pertinaci alvi obſtructione, ſive à mutua inteſtini hujus in aliqua ſui parte implicatione ſive ab incarceratione flatuum in hernioſis. A quacunq; vero harum cauſarum inducatur, certum eſt, venulas ſubtiliſſimas, hoc inteſtinum perreptantes comprimi, ſanguinemque ad ſtaſin deduci, unde inflammatio exurgit, & vehementes dolores ſpaſmique violenti oriuntur, quibus periſtalſis inteſtinorum ipſiusque ventriculi invertitur, & faeces alvinae per os rejiciuntur.

§. CXLVI.

Inflammatorias excipiunt *febres ardentes*, quorſum *cholerica* & *cauſus* pertinent. *Febris cholerica* & *acuta* & *continua* eſt, orta ex effuſione bilis in inteſtinum duodenum ejusdemque regurgitatione in cavum ventriculi, quae, cum diuturniore ſui mora dictis in partibus cauſodeam adquirat acredinem, inteſtinis, ventriculo, oeſophago faucibusque arroſionem ſuperficialem & inflammationem inducere apta nata eſt, niſi vel per vomitum, vel per ſeceſſum vel per utrumque bilis corrupta tempeſtive cum levamine aegrotantis ejiciatur. Stipata eſt ſummis praecordiorum anxietatibus, aeſtu interiorum vehementi una cum linguae fauciumque ariditate ac ſiti intolerabili, interdum quoque cum deliriis, lipothymia aliisque ſymptomatibus graviſſimis.

§. CXLVII.

Summus harum febrium gradus vocatur *cauſus*, oriturque à bile cauſtica in inteſtino duodeno & ventriculo pertinaciter concluſa, quae inflammationem dictis partibus inferendo, variorum ſimul graviſſimorum ſymptomatum, aeſtus nempe interiorum ſummi & ſimul aridi, ſitis inextingvibilis, *clamoſae* dictae, cardialgiae, cum ſyncope quandoque complicatae, diliriorum &c. auctor eſt. Accedente tandem ſingultu & convulſionibus, & intercurrenrente ſubinde *cardialgia ſyncoptica* ſudoribusque frigidis colliquativis funeſtum ſortitur eventum.

§. CXLVIII.

Ardentibus ſuccedant *febres exanthematicae*, ad quam claſſem, praeter *variolas* & *morbillos*, referimus *petechiales*, *purpuram* tam *albam* quam *rubram*, febrim *ſcarlatinam*, *urticatam*, nec non *ſcorbuticam*.

§. CXLIX.

Inter *variolas* & *morbillos* ea tantum differentia eſt, quod *illae* in veram tandem maturationem ſuppuratoriam abeant,

ant, hi vero, elàpſis aliquot diebus, ſine ſuppuratione ſenſim evaneſcant. Utraque vero febris *acuta*, *continua* & *exanthematica* eſt, in quarum priore, nempe *variolacea*, natura humores plus minus acres & cauſticos, atque adeo plus minus malignos, univerſae humorum maſſae inhaereſcentes, ad peripheriam corporis expellere adnititur, ubi primum maculas rubras, deinde puſtulas limpida tandemque purulenta materia repletas, & quidem vel à ſe mutuo *diſtantes* vel in unum *confluentes* efformat; Quo intuitu etiam variolae in *diſcretas* & *confluentes* à Practicis diſtingui vulgo ſolent.

§. CL.

Morbilli vero ſunt pariter febres tales *acutae*, *continuae* & *exanthematicae*, quarum auxilio natura itidem acres tales & quaſi cauſticos humores, maſſae ſanguinis innidulantes, ſub macularum rubentium, ultra reliquam cutis ſuperficiem pauliſper eminentium forma ad peripheriam corporis expellere conatur, ubi, poſteaquam aliquot diebus ſtetêre, ſenſim evaneſcere iterum ſolent.

§. CLI.

Et quamvis utraque haec febris tam *variolacea* quam *morbilloſa*, ſi in aetatem infantilem ac puerilem cadat, utplurimum, niſi malignitas quaedam concurrat, periculi eminentis expers ſit: Aliter tamen cum utraqne in aetate adultiore comparatum eſt, in qua quippe non urgentiora tantum ſymptomata ſunt complicata, ſed & ipſa febris alterius indolis eſt, nempe ex *continente* & *continua* quaſi compoſita; Quo utroque intuitu in *his* prae *illis* majus utplurimum periculum ſibi junctum habet.

§. CLII.

Spectat huc *purpura* ſeu *febris purpurata*, cujus ope natura à centro verſus circumferentiam humores acres, efflореſcentias rubras miliares in ſuperficie cutis efformantes,

 ejicere

ejicere molitur. Ab hac diſtincta eſt, quam *albam* Practici dicunt, in qua quippe innumerae puſtulae albae ſero limpido repletae in ſuperficie cutis efflorefcunt, quae tandem exſiccatae ſquamarum more abſcedunt. *Illa* benignae, *haec* vero malignae indolis eſt, de qua poſteriore nuper adhuc in puerpera obſervavi, quod variolarum confluentium ritu hae quoque puſtulae, alias diſcretae, confluxerint.

§. CLIII.

Purpura urticata plerumque etiam benignae eſt indolis, in qua quippe exanthemata ex pallido rubicunda, puſtulis poſt urticarum ictus remanentibus haud abſimilia, ſed purpura rubra multo latiora, cum ingenti pruritu in ſuperficie cutis effloreſcunt, &, poſtquam per triduum vel quatriduum ibi commorata ſunt, aſpera evadunt tandemque viſui iterum ſeſe ſubducunt.

§. CLIV.

Ab hac diſcrepat *febris ſcarlatina*, cujus miniſterio humores acres ac valde cauſtici in peripheriam corporis ſub macularum intenſe rubentium, admodum latarum forma expelluntur, &, poſtquam per continuos aliquot dies ibidem ſubſtitêre, ſquamarum tenuiſſimarum more à reliqua cute abſcedunt & ita ſenſim eo ordine pereunt, quo antea effloruêre.

§. CLV.

Febris ſcorbutica eſt ex cenſu *erraticarum*, ſcorbuticis familiaris, atque adeo *ſymptomaticae* tantum indolis, qua corruptelae ſcorbuticae, ex humorum maſſa extricatae ſub macularum modo rubicundarum, modo lividarum, modo ex atro rubentium forma in ſuperficiem corporis ejiciuntur.

§. CLVI.

Ex *malignarum* ſerie ſunt febres *petechiales*, quibus natura miaſmata maligna, per maſſam humorum diſſeminata,

nata, eidemque corruptionem comminantia, ex eadem tempeſtive in peripheriam corporis ſub *petechiarum* ſeu macularum, pulicum morſibus haud abſimilium & colorem modo roſeum, modo purpureum, modo lividum repraeſentantium, forma ejicere & exterminare contendit.

§. CLVII.

Interdum *febres catarrhales malignae* indolem *petechialium* inducere ſeu *petechizare* deprehenduntur; Id quod ex conjuncta gravedine vel coryza invaſionis tempore aliisque indiciis haud difficulter aeſtimari licet. Suſcipitur autem propter humores ſeroſo-lymphaticos acres, M. S. inhaereſcentes, quos, ne noxam corpori inferre queant, natura motibus talibus febrilibus evacuare conatur. Juncta eſt cum doloribus capitis admodum exquiſitis, aeſtu, ſiti, praecordiorum anxietatibus, indeque orta inquietudine, agrypnia &c. Nonnunquam *petechiae* erumpunt, nonnunquam vero ſine illis ſolvitur & ad finem ſuum decurrit.

§. CLVIII.

Major ineſt malignitas *febri peſtilenti*, & omnium maxima *peſti*; In utraque miaſmata ſumme maligna, quae ſimul *contagioſae* & *epidemicae* indolis ſunt, methodo admodum placida atque tranquilla, absque vehementi commotione, & quidem per eam omnino viam, per quam ingreſſa ſunt, nempe vel per os vel per habitum cutis poroſum eliminare Natura contendit. Communicari enim miaſma peſtilens per os, nauſea & vel conatus vomendi vel actualis materiae ex nigro virideſcentis rejectio, quibus cardialgia, ſumma virium proſtratio & ſyncope juncta ſunt, evidenter nos convincunt. Idemque ſubinde per habitum cutis poroſum fieri, inde edocemur, quod miaſmata iſta peſtilentia admodum ſubtilia, vaporoſa ſimulque valde activa ſint, omnes poroſitates & ſic ipſum quoque habitum corporis poroſum facile penetrantia, ac proinde effectum

ſuum

ſuum intime corruptivum, nempe putredinoſum citiſſime producentia, niſi febres tales peſtilentes, imo peſtis ipſa vel per *petechias*, vel *ſudores foetidos*, *anthraces*, *furunculos*, *bubones &c.* tempeſtive ſolvantur.

§. CLIX.

Species febrium *malignarum* ſimulque *contagioſarum* eſt quoque *morbus Hungaricus*, quem *febrem caſtrenſem* alii vocant, quae tamen ab aliis malignis ratione ſymptomatum, v. g. intolerabilium capitis dolorum, cardialgiae & ardoris in ſiniſtro ventriculi orificio ad fauces usque ſeſe extendentis & inflammationem quandoque cientis, ſitis, pulſus celeris atque frequentis una cum lingua arida ac tumida, deliriis &c. diſtincta eſt.

§. CLX.

Febres *catarrhales* duplici ſub ſpecie proponere ſolent Pathologi, alias *mites* ſeu *benignas*, alias vero *malignas* adpellitando, quas poſteriores *petechialium* morem prae ſe ferre & non raro praeter expectationem funeſtum ſortiri eventum, paullo ante animadverſum eſt. Quoad *ſimplicem* vero ſeu *benignam*, ſingulari illam expreſſione dicebant veteres *pituitoſam*, haud obſcure eo ipſo innuentes, propter catarrhos febres tales excitari; Quod & a vero haud abludit, dum revera febrium talium ſcopus nullus alius eſt, quam vitioſam lymphae ſerique qualitatem, nimiam nempe muciditatem corrigere & correctam deinde per convenientia organa evacuare: Unde ſolemniter eandem praecedere obſervantur gravedines, branchi, fauciumque raucedines, tonſillarum inflammationes, coryzae acriores &c.

§. CLXI.

Reſtant *ſymptomaticae*, quae vel vulnerationibus partium gravioribus vel dyſenteriis vel aliis adfectibus ſymptomatice complicantur.

§. CLXII.

§. CLXII.

Hujus quoque loci ſunt febres puerperarum, quas in *lochiales* & *lacteas* diſtingvere ſolent *Pathologi. Illae* ex ſuppreſſione vel impeditiore ſaltem ſucceſſu lochiorum in fœminis plethoricis: *Hae* vero ex impeditiore lactis ſucceſſu ſecretorio oriuntur, & cum leviore horrore, quem ſpeciatim Milchſchauer vocare ſolent, cum aeſtu tamen alternante, invadunt.

§. CLXIII.

Agmen claudant *febres lentae*, quae rariſſime per ſe oriuntur, ſed plerumque aliorum praecedentium morborum perverſe tractatorum pedisſequae ſunt, atque adeo ad corruptorum morborum claſſem omni jure referendae. Conſequuntur enim vel continuas & acutas praegreſſas, vel acutas cum ſynocha complicatas, ſubinde etiam cholericas, per ſudorifera calidiora tractatas aliasque tales cauſſas.

§. CLXIV.

Non ſunt tamen *lentae* cum *hecticis* confundendae, quamvis in eo cum *illis* conveniant, quod plerumque aliorum praecedentium morborum male tractatorum conſectaria ſint. Inprimis vero abſceſſuum internorum comites ſunt indivulſi, & quarum proinde nullus alius eſt reſpectus, quam ut latitans ulcus abſtergàtur & mundificetur, imo &, remotis talibus corruptelis acribus fermentativis, praepediatur, ne ejuſmodi ulcus latius proſerpere profundioremque labem viſceri, in quo latet, inferre queat.

§. CLXV.

Revertimur jam, enarratis adfectibus, *motuum tonicorum* intenſiones praeſupponentibus, ad ſeriem eorum morborum, qui contrariam eorundem remiſſionem vel totalem *atoniam* ſuo pro fundamento agnoſcunt; Quorſum praeter vertiginem & adfectus ſoporoſos, quos jam ſupra

recenſuimus, pertinet *tremor artuum*, *paralyſis*, *aphonia*, *procidentia ani*, *uteri* aliarumque partium.

§. CLXVI.

Tremores artuum, niſi vel iracunda vel terrifica animae pathemata conſequantur, vel febribus acutis atque malignis ſymptomatice complicentur vel quamcunque aliam graviorem cauſſam pro fundamento habeant, ut plurimum paralyſeωs prodromi, imo, rem exactius aeſtimando, nihil aliud, quam ſpecies paralyſeωs ſunt, imo haud infrequenter in eandem degenerant.

§. CLXVII.

Eſt autem *paralyſis* repentina vel ſucceſſiva actuum animalium, motus nempe voluntarii ac ſenſus, vel ſolius tantum motus, remanente ſenſu, abolitio, dependens à ſubitanea motuum tonicorum vitalium remiſſione. Quando alterutrum tantum latus occupat adfectus, *hemiplexia*, quando vero omnes partes infra caput invaſit, *paraplexia* vocatur.

§. CLXVIII.

Semiparalytici adfectus ſunt *procidentia ani* & *uteri*. *Illa* eſt relaxatio tonica fibrillarum muſculi ſphincteris ani vel paralytica earundem reſolutio, quae tamen infantili ac puerili quam adultiori aetati familiarior eſt, licet interdum quoque ex praecedente diarrhoea vel dyſenteria in adultis oriatur imo & in moribundis non raro obſervetur.

§. CXLIX.

Prolapſus uteri ſpurius, qui vero contradiſtingvendus, nihil revera aliud eſt, quam relaxatio tonica tunicae internae vaginae uterinae, quae quippe admodum rugoſa ſuaque natura dilatabilis eſt, qualem interdum patiuntur gravidae, potiſſimum primiparae, dum ad labores partus, vero pariendi tempore nondum inſtante, praemature atque intempeſti-

tempeſtive urgentur: Subinde oritur ex intentiori halitus cohibitione ſub magnorum ponderum elevatione, vel, ſi exantlatis partus laboribus ad conſveta ſua munia nimis cito revertantur & quae ſunt ejus generis cauſſae plures.

§. CLXX.

Contra in *procidentia uteri vera* totus uteri fundus marſupii argentarii inſtar inverſus extra ſinum pudoris prolabitur; Id quod à cauſſis tantum violentis dependet.

§. CLXXI.

Hujus quoque loci eſt *relaxatio uvulae* atque *tonſillarum.* Prior illa conſiſtit in remiſſione tonica fibrillarum vel ligamentorum uvulam ſuſpendentium; Quo facto elongatur & boli inſtar in fauces propendet, ſicque deglutitionis actum quodammodo impedit, quod ſymptoma tamen cum *angina ſpuria* adfectis commune habet.

§. CLXXII.

Incontinentia urinae eſt pariter ſpecies *paralyſeωs* in muſculo ſphinctere veſicae urinariae, qua, illa ſufficienter non contracta, ſemper aliquid urinae exſtillat; Unde, ſenſu pededentim circa partes illas amiſſo, urina involuntarie effluit, aegrotantibus ipſis nihil horum animadvertentibus.

§. CLXXIII.

Atque ita abſolvimus ſi non omnes, ſaltem praecipuos adfectus morboſos, qui vel ex *plethora* tam *ſangvinea* quam *ſeroſa*, vel ex *cacochymia*, vel ex vitiis *motuum* ſive *excedentium* ſive *deficientium* ſuos derivant natales. Soli nunc *animi morbi* ſuperſunt, quos plerique Pathologorum *ſeorſim* hucuſque tractare conſueverunt, credentes forſan, ex neutra cauſſarum morbificarum, quarum ſumma genera ſuperius expoſuimus, commode derivari illos poſſe, cum nihil tamen id videam impedire, niſi forte cauſſas pure immateriales agnoſcant.

§. CLXXIV.

Hujus cenſus eſt *melancholia* ſeu delirium cum metu & triſtitia *ſine febre*: Unde taciturni ſunt, alta ducunt ſuſpiria, aliorum conſortio ſeſe ſubducunt & ſolitudines quaerunt, reſpiratio anxia eſt & quodammodo laborioſa, frequentibusque cordis palpitationibus expoſiti vivunt. Cauſſa materialis conſiſtit in ſpiſſitudine ſangvinis indeque nato difficili per V. P. progreſſu; Unde deinde regurgitat verſus viſcera hypochondriaca, hepar atque lienem ibidemque oppletiones, infarctus, ſtagnationesque parit, indeque *melancholia*, quam *hypochondriacam* vocant, ſuam trahit originem. Subinde cauſſam agnoſcit pure moralem, quae in phantaſiam tam fortem facit impreſſionem, ut difficile ſit, alienam, quam ſibi formant, ideam denuo delere vel radicitus extirpare.

§. CLXXV.

Mania vero, nempe *idiopathica*, quae a *ſymptomatica* probe diſtingvenda, eſt *dilirium furioſum*, ſive delirium cum furore & audacia, chronicum pariter, attamen ſine febre. Si inſanum amorem, quo quis erga certam quandam perſonam fertur, pro objecto ſuo agnoſcat, tunc *erotomania* audit: Si vero menſium vel lochiorum vel ipſius materiae ſeminalis retentionem ſequatur, *furor uterinus* adpellari ſolet.

§. CLXXVI.

Singulae hae *maniae* ſpecies tam *materiales* quam *immateriales* cauſas ſuo pro fundamento habent & agnoſcunt. Ad *illas* praeter ſuppreſſionem menſium atque lochiorum nec non retentionem ſeminis in orgaſmum deducti, referimus etiam *vermes*, qui miras ſaepe, obſervationibus Practicorum teſtantibus, ludunt tragoedias, nec non *philtra*, quorum ſtupendi effectus neminem quoque latere poſſunt. De *incantationibus* vero, quas nonnulli huc quoque referunt, aliter ſentio. Ad *has* autem vehementiora animae pathemata, orgaſmum humoribus inducentia, inter quae ira & excandeſcentia potiſſimum eminent, ſunt reducenda.

§. CLXXVII.

§. CLXXVII.

Spectat huc *hydrophobia* ſeu *rabies canina*, quae eſt delirium furioſum, cum febre tamen acuta ſtipatum, & à canis rabidi morſu inductum, quo aquam & lumen metuunt, cum variis aliis graviſſimis ſymptomatibus conjunctum. Si à lupi rabidi morſu excitatum fuerit malum, tunc *lycanthropia* dicitur.

§. CLXXVIII.

Ejusdem hujus loci eſt *noctambulatio*, quae inſignem phantaſiae laeſionem denotat, qua noctu, ſomno licet ſepulti, oculis plerumque clauſis ſurgunt, eaque, quae alii interdiu peragere ſolent, dormientes peragunt, opereq; perpetrato ad lectum revertuntur, rerum omnium ignari. In ſacris *lunaticorum* nomen ipſis tributum eſſe legimus.

§. CLXXIX.

De *tarantiſmo* & *noſtalgia* vel ideo nihil addo, quod hisce noſtris in regionibus nunquam vel certe rariſſime adfectus tales obſerventur, cum *ille* incolis *Apuliae* infenſus magis ſit, *hac* vero *Helvetii* prae aliis magis laborare ſoleant.

(O)

INSTITUTIONUM
MEDICINAE
REFORMATARUM
PARS QUARTA
offerens
SEMEIOLOGIAM
ſeu
Doctrinam Signorum Generalem.

INSTITUTIONUM MEDICINAE REFORMATARUM PARS QUARTA

offerens

Semeiologiam ſeu Doctrinam Signorum.

CAPUT PRIMUM.

De

Semeiologia Medica in genere ejusdemq; diviſione.

§. I.

Doctrinae theoreticae, cujus duas principaliores partes, *Phyſiologiam* nempe atque *Pathologiam* hactenus expoſuimus, merito nunc ſubjungimus *Semeiologiam,* quae vi vocis eſt ſermo ſeu doctrina de ſignis, ſtatum corporis humani tam ſecundum quam praeter naturam manifeſtantibus, quae, cum ſola decus ſuum nativum à primis ſuis originibus ad haec noſtra usque tempora conſervaverit, & à variis vagarum opinionum tricis liberam atque immunem ſeſe praeſtiterit, ipſa quoque maxime medicum exornat, eundem *ἰσόθεον* reddit viamque planam ac facilem monſtrat, qua veram medendi methodum indagare morbosque cito, tuto atque jucunde curare queat.

§. II.

Haec eſt, quae ſuam quoque *certitudinem* arti noſtrae contra cavillantium quin calumniantium vagos rumores pleniſſime adſerit atque tuetur: Quia per infallibilia & in ſenſus plane incurrentia ſigna non ſolummodo texturam, ſtructuram, conformationem, figuram, magnitudinem & nexum omnium partium tam internarum quam externarum, earundemque vigorem vel debilitatem, uno verbo, univer-

univerſum corporis habitum ſecundum naturam ſiſtit & exhibet: Sed & omnes morbos *in ſimpliciſſimo ſui ſtatu*, quoad initia, progreſſus, augmenta, ſtatum, declinationem & exitum ſive ſalutarem ſive lethalem vel ſaltem periculoſum, dubium atque ancipitem exponit.

§. III.

Dixi notabiliter; *In ſimpliciſſimo ſui ſtatu*: Quare nullum manifeſtius legitimi morborum ſucceſſus atque decurſus ſpecimen obſervanti medico occurrere poteſt, quam in morbis vel febribus ita dictis acutis, quae alieno artificio vel accidentalibus de cauſis ſuo in progreſſu non turbatae, utplurimum ſalutariter decurrere conſueverunt, ſicque *prognoſin* tanto certiorem, firmiorem, ſinceriorem, omnisq; fallaciae magis expertem eidem ſubminiſtrant.

§. IV.

Hinc vero conſequitur: *Semeiologiam* non circa ſolam *futurorum* praedictionem verſari, vel ad varios morborum exitus dijudicandos tantum ſpectare, ſed & ad *praeſentem* eorundem conditionem, per ſigna ſua *pathognomonica* manifeſtandam, pertinere: Atque adeo duas eſſe *Semeiologiae* partes, *Diagnoſticam* nempe atque *Prognoſticam*, quarum *illa* ſtatum corporis humani *praeſentem* tam naturalem quam praeternaturalem, & hoc potiſſimum intuitu univerſam morbi indolem ejusque cauſas, partem adfectam & reliqua attributa manifeſtat; *Haec* vero ſtatum ejus futurum, exitum & conſectaria varia indicat.

§. V.

In utraque igitur ut condigne ſeſe gerat medicus, non modo requiritur, ut habitum corporis, temperamentum & perſonalem conſtitutionem cujuslibet individui perſpectam habeat, & reliquas aetatis, ſexus, vitae generis, diaetae, regiminis, conſuetudinis, educationis, pathematum animi,

animi, climatis & nationis, temporum anni indeque natarum mutationum & tempeſtatum, haereditariae diſpoſitionis, ſenſibilitatis, teneritudinis vel athleticae conſtitutionis, morborum praegreſſorum &c. circumſtantias in numerato quaſi habeat: Sed etiam, ut differentias morborum principaliores, morborum nempe *congruorum* & *incongruorum*, *ſimplicium* & *complicatorum*, *benignorum* & *malignorum*, *genuinorum* & *corruptorum*, *habitualium*, *haereditariorum &c.* una cum nexibus ſuis cauſalibus ex *Pathologia* tam *generali* quam *ſpeciali* in memoriam decenter ubique ſibi revocet, nec minus remediorum à ſe exhibitorum adcuratam habeat notitiam, atque adeo praecaveat, partim ne inſolita quaedam phaenomena novitatis ſpecie eidem imponant, vel ad alienam aut plane falſam prognoſin formandam invitent, vel incongruorum medicamentorum adplicatio univerſum morbi decurſum mutet & judicium de exitu formandum in tranſverſum agat.

§. VI.

Uſus vero univerſae hujus conſiderationis ſemeiologicae *medico-practicus* non in eo ſolummodo vertitur, ut totam reliquam theoriam medicam illuſtret & verae morborum hiſtoriae novum quaſi lumen accendat, ut unum affectum ab altero perite diſcernere, futuraque prudenter hariolari diſcat, finesque ſcopos & intentiones, quas in curando praefixos ſibi habet, debito modo ſine vagis aberrationibus vel titubationibus proſequatur: Sed etiam, ut artifex medicus ipſius Naturae concurſum recte aeſtimet, ejus agendi modos, ſcopos ac fines ſollicite obſervet, & vel recte agentem ſublevet ac juvet, aberrantem vero & à genuina operandi methodo recedentem in viam reducat, ac proinde, ut miniſtrum Naturae decet, ubique ſeſe exhibeat, ſalutares ejus motus atque conatus ubique promoveat, obſtacula & impedimenta, remoram qualemcunque in agendo ipſi objicientia removeat ſicque ſingulos, quos pro corporis ſui ſalute ſuſcipit, actus, ita diſpen-

ſet atque gubernet, ut ſalutarem, quantum in artis poteſtate ſitum eſt, ſucceſſum & eventum nanciſcantur, examinatis ſimul mutationibus, quae in morborum decurſibus obſervari ſubinde ſolent, earundemque cauſis atque originibus rite inveſtigatis, ne alienis plane cauſis tales mutationes imputentur, quibus nullo modo competunt, ſicque tandem in eradicativa eorundem curatione oleum & opera perdatur. Unde manifeſte ſtatim diſpaleſcit, *Semeiologiae* cum *pathologia* non modo & reliquis theoreticis artis partibus arctum intercedere commercium, ſed & cum *vera medendi methodo* & *praxi ſpeciali* ac *ſpecialiſſima* inviolabilem nexum fovere.

CAPUT SECUNDUM.

De *Praecipuis fontibus, ex quibus* Signa Diagnoſtica *haurienda ſunt.*

§. I.

Cum *ſigna diagnoſtica*, quorum notitia ſtatus humani corporis ſive ſanus&naturalis,ſive aegrotans & praeternaturalis nobis innoteſcit, ſeſe habeant inſtar *datorum Geometricorum* vel *praemiſſarum Logicarum*, quibus ceu notis praeſuppoſitis ad ignota pedetentim perveniatur: Hinc ſummam doctrinae hujus neceſſitatem, ſimul atque utilitatem & certitudinem nemo non videt. Cum enim utriusque hujus ſtatus phaenomena ſenſibus externis ſeſe offerant, eorundemque ope ad intellectum demum perveniant: Non ſane adparet, quomodo incertum vel dubium eſſe poſſit, quod ſenſuum miniſterio, ceu hactenus *ignotum*, nunc *notum* redditum eſt.

§. II.

Proinde *ſemeiotices* certitudinem ex eo fruſtra infringere molitur *Ammannus*, quod, cum morborum, praecipue, inter-

internorum, naturam cauſasque immediatas vel ignoremus vel ſaltem nondum ſatis cognoverimus, atque adeo pleraeque morborum definitiones non juxta intrinſecam morbi ideam vel indolem, ſed ſecundum receptam & ſemel adprobatam hypotheſin formatae hucusque à medicis fuerint, abſurdum videatur, *ſigno* aliquam vindicare velle certitudinem, cum *de ſignato* adhuc tum diſputetur: Atque adeo inde ſequi praetendit, quod, cum usque adhuc incerta ſit *Pathologia*, ejusdem quoque indolis, nempe incertae, tanto magis futura ſit *ſemeiotica*, quae quippe meris conjecturis & falſis hypotheſibus pathologicis nitere- tur, & *ſignum* inſuper ſuum ſemper *ſignatum* reſpicere debeat. Ex quo eodem quoq; fundamento negavit exiſtentiam *ſignorum pathognomonicorum*, nullam nempe certam & adaequatam dari morbi cujusdam interni *diagnoſin*; Id quod & veteres jam praevidiſſe, ex eo colligit, quod in *diagnoſi* plurima ſigna conjungere juſſerint, ſine dubio nullam aliam ob rationem, quam quia, quaedam ſigna pluribus morbis eſſe communia, probe agnoverunt; Quorſum ipſam quoque *συντεκμαρσιν Hippocraticam* ſeu plurium ſignorum pro unius morbi cognitione, factam collectionem reſpicere, opinatus eſt *Ammannus*. Verum nimis liberale in eo eſt *Critici noſtri* judicium, quinimo aperte falſum: Siquidem, plurimorum morborum internorum inductione facta, demonſtrari facile poteſt, eorundem indolem & cauſam immediatam examuſſim perſpectam nobis eſſe, atque adeo exactam eorundem definitionem, non ſecundum philoſophicam hypotheſin, ſed intrinſecam potius morbi ideam confirmatam, exhiberi à *Pathologo* poſſe. Neque vero, quod *Ammannus* praetendit, inde ſequitur, medicum, utcunque etiam veras & adaequatas morborum definitiones haberet, eosdem infallibiliter curaturum: Quia quotidiana experientia nos docet, quod quam plurimos morbos, quorum tamen indolem ſic ſatis exacte intelligimus, fundamentaliter curare non poſſimus.

§. III.

Hujus interim *artis diagnoſticae* veritas atque certitudo luculentius adhuc dilucefcet ex fontibus, unde ſigna diagnoſtica peti hucusque conſueverunt, quales ſunt ipſius naturae robur vel imbecillitas, ejusdemque actus tam rationales quam animales ac vitales, ſenſus interni pariter ac externi, inſomnia itidem & varia faciei diſpoſitio, temperamenta, plethora, cacochymia, pulſus, urina, ſanguis, habitus corporis, lingua, ſputum atque ſaliva, aetas, ſexus, vitae genus, diaeta & victus ratio, juvantia atque nocentia una cum malis epidemice graſſantibus &c.

§. IV.

Primum ac principem in *diagnoſi* locum ſibi vindicat *Natura humana*, quae ideo corpori ſuo praeſidet, ut illud ab inſultibus morborum defendat vel liberet. Hujus proinde vires noſſe debet, qui corpori periclitanti & morbis conflictanti ſuccurrere cupit, ne illorum vehementiae ſuccumbat. Aeſtimatur autem naturae robur ex pulſu forti cordis & arteriarum, ſuccedente hinc vegeta ſanguinis reliquorumque humorum circulatione, indeque exſurgente valida materiae corruptae excuſſione vel ſaltem translatione ad ignobiliorem quandam corporis partem, ſicuti per parotides, variolas, morbillos, petechias, exanthemata, bubones, furunculos, anthraces &c. acutos & acutiſſimos morbos judicari obſervamus. Idem naturae vigor colligitur inſuper ex forti, aequali & nullibi interrupta reſpiratione, inprimis vero ex ſecretionibus & excretionibus, per proportionata organa ſuccedentibus. Non minus quoq; ex vigore omnium actuum tam rationalium, quam animalium, vitalium atque naturalium fortitudinem *Naturae* dijudicamus, dum nimirum anima non modo circumſtantiis & objectis congruas edit ratiocinationes, ſed & ſenſus motusque inprimis voluntarios vegete adminiſtrat, imo & cibi recte appetuntur, digeruntur, poſt digeſtionem diſtribuun-

ſtribuuntur inque bonum atque laudabilem ſanguinem tranſmutantur, ſicque vel pauca excrementa gignuntur, vel, quae adhuc generantur, valenter digeruntur, reſolvuntur tandemq; excernuntur. Neque difficulter ex ipſorum quoque organorum & inſtrumentorum robore tonico ipſius quoque Naturae robur atque fortitudinem aeſtimamus; Siquidem, quo valentior eſt tonus, eo etiam vegetius ipſae actiones ſuccedere ſolent.

§. V.

Hiſce vero omnibus contraria ſi obſerventur, & in ſingulis facultatibus aliquod vitium animadvertatur, quodam quaſi langvore, vel debilitate ipſam laborare naturam, haud difficulter inde conjiciemus. V. G. ſi intuitu *facultatum rationalium* mens non amplius recte ſibi conſtet, ſed variis deliriis confundatur, ſi memoria vel recordatio rerum omnino ſublata vel ſaltem vitiata fuerit; *actuum* vero *animalium* reſpectu ſenſus motusque in corpore vel abolitus fuerit vel langveſcat, quorſum pertinet aphonia, tremor ac rigor artuum, ſingultus, convulſio, horror, vigiliae adſiduae nullumq; modum ſervantes, vel ſomnus profundus, laborioſus atque immoderatus, videndi audiendique facultas praelanguida, indolentia in doloribus, extremorum frigus, interiorumque aeſtus &c. Si denique *actuum vitalium* & *naturalium* intuitu reſpiratio fuerit laborioſa vel intercepta, uti in pleuriticis, peripnevmonicis vel vomica pulmonum laborantibus, anginoſis item, apoplecticis & catarrho ſuffocativo adfectis, vel rara & parva vel frequens, vel inaequalis & interrupta vel alio modo laeſa atque vitiata fuerit. Si praeterea pulſus languidus atque tardus, celer quidem & frequens, ſed admodum debilis, vermiculans & formicans obſervetur, quorſum ſyncope & lipothymia partinet; Si corpus ex diuturno ciborum faſtidio atrophia correptum contabeſcat, ſi nulla percipiatur ſitis, ubi ſitire congruum erat, ſi dejectiones alvi, ſputa, urinae, vomitus & reliqua cruda fuerint: Ex his enim omni-

bus naturae debilitatem, morbo quippe ſuperando prorſus imparem conjicimus.

§. VI.

Senſus inprimis tam interni quam externi, quorum miniſterio varia objecta animae rationali offeruntur, ab eadem percipiuntur atque dijudicantur, ſenſus inquam, prout ſuis in operationibus & exercitio variis modis turbantur & impediuntur, variam quoque morborum conditionem non modo manifeſtant, ſed & in ſtatu ſuo ordinario & naturali corpori organico ejusdemque integritati conſervandae famulantur, dum non ſolum craſſiora nocumenta ab eodem avertuntur, ſed & ſubtilis atque exquiſitus ſenſus animalis univerſae mixtioni ita conſulit, ut, ſi quam maxime principia quaedam corruptiva eidem imminerent tanquam eminens damnum illatura, illorum tamen activitas tempeſtive aut ſubjugaretur, aut plane è corpore prius proſcriberetur, quam malum aliquod inferre eidem poſſet.

§. VII.

Huic ſenſui vitali, cujus adminiculo ipſa anima rationalis cum oeconomia motuum & actuum vitalium arctiſſime juncta & unita eſt, huic, inquam, ſenſui tribuendum eſt, quod, ſi actus vitales qualemcunque irregularitatem & anomaliam incurrant, ipſa quoque natura ſeu anima rationalis ſuis in operationibus turbetur, aliter res percipiendo easdemque dijudicando, quam earundem vera ac genuina indoles requirebat; Id quod eo praeſentius fieri adſolet, quo major facta eſt mutatio in cerebro, cerebello, & meningibus, cerebrum involventibus, nervisque inde prodeuntibus, ſicuti in majoribus harum partium laeſionibus, à quacunque violentia inductis, in pertinacioribus humorum ſtagnationibus ac ſtaſibus indeque ſequutis corruptionibus nimis manifeſtum eſt, quae quippe vitia cuncta cum enormioribus animae perturbationibus ſeu deliriis plus minus exquiſitis juncta ſunt.

§. VIII.

§. VIII.

Sicuti itaque ſenſus interni, phantaſia, ſenſus communis & memoria variis perturbationibus & aberrationibus obnoxii ſunt, ut vel objecta praeſentia confuſe percipiantur vel abſentia longe aliter, quam decebat, phantaſiae exhibeantur: Ita non minus ſenſus quoque externi ſua patiuntur deliquia, ſi vel organa ſenſoria, ſua in conformatione, laeſionem quandam incurrant, ut, quam in ſtatu ordinario edere ſolebant, functionem amplius expedire nequeant, vel ſi translationes materiarum ad caput, ad eximiam quandam excretionem haemorrhagicam v. g. vel catarrhalem reſpectantes inſtituantur, propter vicinitatem organa ſenſoria ſimul adficientes, iisdemque ſingularem alterationem inducentes, ut nec vivide videre nec vegete audire queant, vel ſi metaſtaſes tales materiarum, congeſtiones, reſtagnationes vel ſtaſes ad ipſa organa ſenſoria factae & inſtitutae fuerint, tanto minus mirum eſſe debet, ſi ſuis in actionibus varia ratione turbentur ſenſus, ſi eorundem organa vel nimium relaxata, vel materiis peregrinis obſeſſa, vel plane in mechanica ſui textura vel ſtructura laeſa fuerint; Unde ipſum actum ſenſitivum varia ratione laedi debere, certiſſimae & plane neceſſariae eſt conſequentiae.

§. IX.

Cum etiam inſomnia phantaſiam tempore nocturno variis modis exercere variisque illuſionibus pertentare ſoleant, ex quibus ad temperamenti, actuumque tam vitalium quam animalium indolem veram cognoſcendam aditus patet, eorundem ſemeiologica conſideratio hic omnino praetermittenda non fuit. Suo enim ſolido hanc qualemcunque diſquiſitionem fundamento non deſtitui, inde inter alia patere poteſt, quod aliis pertententur inſomniis ſanguinei, aliis phlegmatici, aliis cholerici, aliis melancholici, ubique nempe reſpondentibus humori ſpeciali, praedominium in ſanguine obtinenti: Unde de rebus gratis & voluptuoſis inſomnia habebunt ſanguinei,

de

de iracundis & horridis cholerici, de meticuloſis & ſuſpectis melancholici &c. Eruntque phantaſticae illae nocturnae repraeſentationes tanto vividiores, quo manifeſtior praeceſſit occaſio vel *moralis* vel *phyſica*, quae animam ipſam ſua in tranquillitate turbavit, & ad varias ideas formandas incitavit. Cumque inter actus vitales eorundemque ſucceſſum in corpore facilem vel difficilem, expeditum vel quoquo modo impeditum vel implicatum &c. & actus rationales arctiſſimus ſit nexus atque conſpiratio: Nemo mirabitur, animam turbulentis, inquietis & anxiis inſomniis divexari, ſi cum qualicunque difficultate vel plane eminenti quodam cum periculo actus vitales ſuccedant: Unde clariſſimum evadit, divinandi quoque fontem ſuppeditare inſomnia, & ex diverſa illorum habitudine ad ſtatum corporis humani vel ſanum uel aegrotum tuto concludi poſſe.

§. X.

Signa temperamentorum citra ſolidam rationem ridet *Ammannus*: Sed quidnî rideret, quia *talia revera dari*, improvide negavit. Poteſtne vero ſine gravi veritatis offenſione id negari vel affaniis ſaltem accenſeri, quod reipſa ſic ſeſe habere, univerſus propemodum orbis medicus, imo omnes in univerſum homines conſentiunt? Unde enim eſt, quod ſingula individua habitus corporis diverſitate tam mirabiliter inter ſe mutuo diſcrepent, ut alii macilentam, alii craſſam & habitiorem corporis conſtitutionem prae ſe ferant? Ut alii ſubtiliora & arctiora, alii ampliora multoq; ſanguine referta vaſa ſanguinea offerant? Alii pallidam, alii multo rubore ſuffuſam faciem exhibeant? Unde eſt, quod ſingula illa individua pro ipſius corporis habitu diverſo, tantae morum animi, ejusdemque propenſionum & inclinationum diverſitati ſubjaceanr? Quod univerſum actuum tam rationalium quam animalium & vitalium ſyſtema alia ratione in hoc, quam in alio temperamento adminiſtretur & ſuccedat? Unde denique eſt, quod diverſa quoque temperamenta diverſis quoque pathematibus & adfecti-

adfectibus morboſis expoſita ſint? Quae omnia qui praefracte negare audet, is communi hominum ſenſui ſeſe opponit, ac proinde refutatione eſt indignus.

§. XI.

Itaque *ſanguineum*, ut vulgo dicitur, temperamentum aeſtimamus ex adſpectu faciei florido atque rubicundo, habitu corporis laxo, ſpongioſo ac veluti diſtento, vaſis ſangviferis tenerioribus & valde anguſtis, libero, aequali & moderato ſe-& excretionum ſucceſſu, ſanguine copioſo quidem, attamen fluxili & ita tenui, ut per partes poroſas ſatis libere atque expedite hinc & inde commeare valeat. Ratione morum animi hilares ſunt ſanguinei, voluptuoſi, ſecuri, libertate animi gaudentes, otio non craſſo quidem, phlegmaticorum more, ſed ſubtili potius indulgentes, candidi, ſinceri, vafritiem omnem deteſtantes ac proinde ad ſimulationem inepti. Et ſicuti ad operoſa negotia ſuſcipienda nulla gaudent aptitudine: Ita quoq; in periculis adeundis trepidi & anxii, quin ſubinde deſperabundi obſervantur, iis tamen qualitercunq; ſuperatis nimium glorioſi &c.

§. XII.

In *temperamento cholerico* major quidem in corporis habitu ſtrictura, ſed vaſa ſanguinea tanto capaciora obſervantur una cum ſanguine florido, tenui, ſulphureo & acriori, majorisque motus capaciori; Unde etiam pulſus in eodem celerior eſt & fortior, vehementior quoque calor quam in aliis temperamentis. Singulari pollent alacritate, facilitate & promptitudine agendi, ad iracundiam proni ſunt, aliorum contemptores, in periculis adeundis qui ſuperandis intrepidi & audaces, nec à propoſito facile d moveri ſeſe patientes.

§. XIII.

Phlegmatici, cum portione ſeroſo-aquoſa in ſanguin abundent, habitu corporis laxo, ſpongioſo, poroſo, indeq

turgeſcente gaudent, vaſa ſanguinea minora ſunt & compreſſa; Unde color faciei pallidus eſt, ſub laborioſo tamen corporis motu voluntario rufeſcens, mox tamen iterum diſparens, ſi a motu violentiore remiſerint. Sanguis, ob defectum vel minorem ſaltem copiam principii ſulphurei, inertior eſt & vappidior, atque hinc pulſus quoque rarior eſt, debilior & languidior & calor partium atque membrorum non admodum perceptibilis. In actionibus ſuis ſingularem ubique torporem & ſegnitiem conſpiciendam praebent, ſomnolenti ſunt, ad craſſum otium proni, laboribus, ubicunque poſſunt, ſeſe ſubducentes, vel illorum ſaltem, ſi quos ſuſceperunt, mox pertaeſi & ſub illis facile langveſcentes. Guloſi ſunt, magis tamen quantitati, quam qualitati ciborum ac potuum inhiantes.

§. XIV.

In *temperamento* denique *melancholico* non ſolummodo major partium fibroſarum craſſities atque ſpiſſitudo, ſed & major ſtrictura atque denſitas obſervatur, pori minores ſunt & arctiores, vaſa tamen ampla admodum & capacia. Pulſus tardus quidem eſt, ſed fortis ac plenus. Sanguis reliquique humores ſpiſſi minusque mobiles, atque hinc ad infarctus, oppletiones viſcerum indeque metuendas indurationes eorundem ſcirrhoſas admodum proclives. Hinc etiam profundis ſpeculationibus indulgent, cogitabundi ſunt, ſuſpicioni admodum dediti, ſed tamen cauti atque circumſpecti, ad labores indefeſſi, in rebus dubiis trepidi & negotiorum ſemel ſuſceptorum quasvis difficultates ſtrenue ſuperare contendentes &c.

§. XV.

Quanquam itaque ſingula temperamenta, ut ex hactenus dictis patet, ſua ſpecialia habeant ſigna atque indicia, quibus innoteſcant: Non idem tamen ſentiendum eſt de temperamentis viſcerum atque partium, cordis v. g. hepatis, pulmonum, teſticulorum, ventriculi ipſiusque cerebri,

rebri,

rebri, in quarum quippe temperaturis deſcribendis magnum, ſed ſimul valde inutilem, vanum & ſuperfluum laborem ſuis in *Inſtitutionibus* ſuſcepit *Sennertus*. Quod enim una pars prae altera calidior vel frigidior ſit, id vel à copioſiori vel minus copioſo ſanguinis tranſitu petendum eſt.

§. XVI.

Habitus corporis, prout vel plenior eſt & habitior, vel tenerior magisque extenuatus, ſua quoque ſignificandi vi non deſtituitur. Obſervat *Hippocrates*, bene habitam athletarum valetudinem ad ſummum progreſſam, ubi ad plenitudinis extremum pervenerit, lubricam eſſe, non quidem ob allegatam rationem, quod eodem in ſtatu non poſſit remanere, neque quieſcere, ſed, quod ob humorum nimiam accumulationem perſpirationis & reliquarum excretionum negotium praepediatur. Econtra adnotavit idem, teneriores & imbecilliores natura eſſe ſalubriores, &, cum aegrotaverint, promptius quoque cum ſanitate in gratiam redire. Idem malum eſſe enunciat, *habitum* corporis in morbo magno nihil plane mutari.

§. XVII.

Ad faciem potiſſimum variamque ejus diſpoſitionem attendendum eſt medico: Haec etenim uti internos animi mores, inclinationes ac propenſiones mirabili artificio declarat: Ita quoque vel ſtatum ſanitatis vel morborum variosque eorundem ſucceſſus, imo & eventus ex eadem dimetiuntur artifices medici.

§. XVIII.

Et cum ſucceſſus morborum & eventus vel ſecundi vel adverſi maximam partem dependeant à robore & activitate vel contraria imbecillitate Naturae; Illa autem vultu ſereno, tranquillitatis, fiduciae, hilaritatis & ſecuritatis indice, haec vero moroſitate, anxietate trepida, timiditate & ſingulari animi taedio prodere ſeſe ſoleat; Manifeſtum

 eſt,

eſt, faciem vario hoc ſui adſpectu vel ſpem evadendi polliceri, vel funeſtum morbi ſucceſſum & eventum portendere. Eodem enim modo, quo de imminenti vel praeſenti bono vel malo gaudet vel triſtatur, tranquilla vel anxia eſt anima; Eodem plane modo in actuum vitalium facili vel impedito ſucceſſu, felici vel funeſto morborum eventu vel contenta eſt anima, laetatur & exultat, vel trepidat, angitur atque deſperat, ſingulosque illos effectus ſua in facie conſpiciendos praebet, ac proinde vel colore vivaci, rubicundo, florido genae erunt perfuſae, vel pallido, abjecto, contracto & cadaveroſo erunt defoedatae. Spectant huc varia *Hippocratis* enunciata, qualia ſunt: Colorem flavum vel citrinum cutis in acutis eſſe exitioſum; Oculis lucem fugere, illacrymare, aut perverti, atque ex his alterum eſſe minorem, perniciem denunciare; Peſſimam eſſe faciem contractam, naſum acutum, oculos concavos, tempora adſtricta, aures frigidas, qualem faciem alias *Hippocraticam* appellare ſolent; Quod ſi aeger nec audiat nec videat, in propinquo mortem eſſe: Ubi tamen provide notandum eſt, haec omnia medicum terrere non debere, ſi ab habitu aegrotantis naturali & ordinario non multum ſint aliena. Simul operam omnem idem navare debet, ne, quod praeſentibus animi adfectibus tribuere debet, morbo ejusdemque cauſae temere adſcribat.

§. XIX.

Uti vero colorum iſta in facie mutatio à diverſa diſpoſitione toni ſive auctioris & ſtrictioris ſive remiſſioris & debilioris dependet: Ita pariter medico ad varia judicia formanda occaſionem praebet. Unde facies ſolito coloratior in acutis peſſimum praebet ſignum; Quia ob tonum nimis relaxatum, reſtagnationem ſanguinis indicat.

§. XX.

Teſtatur tamen etiam color genarum de diſpoſitione ſanguinis ratione craſeως; Tenuis enim, ſubtilis multoq; ſulphure

ſulphure interagitatus, floridum & coccineum faciei adſpectum conciliabit; Spiſſus, terreſtris, difficulter mobilis & nigricans obſcuram rubedinem eidem inducet; Seroſus, tenuis, aqueus per partes ejus poroſas diffuſus, pallorem excitabit, eundem tamen cum roſeo colore ſubinde permutabit, ſi motu voluntario corpus exercitum fuerit, ſicuti mutationum & varietatum talium ſolemnia ſpecimina in ſingulis temperamentis conſpicere licet. Praeter craſin tamen ſtatus plethoricus, magis vel minus talis, ad colorum horum varietatem faciei inducendam multum confert.

§. XXI.

Quae omnia tanto luculentius adparent, ſanguine ſingulari quadam dyſcraſia laborante vel ſaltem conſueta ejus ventilatione turbata, impedita vel neglecta; Id quod cachectici, leucophlegmatici, hydropici, puellae item male menſtruatae vel chloroſi adfectae ſuis exemplis quotidie nobis demonſtrant.

§. XXII.

Status corporis plethoricus, quem nonnullorum ſpeculatorum recentiorum curioſitas vel temeritas in dubium vocavit, neminem latere facile poteſt. Habet vero pariter ſuam ſignificandi energiam: Eſt enim fundamentum plerarumque haemorrhagiarum & congeſtionum ſive pure ſanguinearum ſive ſanguineo-ſeroſarum, ad illum pariter ſcopum ſive *eminus* ſive *cominus* contendentium. Et quanquam à nonnullis facilius, ab aliis vero difficilius toleretur plethora: Attamen, cum ex vitio iſto quantitatis ſubinde vitium qualitatis ſeu perverſae craſeωs atque adeo plethora cum cacochymia complicata exoriatur: Patet hinc, quomodo ſanguinis humorumque reliquorum ſpiſſitudo variorum ſeroſorum affectuum, catarrhalium v. g. oedematoſorum, cachecticorum, hydropicorum, quin interdum plane ulceroſorum generationi anſam ſubminiſtrare queat imo haud infrequenter ſoleat. Neque usque adeo

infrequens eſt, ſupervenientibus inprimis immoderatioribus animi corporisque commotionibus, in corpore talium plethoricorum varios humorum orgaſmos, viſcerum oppletiones & infarctus, quin ſpaſmos & inflammatorios plane adfectus enaſci.

§. XXIII.

Plethorae veſtigia haud raro legit *cacochymia* ſeu vitioſa humorum qualitas, quae tamen craſεως vitia cum maximam partem in ſimplici humorum ſpiſſitudine vel contraria tenuitate, ſubtili quadam acredine vel vappido eorundum ſtatu conſiſtant; Variae autem illarum acrimoniarum, v. g. alcalinarum, acidarum, muriaticarum vel ammoniacalium, oleoſarum putrefactarum vel aliarum plurium ſpecies ſubtilius fingantur quam in circumſpecta praxi obſerventur: Hinc ſine dubio vanum & irritum erit, illarum ſigna operoſius inquirere vel recenſere velle.

§. XXIV.

Simplicior vero illa ſanguinis conſtitutio vel ratione ſpiſſitudinis vel nimiae tenacitatis mucoſae vel tenuitatis nimiae, coloris itidem ſive rubicundi floridi ſive obſcurioris ad nigrum vergentis, ſive flaveſcentis ſive ad atrum inclinantis, in doctrina hac ſemeiologica negligi non debet, ſed ad ſtatum corporis tam ſanum quam morbidum dignoſcendum multum confert. Pro diverſa enim craſεως & conſiſtentiae diſpoſitione ipſe quoque motus ſanguinis variat, ex quo vitiato humorum motu varii deinde morbi exurgunt: Id quod ei comprehendere non erit difficile, qui recte intellexerit, inter materialem ſanguinis humorumq; conſtitutionem & motus ipſos certam ſemper proportionem obſervari, & vice verſa.

§. XXV.

Quam rem ſi paulo adhuc ſpecialius conſiderare placeat, facile adparebit, ſanguinem tardius per vaſa partesq; poroſas circulantem, ſucceſſu temporis ſpiſſeſcere, fluiditate

tate ac mobilitate ſua privari, indeque ſecretionum negotium turbari variasque hinc inde impuritates ſeroſas, mucidas, ſpiſſas, aceſcentes, ſulphureo-bilioſas, acres, orgaſticas accumulari, ſicque variis dyſcraſiis, in maſſa humorum generandis occaſionem ſubminiſtrari, tandemque excretorio vitioſorum humorum negotio obſtacula varia objici, quibus hinc inde collectis variae motuum anomaliae hinc inde exſurgant neceſſe eſt.

§. XXVI.

Quanquam autem verus ſanguinis defectus rarius utique obſervari ſoleat: Non tamen omnino impoſſibile haberi debet, eum poſt immoderatas, graves & impetuoſas haemorrhagias non ſubinde ſequi poſſe vel ſolere; Si autem reipſa contingat, non minus, quam abundantia, pravam diſpoſitionem inducere poteſt & ſolet; Siquidem ob nimiam nimisque ſubitam partium atque vaſorum depletionem organa colatoria ſubito collabuntur, pori arctantur & concidunt, ſecretiones & excretiones fatiſcunt, ſicque variarum impuritatum collectioni & retentioni in corpore porta aperitur.

§. XXVII.

Si ſanguis ſpumidus, floridus ac tenuis rejiciatur, ex pulmonibus in haemoptyſi prorupiſſe eundem, extra dubium eſt; Contra ſi craſſus, ſpiſſus, coagulatus, nigricans evomatur, teſtimonium praebet, ex ventriculo per vaſa brevia rupta eundem ejectum eſſe; Si nigricans & piceae quaſi conſiſtentiae è vena ſecta emittatur, curis, ſollicitudinibus & anxietatibus praecordialibus hominem talem divexari & melancholia laborare eundem vel malo hypochondriaco adfici vel haemorrhoidum ſuppreſſione laborare, non obſcure ſignificatur. Si colorem ſuſpectum, virideſcentem vel flaveſcentem &c. offert ſanguis, gravem praeceſſiſſe iracundiam & ſequuturam febrem ardentem, bilioſam vel plane inflammatoriam, indicio eſt. Sanguis

pinguis,

pinguis, gelatinoſo-lymphaticus de chylificatione expedite ſuccedente teſtatur. Si nec laudabilem colorem, nec debitam craſin atque conſiſtentiam exhibeat, quin permultis inquinamentis mucidis, tenacibus, bilioſis corruptis, putreſcentibus &c. remixtus ſit, non immerito vitia lienis, hepatis, venae portarum, glandularum &c. accuſantur.

§. XXVIII.

Ut quis tamen in cunctis hiſce judiciis formandis firmiori talo incedere queat, ordinariam & naturalem ſanguinis craſin, conſiſtentiam & colores in omnibus ac ſingulis temperamentis cognita probeque perſpecta habere debet. Quo quis enim rectius ſtatum ſanguinis naturalem cognoverit, eo quoque adcuratius praeternaturalem ejus inveſtigabit.

§. XXIX.

Sua ſpeciatim ſignificandi vi non deſtituitur ſanguis foeminarum menſtruus; Abundans enim vel plethoram arguit vel orgaſticam ſanguinis commotionem vel ſpecificam ejus directionem verſus uterum ſignificat. Menſes deficientes vel decolores raro ſanguinis inopiam, frequentius vitium ſpiſſitudinis vel tenacitatis mucoſae vel impedimentum viis objectum vel defectum motuum indicant. Extraordinario tempore emicantes, vel inſolita excretionis loca adfectantes, magnam motuum anomaliam produnt: Unde, licet *Hippocratem* habeat auctorem, bonum indicium non eſt, ſi mulieri, menſibus deficientibus, ſanguis fluat ex naribus; Pejus, ſi per ventriculum vel pulmones, in vomitu cruento & haemoptyſi, erumpat; Peſſimum eſt, ſi plane ſubſiſtant menſtrua, niſi gravida ſit mulier vel infantem lactet.

§. XXX.

Neque ſalivae, in dijudicando ſano vel aegroto corporis ſtatu, ſua eſt deneganda efficacia; Tenuis enim, pellucida, ex elementis ſalino-acidis, proportionate inter

ſe

ſe mutuo mixtis, conſtans, atque adeo & maſticationi & primae ciborum digeſtioni recte inſerviens, ſtatum corporis ſanum indicat; Contrarium obtinet, ſi quantitate debita deficiat, vel viſciditate, craſſitie ac ſpiſſitudine laboret, vel ſua in craſi alterata fuerit, & vel amaricantibus bilioſis vel nimium ſalſis particulis imbuta, vel peregrino charactere, ſcorbutico vel venereo &c. coinquinata, vel modo & quantitate excretionis peccaverit; Quae circumſtantiae cunctae in diagnoſews negotio probe obſervandae ſunt.

§. XXXI.

Si ſubinde largiori in quantitate vel ſincera vel corrupta quadam materia imbuta excernatur ſaliva, id terrere neminem debet; Eſt enim ptyaliſmus talis ſubinde ſalutaris & criticus, inſerviens nempe receptioni inquinamentorum corruptorum, eorumque excretioni. Parcior è contra ſi ſecernatur, fauces cum lingua aridae erunt, ipſaque ſaliva ſpiſſitudine & viſciditate tenaci moleſta erit. Subinde ſaliva copioſius in ore confluens vitia ventriculi & hypochondriorum prodit. In haemoptyicis quoque diverſus ſputorum ſtatus attendendus eſt.

§. XXXII.

Nec temere *lingua* inſpicitur; Eſt enim tam ſanitatis quam aegritudinis index. Lingua perpetuo madens, rubens, peregrino ſapore non imbuta, ſalubritatem indicat. Alba vero vel fulva ſi fuerit, vel plane nigricet, fiſſuris hinc inde lacera, arida & ſcabritie inaequalis, ſecus ſe res habet. Unde *Hippocrates* inquit: *Lingua circa initia quidem horrida, in eodem vero colore perſeverans, procedente vero tempore exaſperata, livida & hiulca, mortiferum; Admodum vero nigreſcens, decimo quarto die criſin fovere oſtendit, at vero calamitoſiſſima eſt nigra & virulenta:* Idemque porro inquit: *Linguae denſae & peraridae, phreneticae* ſunt.

§. XXXIII.

Aetatis potiſſimum ratio habenda hic eſt: Unde non

modo in genere obſervat *Hippocrates*, per morbos minore eſſe periculo, quorum naturae & *aetati* & habitui & anni tempeſtati morbus magis cognatus, quam quibus in horum aliquo minus cognatus fuerit: Sed & longam ſeriem exhibet eorum morborum, qui per aetates eveniunt, nempe ab aphoriſmo 24. ad finem usque ſectionis tertiae.

§. XXXIV.

Similiter varia anni tempora attendenda hic eſſe jubet *Hippocrates*: Unde non modo *generatim* notat, quibusvis anni temporibus omnis generis morbos exoriri, ſed & *ſpeciatim*, vere inſaniam, melancholiam, comitiales, ſanguinis profuſiones & anginas, aeſtate febres ardentes, vomitiones & alvi profluvia, autumno febres quartanas, hydropes, tabes, lienterias ac dyſenterias ac denique hyeme pleuritides, peripnevmonias &c. homines infeſtare.

§. XXXV.

Sexus diſcrimen ſolerter quoque attendendum eſt; Aliis enim viri, aliis mulieres morbis adficiuntur. Foeminae quoque prae viris frequentius non tantum, ſed & gravius imo pluribus quoque ac ſpecie diverſis morboſis adfectibus laborant.

§. XXXVI.

Similiter varium *vitae genus* ad varios quoque morbos diſponere, jam dudum peculiari diatriba de morbis artificum *Ramazzinus* deduxit, & nos quaedam jam dedimus ſpecimina ſuperius. Neque excludenda eſt diverſa *victus ratio*, quae diverſorum itidem morborum geneſi anſam praebet. Quibus addenda eſt *diſpoſitio haereditaria*, quae ad praedicendos morbos ſuam non minus ſymbolam confert: Sicut *juvantia* pariter atque *nocentia* diagnoſticam artem non parum illuſtrant, & *mala populariter graſſantia* multum lucis in cognoſcendis morbis medico accendunt, ſicuti in morbillis & variolis aliisque epidemicis malis quotannis experimur.

§. XXXVII.

§. XXXVII.

Inprimis vero *urinis* ac *pulſibus*, indeque formandis indiciis ſuus debitus hic locus non eſt denegandus. *Uromantiam* quod attinet, toto quidem die edocemur, variis abuſibus eandem expoſitam eſſe; At ideo tamen tota contemnenda non eſt. Quo vero jure *Ammannus* cum *purgatorio Pontificiorum* eandem comparaverit, non liquet: Sicuti enim, cadente uromantia, non ideo ſtatim everſio totius medicinae eſt metuenda: Ita, exploſo licet dogmate de purgatorio, non ideo ſtatim cum Pontificiorum religione actum eſt. Utrumque tamen ſimplicitati hominum ſuperſtitioſorum illudere & crumenis emungendis aptum eſſe artificium, nemo hodie ignorat. Quam forte comparationis *Ammannianae* rationem fuiſſe ſuſpicor.

§. XXXVIII.

Maneat itaque uſus, damnetur abuſus. Qui circumſtantias aegrotantium, concernentes vel aetatem vel ſexum, vel habitum univerſum corporis, vel fata eorundem varia &c. ex me ſcire deſiderant, illos omnes ad alios medicos, qui artem vaticinandi ex urinis melius me didiciſſe videri volunt, ablegare ſoleo; Qui tamen interea perſuaſiſſimus ſum, ex quantitate vel defectu, coloribus, conſiſtentia,contentisque urinarum formari varia judicia poſſe, quae non modo ſtatum & conditionem morbi praeſentem manifeſtent, ſed & varium ejus ſucceſſum & eventum patefaciant.

§. XXXIX.

Cum vero urina nihil ſit aliud, quam excrementum fluidum, maximam partem ſeroſum, multis tamen ſalinis atque ſulphureis, aliquibus etiam terreſtribus partibus foetum, à ſanguine arterioſo in renibus ſeparatum & in veſica collectum: Manifeſtum eſt, teſtari primum urinam de conditione & ſtatu ſanguinis. Qualis enim eſt ſanguis, talis etiam inde urina ſecernatur neceſſe eſt. Unde, prout vel principium ſeroſo-aquoſum, vel ſalinum vel

 ſulphu-

ſulphureum plus vel minus in ſanguine abundat, diverſa etiam facie dilutiore vel ſaturatiore excernetur urina.

§. XL.

Imo ſicuti per contagium vel aliunde alienae materiae & inquinamenta maſſae ſanguineae communicantur & per eandem diffunduntur: Ita non minus quoque in urina conſpicienda praebere ſeſe ſolent; Teſte odore violaceo, quem iris florentina urinae communicare conſvevit. Quidni itaque urina, quae ſanguinis purgatorium eſt, qualitatem & indolem ejus manifeſtet?

§. XLI.

Accedit, urinam etiam pro varietate temperamentorum variam eſſe; In phlegmaticis enim largior quidem, ſed pallidior & aquoſior excernitur; In ſanguineis dilutiorem citrinum colorem exhibet, in cholericis ſaturatior eſt & ad aurantium vergens, in melancholicis vero & parcior eſt & in citrinum obſcuriorem colorem inclinans. Verum haec omnia in ſtatu tantum ſecundum naturam ſic ſe habent, ad quem tamen tanquam ad normam reliquae ejus mutationes in ſtatu p. n. exigendae & examinandae ſunt.

§. XLII.

Abſit autem, de ſolius ſanguinis indole atque conſtitutione teſtari urinam; Abſit, inquam: Cum enim per varia colatoria & receptacula eidem tranſeundum ſit, de ſtatu quoque renum & veſicae, atque adeo de vario ſe- & excretionis ſucceſſu haud vanum quoque teſtimonium perhibet: Prout enim ſtrictura renum tonica varia eſt, intenſior nempe vel remiſſior, vel pallida colorisque omnis expers, vel craſſior multisque excrementis referta materia pertranſibit. Si renes exulcerati fuerint, ſanioſa multa cum urina excernitur materies, admodum foetens, qualis hiſce adhuc diebus de puero calculoſo oblata mihi fuit.

§. XLIII.

§. XLIII.

Prius vero, quam ſpecialius haec perſequamur, notamus, in urinis conſideranda eſſe ſequentia rerum momenta, nempe diverſam urinarum quantitatem, quatenus vel excedunt vel deficiunt, vel earundem colorem atque odorem, vel conſiſtentiam vel contenta vel mutationem; Ex quibus quippe omnibus collective ſumptis judicium fertur.

§. XLIV.

In quantitate urinarum determinanda cautio adhibenda eſt, ne vel individuali conſtitutioni vel temperamenti diverſitati vel conſuetudini vis inferatur. Verus urinarum defectus ſi obſervetur, vel inopia ſeri in ſanguine indicatur, vel ejusdem exundatio in alienum locum, uti in anaſarca, aſcite & oedemate, vel ſtrictura tonico-ſpaſtica obtinet in renibus, ut in nephritide calculoſa: Quantitas vero excedens non ubique formidanda; Die enim critico contingens in acutis, ſalutem pollicetur. Sic etiam poſt diuturnam in hydrope & calculo ſuppreſſionem copioſius erumpens, ſolutionem morbi promittit. Si vero multae quidem extiterunt, attamen tenues & aquoſae, nec die critico contingentes, nihil ſublevabunt. In corporibus macilentis imo & poſt intermittentes hecticae eſt prodromus.

§. XLV.

Colorem urinarum quod ſpectat, certum quidem eſt, & lubentes id largimur *Ammanno*, non id ſemper indicare, quod vulgo ſignificare putatur, variis quoque modis immutari ab aſſumtis & turpes in abuſus pertractam eſſe ab hodiernis Chymicis doctrinam ſalium, & in uroſcopiam temere translatam: Interea cum certum ſit, colorem urinae aliunde non dependere, quam à principio ſalino atque ſulphureo, principio ſeroſo-aquoſo parcius vel largius permixto: Irritum ſane ac fruſtraneum non eſt, ad varios urinarum colores attendere.

§. XLVI.

§. XLVI.

Si igitur urina coloris ſaturate citrini fuerit, ſtatum ſanitatis indicabit; Quia principium ſulphureum atque ſalinum ſeroſo proportionate permixtum denotat. Si ad aurantium magis vergat, non ſolum majorem ſulphuris copiam innuit, ſed & vehementiorem ſanguinis commotionem patefaciet. Flavedo urinae crocea bilis effuſionem denotat. Venideſcens majorem ejus corruptionem, quam in primis viis commorando nacta eſt, ſignificat. Si plane nigreſcat, non modo majorem corruptionis gradum indicat, ſed & mala hypochondriaca, ſplenetica, cacochymico-ſcorbutica ſubtus latere demonſtrat. Turbida, jumentorum urinae ſimilis, vitia primarum viarum, malae digeſtionis indeque natae humorum dyſcraſiae & male procedentium ſe- & excretionum prodit. Intenſius rubicunda orgaſmum humorum & febrilem commotionem indicat. Pallida ſi fuerit, dilutior & aquoſior, non ſolum defectus principii ſalino-ſulphurei, & inſufficientis impuritatum abſterſionis, ſed & auctioris tonicae ſtricturae in renibus indicium praebet. Lactea denique & albicans, qualis haud ita pridem mihi oblata, & in cujus ſuperficie cremor concreverat, metuendam corporis contabeſcentiam denotat.

§. XLVII.

Odor urinae ab ingeſtis proveniens, probe diſtingvendus eſt ab eo, qui à viſcerum, per quae tranſit, corruptelis eidem communicatur. Sic odorem foetidum plerumq; deprehendi, ab exulceratione renum, veſicae vel urethrae ortum ſuum habuiſſe. Olida quoque eſt urina hectico-phthiſicorum. Qui febribus malignis laborant, eorum urinae foetorem ſpirant. Foetidae quoque redduntur urinae, ſi rupto interno apoſtemate putridae corruptelae eidem permiſceantur. Cavendum tamen, ne, qui alimentis vel medicamentis adſumptis rectius tribuendus eſt ingratus urinarum odor, internae partis cujusdam corruptioni adſcribatur.

§. XLVIII.

§. XLVIII.

Conſiſtentiam urinarum, quatenus vel craſſiores & ſpiſſiores vel tenuiores & ſubtiliores ſunt, conſideraturus, attendere debet, num vel fundum urinalis vitri occupent vel mediae regioni innatent, vel flocculorum inſtar ſuperficiei innatent; Primo enim intuitu hypoſtaſis ſeu ſedimentum, ſecundo enaeorema ac tertio nubecula dicitur. Quae ſuſpenſionis materiarum varietas à diverſa illarum gravitate dependet, quae tamen non prius in conſpectum prodeunt, quam urina frigefacta, calore quippe per reliquum urinarum fluidum illas diſpergente, donec, ſeparatione facta, viſui offerantur.

§. XLIX.

Contenta urinarum varia ſunt: Interdum arenulae ſabulo albicanti non abſimiles, matulae lateribus adhaereſcunt, difficulter inde avellendae; Interdum arenulae rubrae, acutae & micantes, hinc inde urinae innatantes, vel in fundo vaſis collectae conſpiciuntur, de nephritide calculoſa renum haud obſcurum teſtimonium praebentes; Subinde ſedimentum diſcerptum inſtar flocculorum per urinas diſperſum vel puris inſtar conglomeratum vel in filamenta quaſi diductum conſpicitur. Nonnunqam bullae indeque collecta ſpuma ſuperficiei urinarum inhaerens ac ſaepe diu perſiſtens ſeſe ſiſtunt, flatulentiae indubitati teſtes. Interdum ſanguinis grumuli imo ſanguis ſincerus, interdum ſemen virile, interdum pingvedo, ſubinde cryſtalliformis, ſanioſa vel purulenta materies innatat urinis &c. Quae contenta cuncta ſi ſolerter expendantur, ad diagnoſin variis in morbis formandam viam pandunt.

§. L.

Non minus pulſum ejusdemque varietates attendunt medici in morbis eorumque ſtatu cognoſcendis ac dignoſcendis occupati. Artem inde praedicendi *ſphygmomantiam* vocant, quam quidem *uromantia* certiorem eſſe concedit *Ammannus*, at ſimul multis ſpeculativis ſubtilitatibus refertam

tam eſſe conqueritur, & nulli alii morborum generi, praeterquam affectibus cordis & febribus quodammodo applicari poſſe, ingenue ediſſerit. Cum vero ſine motu cordis arteriarumque reliqui actus vitales ſuccedere non poſſint, manifeſtum eſt, variam indolem atque conditionem pulſus de vario quoque iſtorum actuum ſucceſſu teſtari, ac proinde ex alterato pulſu de ſucceſſibus & eventibus variorum morborum rectiſſime judicium ferri poſſe.

§. LI.

Eſt autem pulſus nihil aliud, quam arteriarum motus, à corde principaliter procedens, & tam ſyſtole quam diaſtole conſtans, proque varia ſui conditione & indole varia ſigna exhibens. Eſtque vel *naturalis*, quamdiu ſatis quidem vegetus eſt, ſed tamen aequalis & moderatus, vel *praeternaturalis*, ſi vel exceſſu vel defectu peccet. Cum enim ad univerſum negotium vitale adminiſtrandum non modo utile ſit ac neceſſarium, ut pulſus jugi tenore, proportionato gradu atque conſtanti ordine perennet: Perſpicuum eſt, illum nec per magna intervalla intermitti nec penitus omitti poſſe ac debere, niſi ingens ſtatim praejudicium in univerſum vitalitatis negotium redundare inde debeat.

§. LII.

Ne quis tamen hoc in judicio de pulſuum varietate formando ſeduci ſeſe patiatur, conſiderare eum oportet, non omnem pulſus mutationem ingens ſtatim periculum portendere, cum à paſſionibus animae fortioribus, potu ſpirituoſo & vehementiore corporis motu admodum frequenter mutari ſoleat: Nihilominus pulſum (ſepoſitis hiſce circumſtantiis) mutari nunquam obſervabimus, quin in oeconomia vitalium motuum aliqua ſingularis mutatio contigerit, quatenus principium vitale de corporis integritate conſervanda vigili cura ſollicitum vel motu tali extraordinario inſurgit adverſus quodcunque impedimentum, eidem objectum, vel noxam jam actu illatam removere ſtu-

ſtudet. Unde jam ſuperius animadverſum eſt, pulſum ejusque robur vel debilitatem de ipſius quoque principii agentis robore & activitate vel contraria debilitate firmum perhibere teſtimonium.

§. LIII.

Primariae pulſuum differentiae in hiſce fere conſiſtunt: Ratione *vigoris*, qui in motu cordis obſervatur, pulſus alius eſt *fortis* ſeu *vehemens*, alius vero *debilis*. Intuitu temporis alius eſt *celer*, alius *tardus*. Ratione numeri alius eſt *frequens*, alius *rarus*. Reſpectu ordinis & *rythmi* alius eſt *aequalis*, alius *inaequalis*, ad quam poſtremam claſſem etiam pertinet *myurus*, *intermittens*, *undoſus* ſeu *undulatorius*, ad quem nonnulli etiam *vermicularem* & *formicantem*, *tremulum* & *caprizantem* referunt.

§. LIV.

Pulſus *fortis* & inſuper magnus & aequalis roboris naturae, & *debilis* ejusdem debilitatis index eſt: Unde cunctis in morbis bonum ſignum praebet, quia de vigore & activitate naturae viriumque praeſentia teſtatur. Subinde tamen pulſus quoque fortis in deliriis phreneticis & febribus inflammatoriis obſervatur, ſed is inaequalitate ſua à priori facile diſtingui ſeſe patitur: Debilis contra raro bonus eſt, quia de naturae enervatione, tergiverſatione & meticuloſitate teſtimonium perhibet. Nonnunquam tamen pulſus ejusmodi fortis ac vehemens extraordinarium naturae robur indicat, quo vires ſuas omnes jungendo periculis imminentibus ſeſe opponit, fruſtra tamen ſubinde ſeſe defatigando, morbo ſuccumbit.

§. LV.

Celerem atque *frequentem* quod attinet pulſum, is plerumque febrium ſignum pathognomonicum praebet. *Celeri*, qui, pluralitatem non aeque involvens, breviſſimo temporis ſpatio abſolvitur, *tardus* opponitur, ad cujus decurſum longior temporis mora requiritur. *Frequens*, rationem

numeri utique involvens, is dicitur, qui in certo temporis ſpatio numeroſius ſuccedit, parva nempe temporis mora inter unum & alterum pulſum interjecta. Oppoſitus eidem eſt *rarus*, qui nempe rarius recurrit ſeu longiora ſervat intervalla inter duos pulſus interjecta. Uti vero celeritas pulſus denotat activitatem & vigilantiam naturae ad removendum obſtaculum vel averruncandum periculum ſive verum ſive apparens: Ita frequentia ejusdem aſſiduitatem indicat, qua jugi & adſidua laborum ſuorum continuatione tandem urgens periculum ſive verum ſive apparens amoliri ſtudet.

§. LVI.

Quoad reliquas pulſuum ſpecies, quales ſunt myurus, undulatorius, vermicularis, formicans &c. illae cum & rariores ſint, & vix aliis in ſubjectis, quam agonizantibus & moribundis obſervari ſoleant, plerumque funeſtum eventum & mortem mox ſecuturam indicant, ac proinde prolixa conſideratione non indigent.

§. LVII.

Ut quis tamen in ſingulis hiſce pulſuum differentiis recte diſcernendis verſetur & ab erroribus immunem ſeſe praeſtet, requiritur, ut frequenti & repetito experimento ſingulorum temperamentorum pulſus habeat perſpectos atq; exploratos; Qui enim pulſuum regularitatem rite obſervaverit, is tanto erit habilior ad anomalias quaſvis detegendum. Ita ſanguineorum pulſus ordinarie eſt moderatus & aequalis, cholericorum vero fortis ac vegetus; Phlegmaticorum pulſus eſt mollis, ſimulque ſegnis atque tardus; Ubi contra melancholicorum pulſus tardus quidem eſt, attamen durus & ſic ſatis fortis. Qui vero hoc modo pulſum regulariter ſeſe habentem in ſingulis iſtis temperamentis agnovit, is deinde irregularitates ſeu anomalias tanto facilius cognoſcet.

§. LVIII.

Denique huc pertinent ſigna, ex juvantibus atque nocentibus, haereditaria diſpoſitione malisque populariter graſſantibus haurienda. *Juvantia* & *nocentia* dum attendit medicus, prudentiam ſibi adquirit, ea in uſum vocandi, ex quibus juvamen hauſerunt aegrotantes, ea vero caute vitandi, quae eminens aliquod damnum eidem intulerunt. Non minus *haereditariae diſpoſitionis* notitia ad determinandos vel praedicendos certos quosdam morbos ſuam confert ſymbolam, uti in phthiſicis, hecticis, arthriticis, haemorrhoidariis &c. conſpicimus. Nec denique mala epidemice graſſantia hic ſunt negligenda, quae quippe pariter medicum diagnoſten de ſpecie morbi inſtruunt, ſicuti in variolis & morbillis, febribus petechialibus &c. ſpecimina luculenta ſeſe ſiſtunt.

CAPUT TERTIUM.

De

Praecipuis fontibus, ex quibus ſigna Prognoſtica petenda ſunt.

§. I.

Quemadmodum ſigna *diagnoſtica* morbum praeſentem, ejusdemque indolem, cauſam, partem adfectam reliquasque proprietates manifeſtant: Ita *Prognoſtica* ſtatum ejusdem futurum, durationem nempe, eventum ejusque modum determinant. Triplex eorundem differentia eſt; Alia enim ſunt ſigna cruditatis & coctionis, quae potiſſimum in urinis, excrementis alvi, ſputis & apoſtematibus ſeſe manifeſtant; Alia ſalutis & mortis ſigna conſtituunt, ad quae, praeter urinas & excrementa alvina, pertinent etiam diaphoreſis & ſudores, reſpiratio facilis vel difficilis, pulſus, varia faciei diſpoſitio, decubitus ratio decens vel indecora, morbique tolerantia facilis vel difficilis; Alia denique ſunt critica ſeu judicatoria ſigna, quae

ex ſubita morbi mutatione ſive in melius ſive in deterius innoteſcunt: Quibus tamen alia addenda ſunt, quae ut ſigna tantum ſeſe habent, ſuntque deliria, vigiliae, ſomnus profundus, dolores capitis, difficiles ſenſus, inquietudo, tenebrae vel ſplendores oculis obverſantes, aurium ſonitus, lachrymae involuntarie profluentes, labri inferioris agitatio, facies & oculi praeter modum rubentes, hypochondiorum retractatio, nauſeae, aeſtus, ſitis vehemens, nox praeter rationem laborioſior atque moleſtior &c.

§. II.

Primum itaque locum tenent ſigna *coctionis* atque *cruditatis*. Uti vero per *coctionem* intelligimus ſufficientem materiae morbificae in morbis acutis ſubactionem, correctionem & praeparationem, qua ita correcta & praeparata corpore expelli queat: Ita per *cruditatem* denotamus inſufficientem materiae morbificae praeparationem, propter quam minus diſpoſita eſt, ut corpore excerni queat; Unde urina pariter atque alia excrementa cruda permanentia ſemper periculoſum vel funeſtum morbi ſtatum denunciant, ſicuti coctionis ſigna, quocunque etiam tempore in excretis conſpicienda ſeſe praebeant, bonum ſemper eventum pollicentur.

§. III.

Pertinent huc Practicorum obſervationes de urinis, modo coctionem modo cruditatem humorum denunciantibus in febribus, in quibus quippe febrilium ſe- & excretionum ſucceſſus & ex illis ipſi quoque eventus tam ſalutares quam minus ſalutares omnium optime cognoſci poſſunt. Hujus generis ſunt: Urinam admodum rutilantem, ſimul tamen limpidam, magnum ſanguinis orgasmum motuumque febrilium impetum nec non ſymptomatum excerbationem & conſequenter difficilem motuum febrilium ſe- & excretoriorum ſucceſſum ſignificare; Et aeſtum febrilem tanto majorem eſſe, quo intenſius urina ruffeſcit.

ruffeſcit. Unde poſt quartum diem nullo craſſo adparente ſedimento, malum praebet indicium; Cujus rei contrarium obtinet, ſi dicto die coctionis ſigna adpareant in urina, denotantia nempe, febrilem materiam ad ſalutarem excretionem diſpoſitam atque praeparatam eſſe, inprimis ſi conſtanti tenore ita fluere continuet: Alias enim, ſi ſequentibus diebus denuo mutetur & limpida evadat vel ſaltem praeſentia ſymptomata proportionate non leventur, vel nova conjungantur, novum portendit periculum.

§. IV.

Huc etiam ſpectant ſequentes obſervationes: Urinas admodum rutilantes, & ſpiſſam quidem conſiſtentiam offerentes, ſed turbidae manentes, nihilque ad fundum praecipitantes, identidem malas & ominoſas eſſe; Urinas copioſas quidem, attamen tenues & aquoſas, non tantum ſine ſedimento, ſed & nullo critico die ſuccedentes, nihil inprimis morbum ſublevantes, eſſe mali quoque ominis. Quibus in febribus urinae conturbatae, quales urinae jumentorum eſſe ſolent, excernuntur, illis dolores capitis vel adſunt, vel aderunt, inquit *Hippocrates*. Urina tenuis, pallida & aquae inſtar limpida in morbo provectiore lethale ſignum offert. Urinae foetidae in acutis corruptionem putredinoſam & mortem mox ſecuturam indicant: Urinae crudae manentes nullaque coctionis ſigna exhibentes, ambiguam febrium conditionem deſignant, & ſi poſt ſeptimum diem nulla ſequatur mutatio, nono die mors metuenda eſt. Si jumentorum urinis ſimilis in continuis excernatur, adfectus comatoſos, phreneticos vel narium haemorrhagias, in malignis vero aphthas, prunellam vel retroceſſionem exanthematum deſignat. Si in febri ſynocha ſimplici poſt quartum diem urina nulla coctionis ſigna exhibuerit, quin rubicunda & pauca inſuper quarto die prodierit, ſudores largi critice ſuccedentes febrim ſolvunt. Urina in continuis turbida manens nec oportune ſedimentum deponens, febris ſtatum relinquit dubium, imo quovis modo in deterio-

teriorem potius quam meliorem conditionem degenerat. Nec enaeorematі in urinis adparenti tuto fidendum eſt.

§. V.

Has vero ſimileſve obſervationes practico-clinicas ſi quis attente expenderit, nunquam cum *Ammanno* paria faciet, qui, communi *Galenicorum* conſenſu non obſtante, *ſigna coctionis* pariter atque *cruditatis nulla dari*, audacter adſeverat; Quanquam ficulneas adferat rationes, quibus adſertum ſuum confirmat; Quales ſunt: Aegrum ſaepius mori, antequam medicus ſigna coctionis ex urinis expectare vel conſpicere poſſit; Omnem materiam peccantem à natura expelli, comprehendendo tamen etiam ſub ſpecie expulſionis metaſtaſin ſeu translationem materiae: Jam vero in febribus, ubi copioſum eſſet ſedimentum (quod quippe in febribus pro humore crudo à Galenicis haberetur) in urina eſſe ipſam materiam peccantem, quae à natura expelleretur; Nam, inquit porro *Ammannus*, ſi cocta eſſet urina circa finem morbi, id quod ex claritate ejusdem praeſagire vellent, tunc per ſudorem eadem non expelleretur, ſine quo tamen nulla febris perfecte judicaretur. Hiſce addit: Quod in tertiana v. g. urina prodeunte clara, nihilominus mors interdum ſequeretur, id quod fieri tamen non deberet, ſiquidem ſigna coctionis ſigna ſalutis eſſent. Item: Quod, apparente ſedimento copioſo, nihilominus evaderent aegri, licet id theſi eorundem repugnaret, cum cruditates ſint ſigna mortis. Denique ſubjungit: In malignis nullum in urinis adparere ſedimentum, ſed claras ac tenues eſſe easdem, & tamen mori; Interdum vero copioſum ineſſe ſedimentum, & praeter tamen opinionem evadere aegrotantes. Denique quaerit, quod ſi haec ſigna tanti eſſent, cur peptica non adhiberent Practici, & ſic naturam in coquendis humoribus adjuvarent? Itaque concludit: Se nec in tertianis, multo vero minus in malignis ſigna coctionis deſiderare vel expectare, vel quenquam, ut expectaret, jubere, cum omnia judicio Practici periti in

ſolidum

ſolidum relinquenda ſint. Verum cum ad ſingula haec argumenta non difficulter reſponderi queat, tempus in eorundem confutatione inutiliter non teremus.

§. VI.

Interim talia *cruditatis* vel *coctionis* ſigna in ipſis quoq; *ſputis* attendenda ſunt. Hinc eſt, quod pleuriticis & peripneumoniacis lethale ſit ſignum, ſi vel nulla vel pauca rejiciantur ſputa; Cum contra uterque adfectus brevioris durationis ſit, ſputo in principio horum morborum proportionate rejecto. Riverii obſervatio eſt: Sputa alba, laevia, aequalia, non admodum tenuia vel craſſa, quaeque & prompte & facile rejiciuntur, ſine multa tuſſi & dolore vehementi, ſalutaria eſſe. *Hippocrates* adnotavit: Sputum flavum ſanguine permixtum, non tamen multo, in principio peripnevmoniae rejectum & ſalutare eſſe & valde prodeſſe: Septimo vero die aut ſerius, minus amplius ſecurum eſſe. Idem omnia ſputa, dolores non ſedantia mala pronunciat. Non minus ſputa viſcoſa, craſſa atque glutinoſa in morbis pectoris inflammatoriis peſſimae ſunt indolis. Tanto pejus eſt, ſi dictis in adfectibus ſputa plane ſupprimantur. Similiter ſputa rotunda aut grandinis formam referentia ſunt exitioſa.

§. VII.

Porro in ipſis quoque excrementis alvinis cruditatis aeque atque coctionis ſigna ſeſe conſpicienda praebent. Sic albae dejectiones quibuslibet in morbis malae ſunt, ſpeciatim aquoſae dejectiones in febribus; Foetidae vero & cadaveroſae in acutis peſſimae ſunt; Si vero liquida alvi dejectio in morbi augmento, inprimis vero circa dies criticos craſſitiem adquirat, bona eſt.

§. VIII.

Denique in ipſis quoque apoſtematibus & tumoribus, v. g. parotidibus, bubonibus &c. coctionis atque cruditatis ſigna

ſigna adparent. Ita ſi poſt coctionis ſigna in partibus ignobilioribus & ab adfecto loco remotioribus abſceſſus oriantur & cito ad maturationem ſuppuratoriam tranſeant, bonum id eſt indicium, & contra. Similiter quo laudabilior eſt materia purulenta, i. e. alba, aequalis, inodora, eo magis ſalutarem talis abſceſſus eventum pollicetur. Quicunque abſceſſus in principio morbi ſtatim adparent, nullumque adferunt levamen, ſed cito regrediuntur, pernicioſi ſunt.

§. IX.

Aſt miſſis ſignis *cruditatis* & *coctionis*, ad ſigna *ſalutis* ac *mortis* tranſeundum eſt, quae ex variis iterum fontibus petuntur, & quibus eventus morborum tam ſalutares quam lethales medico innoteſcunt: Qua in re cum praecipitem offendat occaſionem errandi: Hinc in praedicenda vita vel morte tanto majore circumſpectione utendum, atque ad virium conſtantiam vel dejectionem, ad ipſam partem laborantem, ſymptomata conjuncta & cauſas reſpiciendum eſt. Si itaque vires ſic ſatis adhuc conſtent, morbus aetati, temperamento, anni tempori, habitui &c. congruus fuerit, actus rationales, animales ac vitales non valde perturbati, ſymptomata nec valde extraordinaria nec in principio ſtatim morbi conjuncta &c. eventum proſperum ſperare licet: Contra vero ſi vires fuerint dejectae, morbus ipſe, qui patientem adfligit, incongruus fuerit, ſinguli oeconomiae animalis ac vitalis actus turbati, morbus quoque extiterit acutus cum gravioribus imo inſolitis ſymptomatibus, & quidem in principio ſtatim adparentibus conjunctus, medicamenta exhibita nullum vel ſaltem adfectui non reſpondentem edant efficaciam, & nulla inſuper evacuatio critica conſequatur, periculoſum, ambiguum quin ſaepius lethalem ſequi effectuum & eventuum experiri licet.

§. X.

Fontes, ex quibus ejusmodi ſigna hauriuntur, varii ſunt, quos inter omnium primo referimus *pulſum*, de quo ſequen-

ſequentes tenendae Practicorum obſervationes: Uti pulſus fortis, ſi ſimul magnus fuerit & aequalis, naturae vigorem & activitatem in plerisque morbis denotat, atque adeo nihil ominoſi involvit: Ita in febribus acutis, in ſtatu potiſſimum conſtitutis, metum inflammationum internarum & deliriorum phreneticorum, vel haemorrhagiarum oriundarum incutit. In variolis, priusquam erumpant, ejuſmodi pulſus portendit motus epileptico-convulſivos, & poſtquam effloruere, metum periculoſae retroceſſionis injicit. Contra pulſus debilis, inprimis in principio morborum ſtatim adparens, nullibi tutus eſt: Quia teſtis eſt debilitatis naturae viriumque proſtratarum, quo in ſtatu dum verſantur aegri, parum ſpei ſupereſt, ſalutarem quandam pro totius febris ſucceſſu & ſolutione ſe- & excretionem eſſe ſecuturam.

§. XI.

Quemadmodum porro pulſus celer atque frequens omnium febrium ſignum pathognomonicum conſtituit: Ita nihilominus celeritatem iſtam oportet eſſe proportionatam; Quia, ſi exceſſu peccaverit, motus febriles ad ſe- & excretionem materiarum peccantium ſpectantes, non parum turbare ſolet; Cum contra intra mediocritatis terminos conſiſtens iſta pulſus celeritas, ſingularem naturae activitatem, qua ad removendum aliquod obſtaculum vel plane avertendum eminens aliquod periculum opus eſt, indicat. Quod ſi vero pulſus iſte celer ſimul magnus, plenus atque durus evadat, metus juſtus adeſt, ne inflammationes partium internarum ſuboriantur. Si celeritas cum frequentia ac debilitate conjungatur, tunc plerumq; ingens ſubeſt periculum. Pulſus frequens raro etiam boni quippiam ſignificat, & ſi ſubito frequentia talis cum raritate permutetur in febribus, utplurimum funeſtum portendit exitum.

§. XII.

Omnis pulſus inaequalis, cum ſuis ſpeciebus, uti magnam naturae debilitatem viriumque proſtrationem denotat:

notat: Ita valde non modo periculoſus, ſed & utplurimum funeſtus eſt. *Tremulus* mortem inſtantem, *undoſus* in *vermicularem* vel *formicantem* degenerans funeſtum pariter eventum indicat, & *caprizans* convulſionum index eſt.

§. XIII.

Pertinet huc *reſpiratio*, ad cujus ſucceſſum ſive liberiorem ſive impeditiorem tanto ſolertius attendendum eſt, quo magis actus iſte neceſſarius eſt ad ſanguinis liberum progreſſum per pulmones aeque ac utrumque cordis ventriculum promovendum: Eſt enim inter utrumque hunc actum conſtans & perpetua quaſi harmonia; Siquidem perturbata reſpiratione, ipſe quoque motus ſanguinis circularis perturbetur neceſſe eſt; Et vice verſa: Aucto vel imminuto motu ſanguinis progreſſivo, ipſa quoque reſpiratio vel intendi vel imminui ſolet.

§. XIV.

Quo itaque liberius in quovis morbo, praecipue vero in acutis, reſpirant aegrotantes, eo melius eſt: Contra quo difficilius reſpirant, eo gravius impedimentum vel in pulmonibus ipſis vel in vicinis ſaltem partibus objectum tantoque gravius periculum eſſe, concludi poteſt. Si difficultas ſpirandi cum deliriis juncta fuerit in febribus acutis, tunc lethalitatis ſignum eſſe ſolet: Ubi contra, ſecundum *Hippocratis* teſtimonium & enunciatum, reſpiratio libera in omnibus morbis cum febre acuta conjunctis, ſalutare indicium eſt. Reſpiratio difficilis, anxia & laborioſa de ipſius naturae indole, quae itidem ob inſtans vel praeſens aliquod periculum anxia eſt, teſtatur. *Hippocrates* docet: Reſpirationem magnam & tardam delirium & convulſionem indicare; Magnam exſpirationem & parvam inſpirationem & contra, periculi plenas eſſe; Parvam & obſcuram reſpirationem ſemper malam eſſe; Spiritum frigidum ſeu potius exſpirationem frigidam eſſe pernicioſam. Quando in febre non intermittente difficultas ſpirandi

randi

randi & delirium contigerit, lethale eſt. Foetida exſpiratio in omni febri mala eſt, niſi vitium ventriculi vel faucium ſubſit. Ita etiam, ſecundum *Hippocratis* animadverſionem, reſpiratio frequens & parva inflammationem & dolorem partium ſpirabilium ſignificat; At vero magna & rara dementiam & convulſionem. Reſpiratio parva & rara inſtantis mortis indicium ſaepius eſt; Magna vero & rara delirium ſignificat. Reſpiratio cum ſtertore mortis ſignum eſt in acutis. Suſpiriis interrupta in iisdem ſemper quoq; mala eſt.

§. XV.

Diſpoſitio faciei, à ſtatu nempe naturali magis vel minus recedens, varia quoque ſigna prognoſtica magis vel minus ſalutaria vel lethalia ſuppeditat. Sic *facies Hippocratica*, cujus ſigna ſunt oculi concavi, naſus acutus, tempora collapſa, aures frigidae & contractae, cutis dura, color pallidus aut niger, liveſcens quoque ex his palpebra aut labrum aut naſus, tam in acutis quam chronicis, deſperatum aegrotantis ſtatum deſignat. Ingens faciei rubor aut haemorrhagiam narium criticam, aut magnam ſanguinis congeſtionem circa caput vel pectus indicat, aut deliria phrenetica portendit. Torvum vultum in acutis exhibere, malum eſt. Sudor item frigidus in fronte erumpens in acutis, peſſimum quoque indicium eſt. Malum eſt, inquit *Hippocrates*, oculos lucem refugere aut illacrymari aut diſtorqueri, & alterutrum altero minorem fieri. Oculorum hebetudo, concretio & caligatio, malum. Oculorum hebetudo cum animi deliquio, convulſifica cito. Oculorum rectus obtutus in morbo acuto, & motus celer, ſomnus turbulentus, pervigilium, interdum quoque ſanguinis ſtillatio è naribus, convulſificum. Extremitatum palpebrarum curvitas & oculi fixi & aſſidue nictare & colores permutare & palpebras inter dormiendum non committere, perniciosum eſt. Aegrotum ore hiante aſſidue dormire, exitioſum itidem eſt. In his, qui propter imbecillitatem non vident, nec audiunt, aut quibus labrum, oculus aut naſus per-

vertitur, mors denunciatur. Surditas, citra criſin contingens, & per intervalla in acutis revertens, mala eſt; Quae vero in acutis critice contingit, *comparative* bona eſt. Qui in febribus ſubrident, vel micas ante oculos obvolitantes captare videntur, illis confuſiones vel deliria imminent. Lacrymae in acutis male habentibus ſpontaneae quidem bonae, involuntarie vero profluentes malae. Oculi in acutis confracti adparentes, malum praebent indicium &c.

§. XVI.

Decubitus ratio, prout vel decens vel indecora eſt, ſpem quoque ſalutis pollicetur vel exitium minatur. Is certe omnium optimus eſt decubitus aegri, quem ſanitatis tempore ſervare ſolitus eſt. Potiſſimum vero in acutis omnis inſuetus vel indecorus decubitus exitium portendit. Malum quoque eſt, ſi aeger locum, decubitum atq; lectum aſſidue mutet. Multa corporis jactatio, cum inquietudine & anxietate, in acutis mala eſt. Ejusdem conditionis eſt gravitas totius corporis, manuum inprimis pedumque. Malum quoque eſt, ſupinum jacere, cruribus erectis vel vehementer contractis. Peſſimum vero eſt, ad pedes delabi, nullamque decubitus formam ſervare. Erectum ſedere velle, malum eſt in acutis, peſſimum autem in peripneumoniacis & pleuriticis.

§. XVII.

Ex voce & loquela non minus ſigna ſalutis ac mortis petere conſveverunt Practici. Ita vox rauca, acuta & clangoſa in morbis acutis ſummum portendit periculum. Mala quoque eſt vox clangoſa cum lingva tremula. Sic etiam vocis interceptiones cum ſingultu peſſimae ſunt. Vox acuta cum obſcuratione oculorum convulſiones minatur. Ita etiam vox clangloſa in acutis, ubi hypochondria retracta ſunt, peſſimi eſt ominis. Omnis quidem aphonia ex laeſione cerebri peſſima eſt, at in febribus acutis, undecunque orta fuerit, pernicioſa.

§. XVIII.

Ex diverſo *corporis habitu* varia quoque ſigna prognoſtica haurire licet. Sic in genere malum pronunciavit *Hippocrates*, habitum corporis in morbo magno nihil prorſus mutari. Lethale itidem eſt, ſi in acutis exteriora algeant, & interiora urantur. Malum quoque, caput, pedes manusque frigidas eſſe, ventre & lateribus calentibus. Tumor abdominis in acutis ſaepius lethale ſignum fuit. Sic etiam color flavus vel citrinus in acutis peſſimi ominis eſt. Digiti & ungves, ſi lividi fiant cum corporis gravitate, mortem in propinquo eſſe, judicare licet. Quod ſi aeger nec audiat, nec videat, pariter in propinquo mors eſt. Corpus frequenter refrigerari & viciſſim incaleſcere, periculum portendit. Extremarum partium frigiditas malum eſt indicium, niſi ob inſtantem criſin fiat. In morbis acutis peſſimum eſt ſignum, ſi abdomen inſigniter intumeſcat; Inprimis ſi alia mala ſigna juncta ſint, tunc enim inſtantem mortem indicat, ſi à flatibus originem non trahat tumor. Praecordiorum tumores duri, doloroſi & totum praecordium occupantes, brevi mortem ſignificant. Minus, ſi ſaltem in ſiniſtro ſint. In his ſolet erumpere ſanguis è naribus & juvat, praeſertim ſi morbus mutet circuitum. Et ſi tumores tales ultra 60. dies durent, in ſuppurationem labuntur. Si in morborum, praeſertim acutorum, initiis hypochondria tument aut dolent, ſanguinem in ſupernis partibus expecta, & ſi morbus cum tali dolore diu protrahatur, expecta abſceſſus ad aures, quos praecavere poteſt profuſa narium haemorrhagia: Vel, ſi diu protrahatur morbus, abſceſſus ad inferiora fient.

§. XIX.

Praeterea ad *tonum* uti totius corporis, ita partium ejusdem, prout nempe vel laxior eſt vel ſtrictior, vel, prout rigiditate ſpaſtica vel motibus convulſivis ſeſe manifeſtat, ſedulo quoque attendendum, ac proinde ad horrorem, rigorem ac tremorem, laſſitudinem atque torporem,

ſpaſmos & convulſiones, ſternutationem, ſingultum & vomitum, dolores, lipothymiam & ſyncopen ſedulo quoque animus Practici eſt advertendus. Mali itaque ſunt horrores in acutarum principio frequenter adparentes. Malus quoque eſt tremor in iisdem, ſingultus vero peſſimus. Rigores, poſt quos corpus non incaleſcit, in acutis ſunt exitioſi; Si cum calore alternent, monſtri quid alunt & malignitatem indicant; Rigores periodici ſecundum *Hippocratem* boni ſunt. Idem adſerit: A febre ardente occupato, rigore accedente, ſolutionem fieri. *Riverius* obſervavit, quod rigores in febribus continuis ſupervenientes die critico cum praecedentibus coctionis ſignis, & inſigni evacuatione ſubſequente, fuerint ſalutares. Rigor, qui urinae ſuppreſſionem vel haemorrhagiam antecedit, ſalutaris, qui vero iisdem ſuccedit, lethalis eſt ex obſervatione Baglivi. Convulſio aut ſingultus ex veratro, aut ſuperflua purgatione, aut multo ſanguine effuſo lethalis eſt aut mala. Spaſmus ſive convulſio à vulnere, ileo, haemorrhagia peſſimae eſt notae. Quicunque tetano corripiuntur, in quatuor diebus pereunt, hos vero ſi effugerint, ſani fiunt. Convulſio, inprimis in adultis, nunquam caret periculo; Quae plures partes, cerebro inprimis viciniores occupat, quaeque reſpirationem reddit difficilem & interruptam, majori cum periculo ſtipata eſt. Laſſitudo citra cauſam manifeſtam, febris prodromus eſt. In acutis periculum minatur. Quae in principiis morborum acutorum contingunt, convulſiones, minus alunt periculi, quam quae in ſtatu eorundem superveniunt. In febribus acutis convulſiones & circa viſcera dolores fortes, malum. A convulſione aut diſtentione nervorum vexato, febris accedens, morbum ſolvit. Malum eſt, in febribus circa ventriculum vehementem aeſtum & cordis morſum ſentire. Dolorem in aliqua parte non ſentire, uti tamen ſentire conveniebat, malum eſt. Dolor diutius in aliqua parte perdurans, abſceſſum praenunciat. A ſingultu detento, ſternutationes accedentes, ſolvunt ſingultum. Ex volvulo vomitus aut ſingul-

ſingultus, aut convulſio aut delirium, malum. Singultus diarrhoeae ac dyſenteriae ſuperveniens eſt peſſimus. Vomitus bilioſi aut pituitoſi, die critico erumpentes boni. A longo alvi profluvio correpto, vomitus ſponte accedens ſolvit profluvium. *Riverii* obſervatio eſt: Dolores partes ignobiles & à viſceribus longe remotas occupantes, easq; diu exercentes, apparentibus concoctionis ſignis, & qui praecipue decretorio die coeperint, ſalutares. Et dolores à partibus ſuperioribus ad inferiores deſcendentes, ſalutares itidem ſunt. In ardentibus & aliis, quibus colli dolor & temporum gravitas & caligo vertiginoſa ante oculos, aut etiam praecordiorum diſtenſio non cum dolore fit, his ſanguis per nares erumpit. Fauces doloroſae, graciles cum aegre tolerabili moleſtia, ſtrangulatoriae, pernicioſe acute. In acutis parvi tremores & vomitus aeruginoſi ſunt pernicioſi. Sonitus & tinnitus aurium in puerperis peſſimi. Similiter lingua & vox tremula in acutis exitialis eſt. Qui citra febrim aurium tinnitibus, capitis doloribus aut tenebricoſa vertigine & vocis tarditate manuumque ſtupore tentantur, in iis aut ſiderationem, aut morbum comitialem aut etiam oblivionem ſperare oportet. Qui ſaepe & vehementer ſine cauſa manifeſta animo linquuntur, ii derepente moriuntur. In malignis lipothymia ſummum portendit periculum. Oculorum obſcuratio cum animi deliquio brevi convulſionem inducit. In his, qui propter imbecillitatem non vident, nec audiunt, aut quibus labrum, oculos aut naſus pervertitur, mors denunciatur. Sitire, cum non ſitire, & non ſitire, cum ſitire debeas, malum eſt.

§. XX.

Signa quoque, de quibus hic ſermo eſt, ex lingua, dentibus ac faucibus deſumuntur. Uti vero omni in morbo bonum eſt, linguam retinere puram ac humidam; Ita ſi arida ſit & ſcabra, ſummum in febribus aeſtum ſignificat. Nigredo linguae cum ariditate ac fiſſuris aliisque pravis ſymptomatibus ſuſpecta eſt; Reliquis tamen ſignis

ſat

ſat bene ſe habentibus, non aeque ſemper pertimeſcenda. Lingua, quae in principio quidem inhorruit, in colore vero permanet, progreſſu autem temporis exaſperatur, & liveſcit & rumpitur, lethalis eſt. Lingua nigra cum ſiccitate, ſcabritie, ſciſſuris & uſtione lethalis. Dentibus ſtridere in febribus, quibus id à pueris non eſt familiare, furioſum ac lethale eſt. Dolores in faucibus gracilibus ſtrangulatorii, à capitis dolore originem trahentes, convulſorii ſunt. Fauces exulceratae cum febre difficiles ſunt. Dolores faucium in acutis ſine tumore pernitioſi. In dyſenteria linguae tumor cum deglutiendi difficultate exitium portendit.

§. XXI.

His jungenda ſunt ſigna ex deglutitione, appetitu & hypochondriorum diſpoſitione deprompta. Hinc in febribus derepente ſuffocari & deglutire non poſſe, citra tumorem, malum eſt, lethale vero, collum convertere non poſſe, neque deglutire. Si poſt febres ſuperatas inappetentia remaneat, recidivam patiuntur. Omne cibi faſtidium in chronicis malum, ſicuti, appetitum conſtare, in quovis morbo bonum. Appetitus inſolitus & cum aviditate ingeſtio facta, malus eſt & alienationem mentis denotat. Si hypochondria in infantibus febricitantibus diſtendantur & dura ſint, malum hoc eſt. At vero ſi mollia, aequalia & juſta mole praedita fuerint, ac indolentia ſint, id in omnibus morbis bonum eſt.

§. XXII.

Senſus quoque conſulendi ſunt tam interni quam externi. *Hippocrates* inquit: In quovis morbo animo bene valere, ac rebus convenienter datis gaudere, bonum; Contrarium vero malum. Hinc omne delirium malum quidem eſt, ſed non aeque periculoſum; Si enim leve, non continuum, & cum reſpiratione libera fuerit, tutius erit; Sin reſpirandi difficultas, convulſiones & alia graviora adfuerint ſymptomata, majus aderit periculum. Praedebilitatorum

tatorum deſipientiae, ut &, quae circa neceſſaria fiunt, peſſimae ſunt. Mentis perculſiones cum voce clangoſa, linguae convulſiones tremulae & voces tremulae evadentes, mentis alienationem indicant. Deliria vero cum ſopore convulſoria ſunt. Deſipientiae cum riſu oborientes, ſeveriores ſunt; Cum ſtudio vero ſerio, periculoſiores. Mente moti, acute inſuper febrientes, phrenetici fiunt. Deſipientiae, quae jam admodum fractis & debilitatis viribus ſuccedunt, peſſimae ſunt. Ubi in febre non intermittente, difficultas reſpirandi fit & delirium, id lethale eſt; Ubi vero ſomnus delirium ſedat, bonum eſt. *Riverii* obſervatio eſt, quod in phrenitide ſubitanea reſipiſcentia, febre acuta perſeverante, & nulla criſi praegreſſa, mortem in propinquo eſſe ſignificet. Omnis oblivio ſubito exorta, mala eſt; Quae poſt epilepſiam vel apoplexiam ſequitur, peſſima eſt. Torpores ac ſenſus ſtupiditates, praeter morem contingentes, futurae ſiderationis ſignum ſunt.

§. XXIII.

Non minus ſenſus externi ſigna ſalutis ac mortis ſubminiſtrant: Spectant huc variae *Hippocratis* aliorumque ſolertium Practicorum obſervationes: Qui circa febrim aurium tinnitibus, capitis doloribus & tenebricoſa vertigine, & vocis tarditate manuumque ſtupore tentantur, in iis aut ſiderationem aut morbum comitialem aut etiam oblivionem ſperare oportet. Sonitus & tinnitus aurium in puerperis peſſimi ſunt ominis. Surditas, quae in acutis critice fit, bona eſt; Quae vero per intervalla in illis obſervatur, quaeque citra criſin contingit, mala eſt. In febre non intermittente, ſi labium aut ſupercilium aut oculus aut naſus pervertatur, ſi non videat, ſi non audiat, corpore jam debili exiſtente, quicquid horum fiat, in propinquo mors eſt. Si olfactus in extrema virium debilitate pereat, mortem inſtantem indicat. Similiter: Cibos & potus & medicamenta oblata putria atque graveolentia videri, malum eſt. Si poſt phrenitidem aut alium gravem capitis morbum ſur-

ditas ſuccedat, priore morbo ceſſante aut allevato & facultate non debilitata, bonum eſt.

§. XXIV.

Neque ſomnus atque vigiliae hic ſunt omittendae, quorum utraque modum excedentia, ſecundum *Hippocratis* teſtimonium, mala ſunt. Sic etiam ſomnus multus in acutis convulſiones minatur. Malus etiam eſt ſomnus in morbo laborem afferens. Exitioſum quoque eſt, ubi aegrotus ore hiante aſſidue dormiverit, niſi in ſtatu ſanitatis ita facere conſueverit. Omnis ſopor in principio & ſtatu morbi malus. Ubi ſomnus delirium ſedat, bonum eſt. Somni profundi, non turbulenti, firmam judicationem ſignificant. Somni ſoporoſi & perfrigerationes ſunt pernicioſae. Oculorum rectitudo in morbo acuto & motus velox & ſomnus turbulentus & vigiliae & quandoque ſanguinis è naribus ſtillationes, nihil boni ſignificant. Vigiliae in acutis, exceptis iis, quae inſtantem mutationem criticam comitantur, malae ſunt. Ex vigilia convulſio aut delirium, malum.

§. XXV.

Denique humorum, quin ipſorum quoque excrementorum indolem variam conſiderare oportet, quorſum ſanguis, ſaliva, mucus, bilis, excrementa alvina, urina, ſudores &c. referenda ſunt.

§. XXVI.

Ex ſanguine quoad craſin, conſiſtentiam, colorem & motum conſiderato talia formari poſſunt praeſagia: Sanguis floridus, flammeus, ſpumoſus & cum impetu ex vena ſecta proſiliens magnum aeſtus febrilis gradum, reſpirationem valde laborioſam, inquietam corporis jactationem, vaſorum oppletiones & ortas inde cephalalgias imo deliriorum metum indicat. Sanguis lividus atque nigricans, qualis in febribus bilioſis ſubinde obſervatur, de impeditiore ſe- & excretionum ſucceſſu, internis anguſtiis, perverſione typorum febrilium, affectuum ſoporoſorum alio-

rumq;

rumque gravium ſymptomatum metuenda invaſione, teſtimonium perhibet. Sanguis ſpumoſus ſimulque cuticulam variegati coloris in ſuperficie exhibens de congeſtionibus ſanguinis inflammatoriis, pleuriticis, peripnevmonicis, phreniticis, nephriticis &c. teſtatur. Sanguis in febribus continuis ſpiſſus & nigricans, difficulter ex vena, licet legitime tuſa effluens, peſſimum omen offert. Si ſanguis febricitantium vel adverſum vel plane cadaveroſum odorem exhalet, vel periculoſum vel lethale eſt indicium. Si menſes extra ordinem in acutis fluant, magnum portendunt periculum; Imo, ſi conſueto etiam tempore fluant, ſunt tamen ominoſi, ex obſervatione *Waldſchmidii*. An vero ideo fallat *Hippocratis* experimentum, ſcribentis, quod mulieres, quibus die critico menſes eruperant, omnes periculo morbi defunctae ſint, & quod nullam ex his, quibus recte id contigerit, mortuam viderit, merito ambigo. In pleuriticis & peripnevmonicis acutis affectibus rarius eruptionem menſium ſalutarem fuiſſe animadvertimus. Haemorrhagia in acutis larga, non tamen nimia, quaeque cum ſymptomatum mitigatione contingit, atque aegrotantis conſtitutioni & morbi indoli reſpondet, bona eſt: Narium vero ſtillicidium malum eſt.

§. XXVII.

Ex ſaliva & muco variaque eorundem conſtitutione varia non minus ſigna haurienda ſunt. *Hippocrates* inquit: Quod ſi ſaliva non probe purgetur, & ſpiritus fuerit frequens & purgatio non praevaleat, praedicendum eſt, nullam vitae ſpem reliquam eſſe. Nimia faucium ſiccitas in inflammatione faucium atque pectoris, bona judicari non poteſt. Frequens ſputatio phrenitidem vel maniam indicat. Ptyaliſmus criticus febres continuas nonnunquam ſolvit. Saliva ſpiſſa ſimulque foetida malum in febribus continuis indicium praebet; Subinde etiam faucium exulcerationem & aphtharum praeſentiam prodit. Mucus per pulmones rejectus quo magis à naturali ſuo colore

recedit & ad viriditatem vel flavedinem vergit, eo certius de majori corruptionis gradu teſtatur. Plus tamen damni tenuis, quam ſpiſſus mucus in pulmonibus reliquisque organis ſpiritalibus cauſatur. Sputum aequale, non foetidum, quodque ſine magno dolore & labore in morbis pectoris rejicitur, albo calculo dignum eſt, ex obſervatione *Waldſchmidii*, qui etiam teſtatur, quod ſputationem frequentem in variolis & morbo Hungarico nunquam malam fuiſſe viderit. Sputum paucum vel nullum in pleuriticis & peripnevmonicis, in ſtatu potiſſimum verſantibus, funeſtum eſt indicium; Si vero ſtatim, venientibus morbis appareat, illos abbreviat. Ex angina ſubarida frequentia ſputa cum tuſſi, lateris dolorem inducentia, ſunt perniciosa. Sputum flavum ſanguine non multo permixtum ſi in pulmonis inflammatione in principio morbi rejiciatur, ſalutare eſt ac valde prodeſt; Si vero ſeptimo die aut ſerius, minus ſecurum eſt. Omnia ſputa, dolorem non ſedantia, mala ſunt & contra. Sputum viſcoſum, craſſum & glutinoſum in pleuritide ac peripnevmonia eſt peſſimae indolis. A ſanguinis ſputo, puris ſputum, malum. Exſcreationes in febribus non intermittentibus lividae & cruentae & graveolentes & bilioſae, omnes malae. Sputum rotundum aut grandinis formam referens, exitioſum eſt. A tabe vexatis ſi ſputum, quod extuſſiunt, prunis ſuperfuſum gravius oleat, & capilli de capite defluant, lethale eſt.

§. XXVIII.

Non minus varius bilis ſtatus attendendus eſt; Hinc dejectiones virides, aeruginoſae, lividae & diverſicolores ſunt exitioſae. Per quorumvis morborum initia, bilem atram ſupra vel infra prodire, lethale eſt. Quibus per morbos acutos aut diuturnos aut vulnera aut alium quemvis modum extenuatis, bilis atra aut veluti ſanguis niger ſubierit, ii poſtridie moriuntur. Inteſtinorum difficultas ſeu dyſenteria, ſi ab atra bile ortum duxerit, lethalis. Mala quoque eſt, ſecundum *Hippocratis* teſtimonium, egeſtio alvi ſpumoſa, circum bilioſa.

§. XXIX.

Ex ſudoribus quoque ſigna ſalutis ac mortis haurire licet; Qualiscunque enim ſit ſudor, inquit *Hippocrates*, ſi aegrum non juvat, inutilis eſt. Omnis etiam ſudor particularis eſt ſymptomaticus. Copioſi ſudores cum repentina virium proſtratione in principio variolarum ſunt lethales. Sudores nocturni poſt coenam largiorem boni ſunt; Colliquativi vero hectici, vires enormiter proſternentes, exitioſi. In forti apoplexia cum magna ſpirandi difficultate ſudor ſubortus lethalis. Characteres bonorum ac ſalutarium ſudorum ſunt, juſto, nempe critico tempore, ſufficienter ac moderate, & quidem circa paroxyſmorum febrilium remiſſiones, & quidem è tota corporis circumferentia ſuccedere, nec frigidum eſſe ſed calidum & morbo levamen adferre; Quae omnia complexus eſt *Hippocrates*, dum inquit: Sudores optimi ſunt in omnibus acutis morbis, qui diebus judicatoriis fiunt, & febrim perfecte tollunt: Boni vero ſunt, qui per totum corpus contingentes, hominem facilius morbum ferre faciunt: Qui vero tale quid non effecerint, incommodi ſunt. Peſſimi autem ſunt frigidi & tantum circa caput & faciem oborientes & circa cervicem. Sudores frigidi in febre quidem acuta oborti, mortem; In mitiori autem morbi prolixitatem ſignificant. Sudores febricitantibus boni, qui coeperint tertio die, quinto, ſeptimo, nono, undecimo, decimo quarto, decimo ſeptimo, viceſimo primo, viceſimo ſeptimo, triceſimo primo & triceſimo quarto: Illi enim ſudores morbos judicant: Qui vero tales non ſunt, laborem & morbi longitudinem ejusque reverſionem ſignificant. Sudor copioſus, calidus aut frigidus ſemper fluens, frigidus majorem, calidus minorem morbum ſignificat. Sudores in diebus judicatoriis oborientes, vehementes & veloces, periculoſi ſunt: Et qui expelluntur ex fronte velut guttae & aquae ſcaturientes: Et frigidi valde ac multi; Neceſſe enim eſt, ejusmodi ſudorem prodire cum violentia & laboris exceſſu ac expreſſione diuturna. Omnis ſudor particularis in

 febribus

febribus malus eſt. Sudor hecticorum frequens, copioſus & olidus malus eſt, colliquativus vero plane funeſtus. Nec boni quicquam indicat ſudor cum alternante horripilatione procedens. *Riverii* obſervatio eſt: Sudores, qui cum manifeſtae concoctionis ſignis, die critico & rigore praecedente, ex toto corpore, calidi, copioſi, ſtillantes & cum vapore erumpunt, & quibus febris vel perfecte ſolvitur, vel admodum imminuitur, bonos eſſe. Contra ſudores, ut ut copioſi, corpus tamen ſine manifeſta cauſa ſenſibiliter fatigantes, nunquam boni ſunt. Sudores aſſidui, ſive modici illi ſint ſive copioſi, in febre acuta mali. A ſudore horror, non bonum. Sic etiam frequentes ſudoris & horroris alternationes malae ſunt. Sudores foetidi in morbis acutis peſſimi ſunt moris. *Baglivus* adnotavit: Quod, ſi eodem tempore in acutis & gravibus morbis, duae criſes, ſudor ſc. & alvi fluxus ſuperveniant cum pauco levamine, fere omnes moriantur. aut, ſi non moriantur, pernicioſe tamen laborent.

§. XXX.

De excretione alvina ac vomitu ſequentes Practicorum obſervationes tenendae ſunt. Uno die fluere alvum, ſaepe pro valetudine eſt, atque etiam pluribus, ſi abſit febris, & intra ſeptimum diem conquieſcat. Dejectiones virides, aeruginoſae ac diverſicolores ſunt exitioſae. Dejectiones cruentae in variolis aliisque morbis acutis ſunt periculoſae. In morbis pectoris omnis copioſa dejectio, mala eſt. *Riverius* inquit: Omnem copioſam alvi dejectionem in quolibet morbo malam quidem, ſed peſſimam eſſe, ſi cum ventre tumido efferatur. Sic & in febribus & morbis infantum dejectiones aquoſae malae ſunt. Liquida alvi dejectio in progreſſu morbi, & inprimis circa dies criticos craſſitiem acquirens, bona eſt. In alvo liquida laſſato, caput dolenti, ſiticuloſo, vigilanti, obſcure loquenti, impotenti, quibus talia ſunt, his timor eſt, ut mente moveantur. A pleuritide & peripnevmonia detento, alvi profluvium ſuperveniens, malum. Dejectiones crebrae, bilioſae,

oſae, dyſentericae in acutis morbis ſunt exitiales. Dejectiones alvi foetidae, cadaveroſae in acutis peſſimae. Ejusdem indolis ſunt nigrae, ſpumoſae, pingves & viſcoſae.

§. XXXI.

Quoad vomitum has notamus obſervationes: Faeces vomere in ileo, lethale quidem pronunciavit *Hippocrates*, cujus tamen contrarium in nonnullis iliacis viſum eſt. Malum tamen eſt ab ileo vomitus, aut ſingultus aut convulſio aut delirium. Vomitus in acutis augures ſunt periculi. Malae quoque ſunt vomitiones ſincerae, virides, nigrae, lividae, rubrae, varii coloris in acutis. Si tamen die critico erumpant vomitus bilioſi aut pituitoſi, boni ſunt. Vomitus lividus, ſi graveolens fuerit, mortem celerrimam ſignificat; Mali vero ſunt omnes putridi ac foetidi odores in omnibus vomitibus. Omnis quoque vomitus paucus & laborioſus in febre acuta, malus eſt.

§. XXXII.

Agmen claudant urinae, quae, licet magis coctiones ſeu ſeceſſiones materiarum in febribus detegere doceant, ut ſigna tamen ſalutis atque mortis ſubinde etiam attendendae & conſulendae ſunt; Quare ſequentes Practicorum obſervationes hic memori mente tenendae ſunt: Largior mictio in acutis mala; In intermittentibus vero eſt hecticae prodromus. Si tamen die critico erumpat copioſior urina, ſalutem pollicetur. Quibus ſpes eſt, abſceſſum fore ad articulos, eos abſceſſu liberat urina multa & craſſa. Urinae multae, tenues, aquoſae ſine contentis, nullo critico die contingentes, nihilque ſublevantes, malae ſunt. Urinae ſuppreſſio in acutis poſt frigus, peſtifera. Quibus in febre urinae conturbatae, qualis jumentorum, his capitis dolores aut adſunt aut aderunt. Si cum talibus urinis adſint vigiliae, ſitis, dolor capitis & alia ſymptomata, his delirium eſt denunciandum; Si vero ſopor, capitis gravitas cum pulſu parvo, his ex obſervatione *Baglivi* lethargus

thargus praedicendus eſt. Urina craſſa, turbida talisque permanens, adeo ut etiam igni appoſita non clareſcat, mala eſt: Contra urinae tenues, niſi ſimul bono gaudeant colore, ſemper in acutis ſunt ſuſpectae indolis. Quibus urinae pellucidae, albae, malum: Maxime autem in phreniticis obſervantur. Urina, quae clara mingitur, deinde vero poſt aliquod demum tempus conturbatur, bona eſt. Ejusdem conditionis eſt urina, quae craſſa quidem, turbida & confuſa mingitur, deinde vero per ſeipſam clara ac limpida redditur. Urina rutilans, craſſa, nubeculam quaſi formans, circa dies criticos in febribus emiſſa, difficilem morbi ſolutionem indicat, niſi forte per haemorrhagiam aut ſudorem criticum auxilium feratur aegrotanti. Urinae nigrae in acutis apparentes, ſunt pernicioſae. Urina antea clara, deinde vero ſedimentum in febribus deponens, die inprimis indicatorio, morbi ſolutionem brevi futuram promittit: Sin clara, ſine ullo ſedimento, ad undecimum diem & ultra permanſerit, funeſtum morbi eventum portendit. Sedimentum craſſum, in quovis morbi tempore apparens malum; Lividum vero ac nigrum peſſimae indolis eſt. Sic etiam enaeorema divulſum, inaequale & nigrum, malum. Et nubecula juxta ſuperficiem circuli modo evecta, in morbis acutis peſſima eſt. Sedimentum album ac leve in febribus optimum eſt; quia celerem morbi ſolutionem ſignificat; Rubens vero, die quarto adparens, ejusdem ſolutionem die demum ſeptimo futuram indicat. Urinae, quae inſciis prodeunt, peſſimae ſunt, & foetidae in acutis indicium praebent corruptionis putredinoſae mortisque inſtantis.

§. XXXIII.

Verum ſufficiant haec de indiciis ſalutis mortisque. Progrediendum nobis nunc eſt ad ſigna critica ſeu judicatoria, quae criſin ſive futuram ſive jam praeſentem manifeſtant: Ubi primum in genere contra *Waldſchmidium* aliosque recentiores obſervandum eſt, varios ſolutionum modos

modos in morbis acutis, quos criſes adpellitant, non eſſe tumultuarias perturbationes, deinde ancipitis ejuſmodi eventus mutationes ob climatis diverſitatem aliasque imaginarias cauſas rarius apud nos contingere, & cauſam denique, criſes moventem eſſe aetherem conſvetum una cum figura ac motu particularum ſanguinem conſtituentium, non excluſa tamen etiam partium ſolidarum fabrica atque textura, quae quippe omnia gratis adſerta eſſe, ex dicendis mox patebit.

§. XXXIV.

Quod enim primo criticae morborum acutorum ſolutiones, ſive ad ſalutem ſive ad interitum aegrotantium terminentur, hoc noſtro tempore (quod non ſine ratione addit *Waldſchmidius*) non ſint perturbationes tumultuariae, ſive, ut aliis placet, motus abſolute morbidi, à cauſa quadam morbifica fortuito provocati & excitati, ſed à Natura ipſa, oeconomiae vitalis praeſide, ſalutari conſilio ſuſcepti, & ad cauſae morbificae activitatem enervandam, ſubjugandam, &, ſi poſſibile fuerit, ſufficienter praeparatam materiam expellendam, directi atque deſtinati, id vel ſola exquiſiti temporis imo diei circumſtantia, qua criſes etiam *apud nos*, ſine reſtrictione ad aevum vel clima *Hippocratis*, contingere conſveverunt, ſatis manifeſte docere nos poteſt.

§. XXXV.

Deinde falſum quoque eſt, ejusmodi mutationes, quas criſes adpellamus, RARIUS *apud nos contingere, tum ob climatis diverſitatem, tum quod ipſis febribus pabulum laxativis benignioribus & clyſteribus mature ſubtrahamus, & fermenta peregrina praecipitantibus & abſorbentibus ſubigamus.* Uti enim pleraeque harum adſertionum gratuitae ſunt, nullique fundamento ſubnixae; Ita vera cauſa, cur ſub reliqua ſui frequentia RARIUS apud nos contingant criſes, conſiſtit potius in eo, quod motus critici, ad materiam tam quantitate quam qualitate moleſtam corpore excutiendam ſpectantes, qui aeque frequenter noſtris, quam priſcis temporibus, ſuſci-

piuntur, incongruis artificiis turbentur, ſicque Natura ſuo in opere praepedita ad ſimplices tales atque ſinceras evacuationes pertingere nequeat.

§. XXXVI.

Denique id maxime abſonum videtur, ſolemnem talem mutationem, qualis in criſi contingere ſolet, aetheri conſveto & chymaericae cuidam, quae illi cum aethere peregrino intercederet, luctae imputare velle, cum univerſus ille actus, quo criſis abſolvitur, non ſine conſilio ſuſcipiatur, quo certo ac plane exquiſito tempore atque die materiam & quantitate & qualitate moleſtam ob ſalutarem finem atque ſcopum corpore exturbare ſicq; illud ab imminente quodam periculo vindicare adnititur natura, quales ſane actus de fortuito quodam aetheris conſveti & peregrini, ſi quam maxime uterque adeſſe fingeretur, concurſu & orta inde lucta praedicari nullo modo poſſunt.

§. XXXVII.

Eſt autem criſis, breviſſimis totum negotium adumbrando, nihil aliud, quam actus naturae, quo beneficio ſe- & excretoriorum motuum in morbis acutis ſtato tempore ac die materiam & quantitate & qualitate corpori moleſtam imo nocivam ſimultaneo actu poſt ſufficientem ſui praeparationem & coctionem ſe- & excernit, cum praeſente febris remiſſione ac plenaria totius corporis euphoria. Unde conſequitur, eam ſolummodo excretionem, quae & ſufficiens eſt, & morbum perfecte ſolvit, quaeque cum ſymptomatum manifeſta remiſſione & euphoria conjuncta eſt, *perfectae* criſeωs nomen promereri; *Imperfectam* vero ſalutandam eſſe, in qua quidem materia febrilis ad locum excretionis transfertur, ſed vel ob inſufficientem ejusdem coctionem vel perverſam ipſius organi excretorii diſpoſitionem vel motuum inſufficientem vigorem excerni non poteſt. Sequitur etiam, morbos acutos, inprimis vero febres

bres ſynochas ſeu continentes verum criſεων ſubjectum eſſe.

§. XXXVIII.

Et quanquam nulla criſis per eſſentiam ſuam mala ſit, recte tamen hucusque diſtinxerunt eandem Practici in *bonam* ſeu *ſalutarem*, & *malam* ſeu *lethalem*; per ſalutarem intelligendo eam, per quam morbus, poſtquam coctionis perfectae ſigna die critico adparuerunt, perfecte judicatur; Quae vero tantummodo cum materiae morbificae translatione contingit, nec ſymptomata omnino tollit, imperfecta eſt dicenda, quae tamen iterum vel ad *melius* vel ad *deterius* vergit, & quidem ad *melius*, ſi poſt factam talem mutationem aegrotans morbum ſuum facilius ferat, vel *ad deterius*, ſi non modo in pejus ruat morbus, ſed & ſymptomata augeantur, tandemque funeſtus exitus conſequatur. Quarum tamen omnium rerum fundamentum cum *Waldſchmidio* aliisque *Inſtitutionum ſcriptoribus* non eſt quaerendum in robore vel imbecillitate aetheris conſveti, multo vero minus in ſanguinis viſciditate & ſalium combinatione, vel in tubulorum obſtructione pororumque diverſitate, ſed in ipſius potius naturae activitate, qua mediantibus motibus vitalibus, quoad gradum intenſioribus, ac proinde extraordinariis, materiam febrilem primum ſubigere, deinde vero ſubactam ac ſufficienter praeparatam per congrua colatoria evacuare ſicque periculum imminens à corpore avertere conatur; Ad quod credendum efficaciter nos invitant ipſi motus, qui materiae ſubigendae & excernendae ſunt proportionati, non confuſi & turbulenti, inſuper ad ſalutarem ſcopum directi & exquiſita temporis periodo ad finem perducti, quae circumſtantiae maxime rationales nulli puro puto corporis mechaniſmo tribui poſſunt.

§. XXXIX.

Sicuti igitur, ut ex hactenus dictis patet, nulla criſis perfecta & ſalutaris appellari meretur, quae non cum ſuf-

ficienti materiae excretione ſucceſſerit, quae indoli morbi atque ſubjecti non ſit proportionata, quaeque per ſigna coctionis die indicatorio non fuerit indicata & plenariam euphoriam poſt ſe non relinquat, inprimis vero in *diem judicatorium* ſeu *criticum* non inciderit: Ita paucis adhuc indicandum, per dies criticos intelligi illos, in quibus ſingulares mutationes contingunt, quaeque ſeptenario circuitu circumſcribuntur, ſuntque ſeptimus, decimus quartus, vigeſimus primus & vigeſimus ſeptimus; Nam ad trigeſimum quartum & quadrageſimum in hiſce noſtris regionibus rarius extenduntur criſes: His tamen merito jungendi ſunt *indicantes* ſeu indicatorii dies, ſuntq; quartus, undecimus, decimus ſeptimus & vigeſimus quartus; Quia hiſce diebus indicatur, quo die veram criſin expectare liceat. A nonnullis etiam enumerantur in negotio criſe*ωr dies vacui*, quibus nullas unquam ſalutares contigiſſe criſes obſervatum eſt. Imo veteres meminerunt etiam *diei tyrannici*, quo nomine *ſextum* inprimis & ex parte etiam *decimum tertium* indigitare ſolent, ſicuti *vacuos* appellant diem octavum, decimum, duodecimum, decimum ſextum & decimum octavum. Nec denique reticendum eſt, quod nonnulli etiam ſingulare periculum in *nono die* ſibi advertiſſe videantur, qua de re fuſius egit *Stahlius* in ſingulari programmate: *De periculo nonae diei in acutis.*

§. XL.

Ex his vero colligimus & contra *Waldſchmidium* & *Ammannum* & alios inferimus: Quibusvis promiſcue diebus criſes fieri non poſſe. Etiamſi enim videamus, liquores fermentantes nunc citius nunc tardius motuum ſuorum periodos abſolvere, nec determinatis ſemper diebus ad depurationis ſtatum pervenire: Non idem tamen praedicare tuto licet de ſanguine, quod nempe reliquorum ſuccorum fermentantium more pro diverſitate temporum anni, ſolis & lunae ſitu & motu, ut & corporis humorumq; malignorum conditione, nunc citius nunc tardius turbationis

ſuae tempora abſolvat & proinde debitae mixtioni reſtituatur: Cum in corpore humano *vivo* longe alia motuum ſit adminiſtratio, quam in ſuccis fortuito concurrentibus & inter ſeſe mutuo fermentantibus. Neque obſtat, quod, ſi ſubinde ſerius in morbis acutis advocemur, ac proinde ſigna criſin antecedentia tam adcurate obſervare nequeamus, propterea *in calculo dierum criticorum fallamur*; Eſto enim, rem ſic ſeſe habere, error tamen iſte non ipſi rei, ſed Medicorum incuriae, negligentiae & inadvertentiae erit vindicandus.

§. XLI.

Verum ad rem ipſam nunc propius accedendum & varii ſolutionum modi enarrandi ſunt, quibus vel per ſubitaneam evacuationem vel tranſpoſitionem ſeu metaſtaſin vel materiae morbificae diſcuſſionem & reſolutionem morbus ſolvitur, vel ſucceſſive terminatur & ad finem decurrit, quem ſolutionis modum *lyſin* vocant, & potiſſimum in morbis chronicis obtinet. Specialiores vero ſolutionum modos in acutis quod attinet, illi contingunt vel per haemorrhagiam narium in junioribus, vel per diaphoreſin atque diureſin in adultis, vel in ſynochis ſeu continentibus pariter per largiorem narium haemorrhagiam vel profuſos ſudores, vel in cholericis per vomitum atque diarrhoeas: Quod enim ſolutiones febrium per menſes atque haemorrhoides ſpectat, illae partim infrequentiores ſunt, partim inſecurae; Quia, quo magis cum viſceribus & partibus interioribus communicat materia febrilis, eo quoque majoribus periculis totum ſtipatum eſt negotium.

§. XLII.

Tutior eſt criſis, quae per haemorrhagiam narium inſtituitur, talem nempe, quae die critico ſufficientique in quantitate ſuccedit, inprimis vero, poſtquam tempeſtive ceſſavit, ſymptomatum mitigationem & totius corporis euphoriam poſt ſe relinquit. Ejuſcemodi criſin in ſubjectis plethoricis, quaeque olim in juniori aetate vel actuales

narium haemorrhagias experta vel affectibus ſaltem congeſtoriis expoſita fuerunt, ejuſmodi, inquam, criſin inſtare, docet non modo artuum, inferiorum inprimis frigus, & alvus circa dies criticos ſtrictior, ſed ut urina partim imminuitur partim tenuior & limpidior redditur, in abdomine murmura & circa hypochondria moleſtae tenſiones cum difficultate reſpirationis & oppletione pectoris ſentiuntur; Inflatur hinc collum, rubeſcit facies, conjungitur cervicis rigor atque dolor, vaſa venoſa turgeſcunt, arteriae pulſant vehementius, oculi rubent & dolore punctorio in bulbo adficiuntur, ad involuntariam lacrymarum effuſionem diſponuntur, aures ingratus tinnitus ac ſibilus occupat, caput dolore gravativo circa radices narium obſeſſum tenetur, nares pruriunt, mens inſomniis de flamma & rebus rubentibus exagitatur, donec tandem ſeptimo die, nempe critico vel haemorrhagia ſponte ſequatur, vel levi narium ſcalptione ad eruptionem diſponatur.

§. XLIII.

Si vero ſubjecta habitus corporis laxioris, rarioris ac ſpongioſioris fuerint, ad diaphoreticam exhalationem proclivioria, cauſa etiam morbi tenuior atque ſubtilior, quam ut per craſſiora organa excretoria exitum invenirre queat, imo & indoles morbi ita comparata, ut ad ejuſmodi cutaneam perſpirationem ſponte inclinet, in ejuſmodi ſubjectis criſis potius per diaphoreſin atque ſudores ſuccedit, eaque his potiſſimum indiciis ſeſe prodit. Nempe, cum humore quodam copioſius per unum potius quam aliud organum excretorium ſuccedente, reliqua interea ſtringi ſoleant; Hinc alvi adſtrictio & parcior urinae excretio quin ſenſibilis ratione quantitatis imminutio imo totalis ſuppreſſio conjuncta eſt. Interea totus corporis habitus ſtrenue aeſtuat, caput tamen moderate dolet, etiamſi faciei color ſic ſatis floridus adpareat, ſexto die ſuperficies corporis evadit turgidior, & ſeptimo, nempe critico relaxatur, atque poſt levium interpunctionum ſenſum blandus

dus mador criticus totam corporis peripheriam occupat, qui poſtquam aliquot horas continuavit, tandem ſponte conquieſcit, ceſſat ſucceſſive langvor & laſſitudo corporis, & plena tandem euphoria reſtituitur.

§. XLIV.

In quibuscunque autem ſubjectis viae urinariae magis patulae ſunt, in illis critica talis evacuatio potius per renes & veſicam cum urinis adminiſtrari ſolet: Id quod haud difficulter inde conjicere poteſt peritus Practicus, ſi die indicatorio coctionis ſigna in urinis jam adparuerint, deinde vero critico, nempe ſeptimo die copioſa urinae coctae excretio ſucceſſerit, poſtquam nempe in hypochondriis pariter ac regione lumborum moleſta gravitas atque tenſio praeceſſit, alvus fuit ſuppreſſa, aeſtusque aridus cum calore interno ac ſiti ſuperficiem corporis divexavit: Tunc enim ſuccedens tandem critico die largior urinae excretio & aliquandiu continuans, febrilium quoque ſymptomatum mitigationem & plenam totius corporis alacritatem relinquit, eoque ipſo indolem ſuam criticam ſatis comprobat.

§. XLV.

De febribus cholericis notum eſt, quod raro aliunde, quam vel à praecedente ira & excandeſcentia vel ab aſſumtis oriri ſoleant: In quibus proinde critice ſolvendis nulla convenientior via vel methodus eſt, quam per *vomitum* vel *diarrhoeam.* Prius itaque ſi fieri debeat, ſolutio nempe febris bilioſae per *vomitum* criticum ſuccedere, tunc utplurimum praecedere ſolent vertiginoſae capitis motiones atque dolores, caligines oculorum, anxietates praecordiorum, rigores ac frigus tam extremitates quam regionem lumborum & hypochondriorum occupantes, conjuncta eſt alvi ſiccitas, urina parcior & crudior mingitur, circa ventriculum morſicans quidam ſenſus cum faſtidio ciborum ſeſe manifeſtat, reſpiratio evadit difficilior & impeditior, ſaliva copioſius in ore confluit, labium inferius tremit,

mit, in lingva ſapor amaricans bilioſus percipitur, ſicque tandem actualis vomitus, per vices aliquoties repetitus ſubſequitur, ceſſat hinc nauſea cum reliquis ſymptomatibus, febris mitigatur & criſis hac ratione periodum ſuam abſolvit.

§. XLVI.

Si vero per *diarrhoeam* potius febris cujusdam bilioſae ſolutio fieri debeat, hiſce phaenomenis prodere ſeſe ſolet. Poſtquam ſub reliqua alvi libertate inflatio abdominis cum frequentibus borborygmis & ructibus, quin torminibus ventris & dolore lumborum praeceſſit, urina interea & parcius & ſine coctionis ſignis effluente, & die indicatorio aliquale alvi profluvium ſucceſſit, tunc tandem critico die adpropinquante largior alvina excretio ſequitur, quae, poſtquam aliquamdiu continuavit, pari modo febris reliquorumque ſymptomatum mitigationem inducit, ſicque criticae indolis eandem fuiſſe, manifeſte comprobat.

§. XLVII.

De omnibus hiſce ac ſingulis criſεων ſpeciebus, inprimis vero de haemorrhagia narium critica adhuc notandum eſt, quod quidem ſufficienti in quantitate materia excernenda rejici debeat, quia jam veteres adnotarunt, *nihil paucum eſſe poſſe criticum*, & res ipſa docet, poſt inſufficientem materiae febrilis excretionem nullam corporis euphoriam ſequi: Nihilominus tamen etiam criticam talem evacuationem oportet eſſe *moderatam* una cum motibus & adparatibus ad eam reſpicientibus: Quia, ſi ſanguis copioſius & abundantius, quam neceſſe erat, reſtringatur & congeratur ad capitis interiora, periculoſae inde ſtagnationes, quin ſtaſes inflammatoriae, hinc phrenitides, anginae, ſuffocationes vel plane ſphacelus interiorum vel immoderatior ſanguinis profuſio & ipſa tandem mors ſequi poſſunt imo haud raro ſolent. Secundo loco advertendum eſt, quod imminentes tales criſes nec incongrua medendi ratione nec perverſa diaeta vel regimine ullo modo ſuo in

decurſu

decurſu turbari vel impediri debeant, uti prohdolor admodum frequenter ab illis fieri ſolet, qui inſtante criſi purgantia vel vomitoria intempeſtive propinant, vel motus & apparatus ad criticam evacuationem reſpectantes compeſcunt, vel bezoardicis & ſudorificis activioribus, ſpirituoſis, calidis, ad immoderatas profuſiones & exceſſus naturam ſtimulant & invitant, & hoc modo, quantum in ipſis, univerſum negotium criticum turbant atque peſſundant.

§. XLVIII.

Criſi exquiſitae & ſimultaneae ad latus jungimus lentam & ſucceſſivam, quam veteres *lyſin* vocabant, eoque nomine ſolutionem lentam indigitabant, qua ſucceſſiva evacuatione vel in febribus acutis vel chronicis cauſa morbifica ſenſim conſumeretur, ſicque aegri convaleſcerent, vel contra lento paſſu ad mortem tenderent, ſicuti in lentis & hecticis obſervari licet.

§. XLIX.

Atque haec de criſibus perfectis ſufficere poſſunt. Imperfectas diximus fieri per metaſtaſin materiae morbificae à parte nobiliore & interiore ad ignobiliorem & exteriorem, ſicuti id contingere obſervamus in febribus malignis & peſtilentialibus, in quibus quippe materia non ſemper corpore exterminatur, ſed ad aures, glandulas inguinales parteſque muſculoſo-carnoſas amandatur, ſicque parotides, bubones, anthraces atque carbunculos excitat, qui ſi legitime maturentur & in apoſtemata convertantur, ſicque materia debite evacuetur, aegrotis ſunt ſaluti; Quod ſi vero cruda in maſſam humorum regurgitet, tunc perniciem iisdem adfert.

§. L.

Quae quidem omnia de negotio criſεων tam ſollicite obſervaſſe nunquam poenitebit, cum medicus Practicus,

exquiſita illarum notitia inſtructus inde cavere diſcat, ne motus naturae ſalutares & ad ſubactionem, ſecretionem & excretionem materiae ſpectantes, temere oppugnet, conſopiat, ſicque ſalutaris ſucceſſus & eventus loco funeſtum exitum morbi ipſe procuret: Cujus tamen peccati reos ſeſe faciunt Recentiorum quam plurimi, qui febres mature praeoccupandas, in prima herba ſuffocandas & benignioribus laxativis vel clyſteribus pabulum ſubtrahendum eſſe exiſtimant; Quia tales praeoccupationes raro tempeſtive inſtituuntur, atque ideo plus nocent quam proſunt.

(o)

INSTITUTIONUM MEDICINAE REFORMATARUM PARS QUINTA.

ſiſtens

HISTORIAM MORBORUM GENERALEM.

INSTITUTIONUM MEDICINAE REFORMATARUM PARS QUINTA

ſiſtens

HISTORIAM MORBORUM GENERALEM

CAPUT PRIMUM.

De

Dignitate, neceſſitate & utilitate verae Morborum Hiſtoriae in genere.

§. I.

Quemadmodum nihil eſt, quod medicum magis exornat, ejusque artem commendat, quam adcurata verae morborum hiſtoriae clinicae notitia: Ita è contra nihil quoque eſt, quod eundem magis proſtituit, quam ignorantia eorum, quae circa lectos aegrotantium fiunt, nempe neglectus illarum circumſtantiarum, quae vel ſenſibus viſitantium medicorum & adſtantium ſponte ſeſe ingerunt, vel rationali interrogatione partim ex ipſis aegrotantibus, partim vero ex amicis & familiaribus illorum indagari & perquiri poſſunt. Peperit ſane ſupinus harum rerum neglectus ingentem contemptum univerſae arti, ut, cum ita imperitos in ſimplici morborum hiſtoria addiſcenda ac dijudicanda ſeſe exhibeant, ſibilo fere excipiantur ab iis, qui plures medicos circa unius aegrotantis lectulum concurrere, & non tantum de genuina morbi indole, ſed & de ipſo plane nomine morbo imponendo, inter ſe mutuo diſceptare obſer-

obſervantes, non poſſunt ſane, niſi peſſimos de univerſa arte conceptus ſibi formare.

§. II.

Abſit vero, in venerandam antiquitatem ita injurios nos eſſe, ut imputare eidem temere conemur, quaſi in excolenda morborum hiſtoria aeque ſegnes, incurios, vagos atque inconſtantes ſeſe geſſerint, ſicuti multos Recentiorum, paucis exceptis, feciſſe palam eſt. Nempe ingenuam hanc laudem antiquis denegare neque poſſumus neque debemus, quod in exornanda morborum hiſtoria clinica debitam induſtriam & *ἀκρίβειαν* adhibuerint, quamvis mutuam morborum inter ſeſe invicem conſpirationem, nexum, dependentiam & mutuam quaſi genealogiam non aeque adcurate pariter exhibuerint, quin defectus quidam atque hiatus hinc inde obſerventur, majorem utique eamque exquiſitiorem penſitationem poſtulantes. Noviorum vero temporum medici, qui veterum veſtigiis & praemonſtratis viis inſiſtere debuiſſent, antiquam fidem atque integritatem potius deſeruerunt, in avia ac devia diſceſſerunt, hiſtoriam morborum deformarunt, corruperunt, mutilarunt, & illas tantum circumſtantias ſelegerunt, quae novis ſuis opinionibus, quin curioſis ſpeculationibus quovis modo favere videbantur.

§. III.

Quae cum ita vere ſeſe habeant, nemo ingenuis artis Reformatoribus probro dare debet, quod emendationem *hiſtoriae clinicae* omnibus votis urgeant omnique poſſibili induſtria promovere ſtudeant, ut ſic partim antiquorum defectus ſuppleantur, partim vero aliena, à Recentioribus invecta reſcindantur. Quid enim juſtius eſt, quam illud emendare, quod perpetua quaſi praejudicia & impedimenta objicit praxi? Hoc autem certiſſime facit falſa vel mutila morborum hiſtoria, quae, niſi mature corrigatur, finem quoque habere non poſſunt vulgares & ſcandaloſae

Practicorum querelae: *Inter theoriam & praxin perpetuam eſſe pugnam & contrarietatem*, & *alteram alteri nunquam ſatis reſpondere.*

§. IV.

Quae vero emendatione ac reformatione tali opus habeant, mature ſimul atque judicioſe prudenterque jam dudum expendit *Stahlius*, & haec potiora rerum momenta concernunt: I.) Differentiam morborum ratione *frequentiae* vel *raritatis*, ubi periti talium rerum ignorare non poſſunt, quantopere vulgares praefigurationes morborum, quos tanquam frequentiſſimos & ſingulis quaſi momentis eventuros fingere ſolent, à vera praxi clinica differant. II.) Ratione *ſexuum*, ubi pluribus ſine dubio morbis & ſaepius & gravius confliċtantur foeminae, quam viri. III.) Ratione *temperamentorum*, quorum quodlibet non ad quoslibet, ſed ad certos tantum *illi congruos* adfectus diſponit. IV.) Ratione morborum, qui *fieri* tantum *poſſe* intelliguntur, & qui reipſa evenire hominibus ſolent, ubi facile quilibet intelligit, ſupervacaneum eſſe, tot cauſas morbificas allegare, quarum pleraeque ad morbos excitandum nulla aut exigua pollent efficacia & poteſtate. V.) Ratione *diverſarum aetatum*, in quas promiſcue omnis generis morbos cadere, vulgo quidem docetur, ab omni vero attenta obſervatione clinico-practica alieniſſimum eſt. VI.) Ratione *metaſchematiſmi* ſeu mutuae morborum tranſmutationis, ubi aliam tantum larvam induere, vel alter in alterum transformari obſervantur. VII.) Ratione *autocraticae* ſive *ſpontaneae* reſtitutionis vel artificialis curationis morborum. VIII.) Ratione *morborum conſuetudinalium* & *periodicorum*, quos longe alia methodo tractare ſolent, qui notitia hiſtorico-clinica imbuti ſunt, quam qui ſecundum praeconceptas ſcholarum opiniones morborum talium curationem adgrediuntur.

§. V.

Quicunque igitur in adnotanda vera morborum hiſtoria digne & fructuoſe verſari cupit, illum ante omnia ſolli-

ſollicitum eſſe oportet, ut veras atque reales circumſtantias, quibus morbi inter ſeſe mutuo diſtingvuntur & internoſcuntur, probe cognitas atque perſpectas habeat ſibique familiares reddat. Praeterea vero in quolibet morbo ſeorſim indagandum, quale ſchema in primo ſui exortu exhibeat? Quae ſenſim augmenta capiat? Et quomodo ſucceſſive progrediatur, tandemque decurrat? An hoc fiat continua, an vero interrupta ſerie? An morbus fundamentaliter eradicatus ſit, an vero palliativa tantum cura eidem adhibita? Et ſi hoc, quibus aliis adfectibus morboſis viam quaſi ſternat? An jam aliis, & quibus olim morbis aeger laboraverit? Cujus ſexus, aetatis, temperamenti & ſtaturae corporis ſit? Qualem vitae rationem ſequatur? Quae ſit conſtitutio ſe- & excretionum, tam ordinariarum quam extraordinariarum? An veneſectioni vel ſcarificationi olim fuerit adſvetus? An haemorrhagias narium ſpontaneas, ſudores criticos, diarrhoeas ſpontaneas, vel ſimiles alias criticas evacuationes olim fuerit expertus? An fontanellam olim geſtaverit vel ulcus quoddam in aliqua corporis parte habuerit? An adfectus, quo quis laborat, ſimplex ſit vel complicatus, an originarius, an vero alium praecedentem conſequatur? Quid morbo alicui proprium, perpetuum ac veluti eſſentiale ſit, quid vero adſcititium? Neque hic negligendae ſunt circumſtantiae anni temporum, tempeſtatum, mutati vitae generis, accidentalium animi perturbationum in officii ratione, matrimonio &c. Imo & individuales circumſtantiae probe ſunt adnotandae, ut hoc modo provide caveatur, ne hae pro eſſentialibus, quod ſubinde fieri ſolet, venditentur? Ex quibus omnibus judicioſe tandem collectis & inter ſeſe mutuo comparatis vera morborum hiſtoria erui poterit, ubi contra, qui haec neglexerit, in agnoſcendis ac dignoſcendis morbis perpetuo coecutiet.

§. VI.

Quare, cum veritate facti inprimis nitatur hiſtoria morbo-

morborum, eamque ex quotidiana praxi addiſcere, non usque adeo difficile ſit: Adparet hinc, nullum aliud hiſtoriae morborum criterium verum ac ferme unicum hic eſſe expectandum, quam conſenſum univerſalem tot illuſtrium medicorum, qui ab antiquis usque temporibus ad haec noſtra usque, quibus vivimus, tot egregiis obſervationibus illam illuſtrarunt, confirmarunt & firmam ratamque conſtituerunt. Quis enim usque adeo impudens fuerit, qui omnem hiſtoricam fidem tam frivole negare vel ſaltem in dubium vocare auſit? Nempe vix credibile eſt, tot eximios Viros tam pertinaciter in putidiſſimum tale mendacium conſpirare *voluiſſe*, vel ſaltem *potuiſſe*, cujus contrarium propria & quotidiana obſervatione quilibet detegere haud difficulter valuiſſet.

§. VII.

In hoc vero genere ex antiquis eminuerunt *Hippocrates* atque *Galenus*, qui tamen poſterior incondita ſua theoria omnes ſuos ſucceſſores veluti infatuavit, eoque ipſo rei medicae ingens prajudicium adtulit. Addimus his ex antiquis pariter atque recentioribus *Aretaeum*, *Celſum*, *Coelium Aurelianum*, *Hollerium*, *Cratonem à Kraſſtheim*, *Carolum Piſonem*, *Hildanum*, *Sennertum*, *Sydenhammium*, *Malpighium*, *Ramazzinum*, *Baglivium*, *Raymundum Johannem Fortem*, *Trincavellium*, *Hieronymum Mercurialem*, *Solenandrum*, *Laelium à Fonte* aliosque. *Foreſtus* inprimis non vulgares ſibi laudes adquiſivit, qui quippe adcuratiſſima morborum deſcriptione plerisque tam antiquis quam recentioribus hiſtoriae medicae ſcriptoribus palmam vel praeripuit vel dubiam ſaltem fecit, non vulgaribus ideo laudibus à *Stahlio* condecoratus. Huic jungendus eſt *Crato*, qui partim in epiſtolis ſuis partim in conſiliis non minus adcurate hiſtoriam morborum delineavit. Neque omittendus eſt *Fienus* de ſignis morborum, & *Trincavellius*, qui de conſiliis medicis tractatum elegantem edidit. Quibus addendus eſt *Jodocus Lommius*, qui de obſervationibus medicinalibus libellum, mole quidem par-

parvum ſed dignitate maximum ſcripſit, dignum certe, quem manibus ſuis quotidie terant philiatri. *Zacutus Luſitanus* hiſtoriam morborum principem evulgavit, in cujus tamen fide & integritate multa ſunt, quae à non paucis deſiderentur. Singularibus quoque encomiis extollenda eſt induſtria *Danielis Sennerti*, Profeſſoris Medicinae *Wittebergenſis*, & Practici longe celeberrimi, in cujus ſinceritate atque candore nihil deſiderari poteſt, quod ad *diagnoſin* aeque ac *prognoſin* morborum pertinet. *Mercurialis* atque *Solenander* pariter quidem hiſtorias morborum conſignarunt, ſed tantum per fragmenta. Majori vero induſtria hoc praeſtiterunt *Sydenhammius* atque *Baglivus*, viri longiori vita digni. Neque ſilentio praetereundus *Ettmüllerus*, qui in ingente opere practico ſatis adcurate quidem hiſtoricas morborum relationes condidit, ita tamen, ut non pauca quoque hinc inde deſiderari jure queant. Quibus *Dolaeum* adjungimus, qui in ſua encyclopaedia medico-practica laudabilem impendit induſtriam, in eo ſaltem culpandus, quod *Helmontii*, novi obſcurorum vocabulorum architecti, veſtigia preſſo nimis pede ſequutus fuerit. Commendandi inprimis ſunt *Wedelius* & *Stahlius*, uterque nempe in Diſputationibus inauguralibus, ſub illorum Praeſidio habitis, in quibus multorum adfectuum morboſorum hiſtoria adcurate delineata reperitur.

§. VIII.

Quicunque autem ſolidam talem & adcuratam morborum hiſtoriam condere in animum ſuum admiſit, ille circa morbos ipſos ſollicite animadvertere & judicioſe diſcernere debet: I.) An morbus ſit ſimplex vel complicatus? Ex *illis* enim hiſtoria talis legitime condi poteſt, ex his vero non item. II.) Expendendum eſt, an ſint *epidemici* vel *endemii*, ne circumſtantiae his vel illis eſſentiales inter ſe mutuo confundantur. III.) Dijudicandi ſunt morbi *familiarius* vel *rarius* contingentes; Ab illis enim, quae rarius eveniunt, ad ea, quae familiarius & quotidie quaſi contin-

 gunt,

gunt, concludere non licet. IV.) Diſtingvendi quoq; ſunt morbi corrupti, ex quibus quippe pariter hiſtoriam talem concinnare non licet: Nam qui v. g. à tertiana corrupta ad indolem tertianae ſimplicis ordinariae concludere vellet, ex morbo corrupto hiſtoriam quoque corruptam formaturus eſſet. V.) Inquirendum quoque eſt in morbos *congruos* atque *incongruos*, ſiquidem pariter ex incongruis hiſtoriam condere velle, non minus abſonum, abſurdum & inconditum foret, exemplo haemorrhoidum vel podagrae juvenem exercentium, qui quippe adfectus ordinarie in longe aliam, quam juvenilem aetatem cadunt. VI.) Perite quoque à ſeſe mutuo diſtingvendi ſunt morbi acuti atque chronici, ſicuti & VII.) ipſe quoque genius morbi recte aeſtimandus, an nempe ſalutarem vel lethalem naturam habeat, & ad quos ſucceſſus ejusmodi morbi proclives ſint, ut ſymptomata *accidentalia* & *adventitia* ab *esſentialibus* rite diſcernantur? VIII.) Conſiderandum quoque eſt, nonnullos morbos ad recidivam inclinare, ſub qua circumſtantia propenſionis ad recidivandum iterum ſingularia occurrunt accidentia. IX.) Sedulo quoque adnotandi ſunt effectus in ſucceſſu morborum, prout ab adhibitis remediis dependent, ſicuti non minus obſervandi ſunt morbi, qui ſponte curantur, ſine uſu remediorum artificialium. Ac denique X.) poſt mortem quoque inquirendum eſt in cauſam illius, ut perita cadaverum ſectione vera morborum cauſa detegatur & in apricum deducatur, quae ſine tali inſpectione cadaverum in aeternum forte ſepulta manſiſſet.

CAPUT SECUNDUM.

Succinctam hiſtoriae morborum generalis deſcriptionem ſiſtens.

§. I.

§. I.

Quantae dignitatis, neceſſitatis & utilitatis ſit vera morborum hiſtoria, non ſolum ex iis, quae capite praecedenti dicta ſunt, ſed & exinde dilucescere poteſt, quod adcurata circumſtantiarum, tam eſſentialium quam accidentalium, morbum quendam comitantium vel conſequentium notitia ſit ſolidum illud fundamentum, ex quo vera medicinae internae oeconomia, & ex hac ipſa quoque pathologia ac therapia artificialis deducenda eſt.

§. II.

Id quod cum negligentius tractatum fuerit à Recentioribus; Hinc mirum non eſt, tot inconditas, ſteriles & inutiles hypotheſes in theoriam medicam irrepſiſſe, quae tantum abeſt, ut eandem juverint vel promoverint, ut potius ad ipſam therapiam translatae ita eandem in transverſum egerint, ut nullus ibi nexus, nulla harmonia inter theoriam & praxin amplius obſervetur. Imo idem hic neglectus hiſtoriae morborum vera etiam cauſa eſt, cur quotannis propemodum theoria iſta nova veſte induta incedat, fingatur ac refingatur. Quod ſane neceſſarium non eſſet, ſi hiſtoria morborum diligentius, quam prohdolor fieri ſolet, excoleretur. Siquidem ex ſola ſimplici talium circumſtantiarum hiſtorica collatione & comparatione mutua difficile non foret, verum nexum cauſalem pathologicum eruere & genuinam medicandi methodum artificialem inde elicere, talem nempe, quae methodo naturae autocraticae ubique reſponderet.

§. III.

Intelleximus autem per hiſtoriam morbi medicam, ut rem breviſſimis in genere repetamus, nihil aliud, quam fidelem & adcuratam enarrationem, relationem ſeu commemorationem praecipuarum circumſtantiarum tam eſſentialium, quae morbis perpetuo conjunguntur, vel eosdem conſequuntur, quam accidentalium, quae partim ſenſibus

 ſponte

ſponte ſeſe ingerunt, partim ab aegrotis ipſis, adſtantibus & amicis rationali interrogatione explorantur & indagantur. Diximus: Eſſe fidelem & adcuratam enarrationem: Atque adeo eandem diſtingvimus ab hiſtorica deſcriptione quorundam Recentiorum, quae & manca & minus adcurata eſt, imo & ſpeculationibus hodie receptis temerata, & cui proinde plena fides haberi neque poteſt neque debet.

IV.

Itaque, quae praecedenti capite verbulo tantum tacta fuere, ea uberius nunc deducenda ſunt. Ad hiſtoriam ergo morborum medicam recte condendam ante omnia ipſius ſubjecti conſtitutio conſideranda eſt & quidem intuitu *frequentiae* vel *infrequentiae* aegrotandi; Ubi attentae penſitationi obvia eſt univerſalis illa experientia: Quod innumeri homines in tota ſua vita rariſſime aegrotent, &, ſi qui illorum adhuc morbis quibusdam ſubinde adficiantur, ſaepius tamen ex ratione aetatis, vitae generis, violentiarum externarum aliarumque circumſtantiarum peculiarium interventu, qvam interna aegrotandi diſpoſitione laborare deprehendantur: Imo & plerique illorum medicina potius interna qvam externa, ſpontanea potius & naturali qvam artificiali curentur & ad priſtinam ſanitatem reducantur. Id qvod tanto magis mirum videri debet, qvo numeroſiores vulgo cauſae recenſentur, qvae ad excitandum varios morbos *à priori* aptae natae intelliguntur.

§. V.

Nihilominus ſexus ſequior prae virili & numero pluribus & ſpecie diverſis aegritudinibus adfici ſolet, quod jam pridem peculiari Diſſertatione de *frequentia aegrotandi in ſexu foeminino prae virili*, Halis Magdeburgicis à nobis habita, oſtenſum eſt. Quia vero viri nonnulli admodum ſunt effoeminati; Hinc & ad aegrotandum eo ſunt proniores, quo magis foeminarum mores imitantur.

§. VI.

§. VI.

Quod ſi vero homines cum brutis comparaveris, evidens eſt, illos utique *frequentius* prae his *aegrotare*; Imo & omnibus notum, bruta *domeſtica* prae *feris* frequentius aegrotare, prout ſeductionibus hominum magis vel minus obediunt eorundemque mores magis vel minus imitantur.

§. VII.

Caeteris nihilominus *frequentius* aegrotant, qui in victu abuſus frequentiores committunt, non tamen aeque qualitate quam potius quantitate peccantes, inertiae & otio indulgentes, & corpus interea ſaginantes, quique pathematibus animi fortioribus, iracundiae & terrori magis expoſiti ſunt, qui haereditariam ad hos vel illos morbos diſpoſitionem à Parentibus ſuis contraxerunt, homines itidem in civitatibus degentes & ſenſibiliores perſonae morbis frequentius adficiuntur: Ubi contra plebs ruſtica, ruri degens, laboribus adſveta, à paſſionibus animae inſolentioribus, ſpeculationibus profundis & meditationibus alienior, perſonae non admodum ſenſibiles, ſed ſtupidae & victui inſuper ſimpliciori indulgentes *rarius* aegrotant. Quod ſi vero, ſenectute ingruente, hanc laborioſam cum inerti & otioſa vitae ratione permutent, variis ab eo tempore morbis conflictari incipiunt.

§. VIII.

Non minore conſideratione digna eſt in hiſtoria morborum circumſtantia *aetatis*; Siquidem non quivis *promiſcue* morbi in quamvis *indiſcriminatim*, ſed certi tantum morbi in certam quoque aetatem cadere conſveverunt.

§. IX.

Diſtingvi poteſt aetas in *impubertatem*, *pubertatem*, *virilem* & *ſenilem vegetam* atque *decrepitam* aetatem. Impubertas ad annum decimum quartum ſeſe extendit; Pubertas, quae *adoleſcentiam* & *juvenilem* aetatem comprehendit, ab anno

decimo quarto ad annum trigeſimum quintum extenditur; Virilis aetas ab anno trigeſimo quinto exordium capit, & circa annum quadrageſimum ſextum finitur, à quo tempore ſenectus primum vegetior, deinde gravior, tandemque decrepita ingruit: Pro quarum omnium aetatis humanae periodorum diverſitate varii etiam morbi adfligere ſolent.

§. X.

Quod hiſtoriam morborum infantilium ac puerilium attinet; non equidem putandum eſt, infantes atque pueros vi internae cujusdam diſpoſitionis ad varios morbos propendere, ſed manes ſuos patiuntur vel vitio matrum, quamdiu adhuc uteri ergaſtulo concluduntur foetus, vel vitio nutricum vel ipſius lactis, vel intuitu excretionum vel alimentorum incongruorum ipſis exhibitorum vel injuriarum aëris vel violentiarum externarum vel aliis de cauſis. *Hippocrates* ab aphoriſmo 24. ad 27. ſectionis tertiae morbos puerilis aetatis enarrans, in parvis & recens natis aphthas, vomitiones, tuſſes, vigilias, pavores, circa umbilicum inflammationes & aurium humiditates criminatur; In iis vero, qui ad dentitionem progreſſi ſunt, gingivarum ſtimulantes prurigines, febres, convulſiones, alvi profluvia, inprimis cum dentes caninos emittere coeperint; In provectioribus tonſillarum inflammationes, crebras anhelationes, calculos & lumbricos, inque iis, qui ad pubertatem progreſſi ſunt, febres magis diuturnas & haemorrhagias narium accuſat, ad quas haud dubie etiam reſpiciunt alii capitis adfectus, qui in hac aetate circa caput & collum obſervantur, uti ſunt exulcerationes capitis, faciei partiumque proximarum, oculorum & aurium inflammationes, ardores circa caput, gravedines, coryzae, tonſillarum inflationes & inflammationes, tumores glandularum colli, parotides &c.

§. XI.

A matribus, turbata phantaſia laborantibus, foetui imprimuntur naevi; Sub difficultate partus ſubinde hydro-

cephalo

cephalo via paratur; Meconii retentio vel inſufficiens excretio pathemata ventris torminoſa atque convulſiva cum clamoribus & inquietudinibus atque vagis caloribus inducit. A vitiis lactis vel aceſcentis vel bilioſis particulis coinquinati contrahunt pavores in ſomno, in convulſiones ſubinde degenerantes, dejectiones ſunt flaveſcentes, virideſcentes, ſubinde aeruginoſae, odore ſingulari, nempe acetoſo, tam acres, ut linteamina inde corrodantur, quaeque propterea ani eroſiones & inflammationes excitant. Pulmenta viſcidiora, tenella vaſorum lacteorum & glandularum meſeraicarum oſcula obviſcantia, ſubinde atrophiae occaſionem praebent. Nimia nimisque praecipitata & avidior lactis ingurgitatio pathemata cardialgica & vomitus frequentes, non tamen admodum nocivos cauſatur. Ab aëris injuriis cruſtam lacteam & achores contrahunt, quibus retrocedentibus vel repulſis paſſiones epilepticae, catarrhales ſuffocativae & anginodeae ingruunt. Sub dentium eruptione & animo & corpore inquietiores ſunt infantes & pruritus moleſtiores circa gingivas ſeſe offerunt, quas frictionibus & digitorum immiſſionibus in os contemperare adnituntur. Complicatur difficili dentitioni diarrhoea, qua durante melius ſeſe habent, quam alvo obſtructa, quo quippe caſu haud raro inquietudo, febris, reſpiratio difficilis aliaeque paſſiones conjunguntur. Epilepſiae variis de cauſis infantibus admodum ſunt familiares. Rachitis in hiſce noſtris regionibus rarior eſt, endemia in *Anglia*, unde in *Belgium foederatum*, indeque in *Cliviam, Weſtphaliam* imo ipſam plane *Germaniam* ſuperiorem tranſiit. A lumbricis vix vivunt immunes pueri, quorum occaſione variis torminoſis, ſpaſticis adfectibus ſubjiciuntur. Gibboſitas incuriae nutricum atque famularum adſcribenda eſt. Ploratus continuus hernias & prolapſus inteſtini recti cauſatur. Intertrigines ſudorum & commictionum neglectas abſterſiones conſequuntur &c.

§. XII.

§. XII.

Aetatem *infantilem* ac *puerilem* excipit *adoleſcentia* atque *juventus*, quae cum ad haemoptyſin potius quam narium haemorrhagias propendeat, hinc & hac annorum periodo affectus pectorales magis conſpiciendos ſeſe praebent, uti ſunt tuſſes tam ſiccae quam humidae, pleuritis tam vera quam ſpuria, peripnevmonia, phthiſis pulmonalis, vomica pulmonum, empyema pectoris, aſthma ſpaſmodicum, adfectus rhevmatico-catarrhales, nunc nucham, nunc ſcapulas & humeros, nunc vero thoracem occupantes, modo admodum dolorifici, modo vero indolentes.

§. XIII.

Dum adhuc in confiniis inter juvenilem & virilem aetatem conſtituti ſunt, occaſione motuum vehementiorum ſuccuſſatoriorum ſub equitatione, vectura, quin & ſub exercitio veneris, doloribus circa os ſacrum & coccygis, nec non doloribus nephriticis tam ſimplicibus quam calculoſis & arthriticis adficiuntur.

§. XIV.

Tanto magis vero haec pathemata nephritica, calculoſa, iſchiadico-ſpaſmodica & haemorrhoidalia externa, tam coeca quam fluentia, una cum malis arthritico-gonagrico-podagricis in aetate virili obtingunt, nonnulli etiam, quibus haemorrhoides & motus haemorrhoidales olim ſuppreſſi fuerunt, in mictum cruentum incidunt, quo intempeſtive turbato, hectici vel hydropici effectus & eventus ſuccedere ſolent.

§. XV.

Eadem pathemata, potiſſimum haemorrhoidalia, ſenili, ſed adhuc ſatis vegeta aetate, inſufficiente tamen ſucceſſu, adhuc continuant, quibus tamen ceſſantibus mictus cruentus, ſpaſmi & contracturae, in gonagram & podagram tandem exeuntes ſuccedunt. In hanc quoque aetatem frequentius, quam in ullam aliam cadunt vertigines, apoplexiae, paralyſes, catarrhi ſuffocativi, aſthmata &c.

§. XVI.

§. XVI.

Remittente tandem conſueto animi vigore, tono partium decreſcente ipſoque hinc humorum impulſu & propulſione imminuta, imo ipſis quoque ſecretionibus & excretionibus fatiſcentibus, humores ſpiſſeſcunt, atque hinc defluxionibus catarrhalibus verſus caput, fauces & pectus anſa ſuppeditatur, unde gravedines, coryzae, raucedines, tuſſes & aſthmata humida enaſcuntur, in ſuperficie corporis & artubus ſtatus cachecticus tumoreſque oedematoſi pedum, ſtranguriae & dyſuriae, articulorum renumque dolores, ſenſuum hebetudines, inprimis viſus & auditus graves, nec non propter decubitus catarrhales guſtus & odoratus corruptiones, vertigines item, apoplexiae, paralyſes, hemiplexiae, catarrhi ſuffocativi, ſomnolentia in lethargum ſubinde tranſiens, debilitatio memoriae, oblivio tandemque in decrepita aetate maraſmus &c. conſequuntur.

§. XVII.

Succedit hiſtoria temperamentorum, quorum quodlibet ad morbos ſibi congruos proclive eſt. Cum itaque in temperamento phlegmatico praedominetur ſerum, habituſque corporis laxus ſit, mollis atque ſpongioſus cum vaſis ſanguiferis minoribus & tono partium fibroſarum debiliore: Hinc prima aetate defluxionibus catarrhalibus, gravedini, coryzae, aurium oculorumque humiditatibus, capitis atque faciei defoedationibus ſcabioſis tanto promptius expoſiti ſunt, quo rarius ad narium haemorrhagias res in illis devenire ſolet. Succedente vero aetate tuſſes, vomitus, diarrhoeae, colicae flatulentae, tormina ventris &c. ipſis admodum ſunt familiaria. Non minus habitus corporis diſponit ad cachexiam, leucophlegmaciam, oedemata pedum, ex quibus ſubinde hydrops anaſarca & aſcites exurgunt, ſicuti etiam catarrhi ſuffocativi, morbi ſoporoſi, paralyſis & apoplexia ſeroſa huic temperamento prae alio familiariores ſunt adfectus. Si quando deliriis

adficiantur, raro illa alia eſſe ſolent, quám temulenta, ſomnolenta, oblivioſa, ſtupori naturali, quo laborant, congrua & reſpondentia.

§. XVIII.

Sanguinei a plethora adfectibusque inde procedentibus raro vivunt immunes; Quamvis enim in reliqua etiam temperamenta, cholericum atque melancholicum plethora ſubinde cadere ſoleat: Hi tamen prae reliquis frequentius plethorici evadunt, atque hinc ad haemorrhagias earundemque conſectaria, cum minus proſpere in illis ſuccedant, ſolent propendere, nempe ad congeſtorios affectus primum capitis, deinde pectoris tandemque inferioris ventris: Hinc frequenter admodum cephalalgiis, otalgiis, odontalgiis, febribus quoque plus minus acutis expoſiti vivunt, &, ſi quandoque intermittentibus corripiantur, paroxyſmis caloris valde aeſtuoſis diuque durantibus adficiuntur; Procedente aetate congeſtiones ſanguinis magis circa lumbos, coxas & os ſacrum ipſis eveniunt; Unde adfectus arthritici, nephritici, iſchiadici, gonagrici, podagrici & haemorrhoidales aliaque tonico-ſpaſmodica mala exurgunt: Cumque ſubinde congeſtiones & reſtagnationes ſanguinis alicubi in ſtaſes ruant; Hinc defoedationes cutaneae, ſcabies humida, inflammationes, apoſtemata &c. inde enaſcuntur.

§. XIX.

Cholericis pariter quidem familiares ſunt haemorrhagiae, ſed facilius quam in ſanguineis ſuccedunt, nempe prima puerili aetate & adoleſcentia per nares; In juventute vero experiuntur haemoptyſes, vel hiſce non perrumpentibus, pleuritides & peripnevmonias; Subinde etiam adficiuntur febribus acutis, & quandoque inflammatoriis, cauſodeis & cauſo ipſo, cholera, diarrhoea & vomituillioſis &c. occaſione nempe iracundiae, ad quam admodum proni ſunt. Ob quam motuum animi & corporis

vehe-

vehementiam ſubinde etiam motus ſpaſticos, quin plane convulſivos experiuntur. Si deliriis ſubinde occupentur, illa ſimiliter moribus & motibus animi proportionata ſunt, nempe iracunda, violenta, furibunda.

§. XX.

Melancholici denique uti ſpiſſitudine ſanguinis & humorum partiumque fibroſarum ſtrictura laborant: Ita potiſſimum pathematibus hypochondriaco-ſpleneticis, melancholia hypochondriaca & haemorrhoidalibus internis paſſionibus divexantur: Ob quam eandem etiam rationem infarctibus viſcerum indeque natis indurationibus hepatis, lienis, pancreatis, meſenterii &c. exponuntur, unde ſubinde hectica & atrophia naſcitur. Spiſſitudo ſanguinis & difficilis per partes tranſitus parit quoque palpitationes cordis aliosque ſpaſmodicos adfectus. Deliria, quibus tentantur, anxia ſunt, timida atque taciturna cum oppletione & coanguſtatione praecordiorum, tremoribus artuum &c.

§. XXI.

Ad hiſtoriam cauſarum morbificarum generalem nunc tranſeundum eſt, quod, priusquam fiat, in anteceſſum adhuc obſervandum eſt, in *cauſali* morborum *nexu* evolvendo *το activum* a *paſſivo* perite ſemper diſcernendum eſſe. Sic in inflammatione pro activo haberi debet motus ſanguinis progreſſivus, per partem inflammatam tranſiens, ſed auctus, propter reſtagnationem ſanguinis excitatus, quem deinde inevitabiliter comitantur ardor, rubor, dolor, donec tandem ad ſuppuratorium ſucceſſum res deveniat: Si vero loco diſcuſſionis vel ſuppurationis ſequatur potius ſtaſis & ſphacelus, jam pro *paſſivo* is effectus haberi potius meretur.

§. XXII.

Conſideranda vero hic inprimis eſt diſpoſitio interna ex indole craſeως. *Hippocratis* enunciatum eſſe dicitur:

 Omnem

Omnem hominem a natura morbum eſſe; Nec negari poteſt, mixtionem corporis animalis ita comparatam eſſe, ut ſuapte ſponte ad intimam, nempe putredinoſam corruptionem inclinet, & quidem tanto promptius ſanguinem ipſum, quo temperatior eſt atque floridior, proxime vero partes muſculoſas & parenchymata viſcerum, per quae copioſior ſanguis tranſit, in quam etiam ſine dubio actu ruerent & reliquas partes in eandem labem, nempe putredinoſo-ſphaceloſam brevi pertraherent, niſi motibus vitalibus progreſſus promtus talis putredinis interciperetur & obex veluti eidem poneretur. Unde conſequitur, internae iſtius ad frequenter aegrotandum diſpoſitionis nullam omnino rationem eſſe habendam; Quia, quamdiu motuum & actuum vitalium legitimus ſucceſſus viget, efficaciter ſemper impeditur, quo minus potentia illa in actum erumpere queat.

§. XXIII.

Quoad res non naturales medicis ita dictas, quarum efficaciam in excitandis variis morbis longa ſerie enarrare vulgo ſolent Pathologi, notandum eſt, quod longe rariori, quam ſpeculatores moderni ad animum admittere poſſunt, ad effectum morbificum excitandum influxu polleant: Quanquam ideo penitus negare nolimus, multos magnos, inprimis chronicos morbos vel ingluviei, voracitati aliisque diaetae vitiis, vel ſubitaneis nimis caloris atque frigoris alternationibus, vel impetui adfectuum animi, vel motuum corporis voluntariorum defectui vel exceſſui vel cauſis violentis externis, tranſpirationis inſenſibilis repentinis ſuppreſſionibus, excretionum ordinariarum tam ſanguinearum quam ſeroſarum turbationibus vel miaſmatum contagioſorum communicationibus vel improvidis admiſſionibus &c. ſuam debere originem. Alias toto die experimur, etiam graviſſimos abuſus circa res non naturales commiſſos ſatis diu ſine eminenti noxa atque damno corporis tolerari poſſe, niſi forſan ſubjecta teneriora ac ſenſi-

ſenſibiliora fuerint, diaetae ſcupuloſiori ſpontanea quaſi ſervitute ſeſe ſubmiſerint vel violentis animi pathematibus abripi ſeſe paſſa fuerint.

§. XXIV.

Tanto vero minus reformidandae ſunt poteſtates ſalinae, raro quippe vera energia pollentes ad totidem morbos inducendum, quot in *Pathologia ſalſa* vulgo iisdem vindicantur. Sive enim ex proprio ſanguinis ſinu, ejusdem ſcil. reſolutione fuerint enata, ſive extrinſecus corpori communicata iſta ſalia, evidens tamen eſt, cauſandi efficacia raro pollere, cum alias in quotidiano corporum ſalinorum abuſu ejus indolis morbi longe frequentius obſervari deberent: Ubi & illud addi liceat, in plerisque adfectibus, in quibus ſalia hactenus accuſata ſunt, raro ſalſam cauſam obtinere, exemplo adfectuum arthriticorum, chiragrico-podagricorum, qui non modo certae aetati competunt, ſed & cum haemorrhagiis, menſtrualibus potiſſimum & haemorrhoidalibus citra dubium conſpirant.

§. XXV.

Aſt de plethora res manifeſtior eſt atque ipſo plebis teſtimonio certior. Praeterquam enim, quod varias corpori moleſtias, ſegnitiem nempe ad motus laborioſiores ſuſcipiendos & promptam ſub hiſce defatigationem, difficultatem ſpirandi cum palpitatione cordis &c. experiantur, plethorici etiam diſpoſiti ſunt ad haemorrhagias vel ſaltem congeſtiones ſanguinis ad loca, haemorrhagiis alias patentia, quibus per haemorrhagias non ſolutis oppletiones, infarctus, ſtagnationes, imo corruptiones inde oriuntur: Qua occaſione ipſi quoque motus ſubinde pervertuntur tandemque plethora cum cacochymia complicatur.

§. XXVI.

Ordinarium plethorae, ſufficienter ac tempeſtive non ventilatae conſequens eſt nimia ſanguinis humorumque

 ſpiſſi-

ſpiſſitudo, quae difficultatem progreſſus pariendo, hinc inde ſtagnationes, infarctus, oppletiones, ſtaſes, corruptiones, vel pro regionis & partium diverſitate mala hyſterica, hypochondriaca, ſplenetica, melancholica, palpitationes cordis aliaque pathemata parit. Neque difficile eſt, praeſentiam ejus manifeſtare, quae quippe ex ſpontanea corporis laſſitudine & torpore, gravitate morborum, frequentibus caloris ac frigoris alternationibus, praecordiorum anxietatibus, difficultate ſpirandi ſub motu corporis violentiore, anxiis & meticuloſis animae operationibus &c. cognoſci haud obſcure poteſt.

§. XXVII.

Tandem vero, cum haec ſanguinis ſpiſſitudo & lentior inde procedens progreſſus univerſum ſe- & excretorium negotium valde turbet, ſequitur vitium in craſi, quod *cacochymiam* vulgo vocant, quae tamen minime iterum tam varia eſt ac multiplex, uti vulgo Mechanici praetendunt, ſed longe ſimplicior, v. g. *ſeroſo-mucoſa*, qualis in cachexia, leucophlegmacia, oedemate & anaſarca obtinet, vel *ſalſa* atque *bilioſa*, qualis in ſcabioſis & ictericis reperitur, vel *venerea*, quae ab impura meretricia cohabitatione ortum traxit, vel *ſcorbutica*, qualis in diatheſi obtinet ſcorbutica.

§. XXVIII.

Maxime in hiſtoria morborum generali attendenda hic venit *ſenſibilitas individualis* ejusq; diſpoſitio ad morbos, vel ſaltem moleſtias & alterationes prompte ſuſcipiendas ex calore & frigore, certo eduliorum genere, odore certo vel quavis alia re, utut levioris laeſionis capace, à quibus quippe omnibus ejusmodi tenerae atque ſenſibiles perſonae, non ſemper aeque à nativitate & impreſſione materna tales, ſed quae iſtam *ſenſibilitatem* poſt praegreſſam febrim vel alium morbum vel poſt nauſeam vel poſt commotiones animi vehementes ſibi contraxere.

§. XXIX.

§. XXIX.

Pathemata inprimis animae longe praeſentiori pollent efficacia ad motus pervertendos & in anomaliam conjiciendos atque adeo varios quoque morbos inducendos. Hinc ex vehementia irae alii in apoplexiam, alii in paralyſin conjecti fuere; Alii in febres cholericas & cauſum ipſum inciderunt; Alii convulſionibus atque deliriis correpti fuere. Pueri lactentes poſt iram nutricis vel puerperae in tormina ventris & epilepſiam ſaepius conjecti ſunt; Pathematum arthritico-podagricorum, nephritico-calculoſorum, hyſtericorum &c. paroxyſmos ira revocatos eſſe, neminem Practicorum fugit. Quid ſubitaneus terror valeat in excitanda epilepſia, convulſionibus, paralyſi, apoplexia &c. vulgo notum eſt. Neque ignota eſt metus efficacia in morbis contagioſis, febribus petechialibus, peſtilentialibus imo peſte ipſa. Puerperas innumeras enecavit terror. Nauſea febres ac vomitus ſaepiſſime excitavit. In gravidis terror naevos tenellis impreſſit infantibus. Moeror animi atque triſtitia melancholiam, paſſiones hypochondriacas, ſpleneticas &c. ſaepius excitavit.

§. XXX.

Conſvetudinis non minor eſt poteſtas in motibus & actibus vitalibus pervertendis, ſicque variis morbis vel revocandis vel exacerbandis. Sic nauſea, licet tantum imaginaria, in quibusdam actus vitales enormiter, teſte experientia, laedere atque turbare ſolet; Erit tamen turbatio iſta vel remiſſior, prout plus vel minus adſueverit vel deſueverit. Ita etiam perſonae tenerae, valetudinariae gravibus ſubinde morbis ſubjiciuntur, quos tamen & felicius & breviori temporis intervallo ſuperant, quam athletici homines, quique diu proſpera ſanitate gaviſi ſunt; Hi enim eundem adfectum paſſi non modo vehementiorem & graviorem ejusdem inſultum experiuntur, ſed & citius eodem intereunt. Dandum etiam conſuetudini, quod, ſi quis certa morbi ſpecie ſemel atque iterum fuerit correptus

reptus, ille tantopere inde inſoleſcat & habitualis quaſi evadat, ut longe poſthac facilius eundem patientem corripiat. Et quis neſcit, haemorrhagias ſpontaneas aeque ac artificiales, epilepſias, colicas paſſiones, diarrhoeas, vomitus aliosque ſpaſticos adfectus conſuetudini admodum exacte obedire, ut, recurrente ſolemni excretionis tempore, iidem quoque motus recurrant, quibus excretiones iſtae in effectum deducebantur.

§. XXXI.

Pertinet huc hiſtoria morborum periodicorum, qui ſtatis temporibus, idque vel longioribus vel brevioribus periodis, recurrunt. Ad priorem claſſem pertinent haemorrhagiae narium, quarum per periodos revertentium exempla a Practicis fuerunt obſervata. De affectibus arthritico-podagricis notum eſt, quod ſingulis temporibus aequinoctialibus vel ſolſtitialibus ſuos ſervent recurſus. Similiter aliae praeter narium haemorrhagiam excretiones ſincerae per periodos ſubinde revertuntur, uti ſuut haemorrhoides, mictus cruentus, haemoptyſis &c. quorſum etiam pertinent ventilationes ſanguinis artificiales, haemorrhagiarum vicariae, quae ſimiliter ſtatis temporibus ſuas repetitiones efflagitant. Foeminis male menſtruatis vel totali menſium ſuppreſſione laborantibus ſingulis ſpatiis menſtruis cardialgiae & anxietates cum doloribus ſpaſticis circa lumbos, os ſacrum, coccygis &c. ſunt menſtruae. Deliria melancholica ac potiſſimum maniaca ſuas etiam exacerbationes ſtatis temporibus patiuntur; Unde appellatio Der ſchweren Monathen originem ſuam traxit. In permultis periodicae quoque indolis ſunt congeſtiones eryſipelatodes, ophthalmicae, odontalgicae, rhevmatico-iſchiadicae, hemicranicae &c. Neque ſolertem obſervatorem latere poteſt, affectus paralyticos & hemiplecticos haud infrequenter quoque & quidem multo gravius eo tempore recurrere, quo primum invaſerant patientem: Breviori vero tempore atque periodo recurrunt febres, potiſſi-

potiſſimum intermittentes, & tertianae quidem horis antemeridianis, quartanae vero pomeridianis, quarum nonnullae tam exquiſite periodum ſuam ſervant, ut eadem praeciſe hora revertantur.

§. XXXII.

Huc etiam ſpectat hiſtoria morborum habitualium, qui vel diuturna conſuetudine, cui jam antea magnam efficaciam vindicavimus, nituntur, vel recurrendi promptitudinem atque frequentiam ſupponunt, vel diuturna duratione habitum tandem adquirunt. Nituntur autem maxime depravatione, turbatione vel ſuppreſſione motuum; Unde ſanguinis ſerique congeſtiones, ſpaſmodicae partium confinium compreſſiones & ſtricturae ad haemorrhagiam contendentes, ipſiusque lymphae ac ſeri ſtagnationes manationesque procedunt. Haec ſi fiant circa caput, vel haemorrhagiae narium ſequuntur, vel, his ad exitum non pervenientibus, cephalalgiae, odontalgiae, otalgiae, ophthalmiae, palpebrarum ardores, pruritus, quin ulcerationes, parotidum tumores, inflammationes & ſuppurationes, eryſipelata capitis atque faciei; Vel ſuccedunt adfectus ſeroſo-lymphales, uti ſunt lippitudines oculorum, gravedines, coryzae, viſus & auditus hebetudines, tumores tonſillarum uvulaeq; cum mucoſitate fauces obſidente & frequentibus ſputationibus; Circa collum & pectus anginae, ſputa cruenta vel haemoptyſes, aſthmata ſicca & ſpasmodica per vices recurrentia, tuſſes ſiccae diu durantes, ſubinde etiam humidae, ſi congeſtio ſeri verſus loca iſta facta fuerit, imo plane phthiſes oriuntur.

§. XXXIII.

Si ejusmodi motuum perverſiones circa ventriculum & inteſtina contigerint, oriuntur inde cardialgiae, vomitus, flatulentiae, borborygmi, tormina ventris, diarrhoeae ſpontaneae, circa tempora aequinoctialia ſuccedentes, variae menſium anomaliae & fluores mulierum albi. In abdomine & artubus varia exurgunt pathemata ſpaſmodica,

epileptico-convulſiva, arthritica vaga aeque ac fixa, podagrica, gonagrica, chiragrica, nephritica vel ſimplicia vel calculoſa, haemorrhoidalia & paralytica: Pro quorum omnium vel frequentiori recurſu vel longiore duratione vel pertinaciori vi, impetu & efficacia non ſolummodo certius revertuntur, ſed & inſolentius inſiſtunt ac difficilius deſueſcunt.

§. XXXIV.

Praeter morbos *periodicos* & *habituales* commeminerunt quoque Practici morborum *haereditariorum*, qui à parentibus ad liberos tranſmittuntur, ubi conſideratione ſolerti non eſt indignum, quod non modo ſtatura corporis & lineamenta faciei, ſed & plane ſingulares animi propenſiones, averſiones vel appetitus certarum rerum peculiares, imo & motus certi circa ſucceſſus vitales ſe- & excretorios à parentibus ad liberos transfundantur. Sic parentes phthiſici vel arthritico-podagrici filios quoque phthiſicos vel arthritico-podagricos generant; Non quod in liberis ſaltus quaſi fiat ad eum morbum, quo parentes conflictati ſunt, ſed quod prius ejus indolis adfectibus corripiantur, qui cum morbo iſto parentum aliquam adfinitatem fovent & ad eum certiſſime tandem deducunt. Ita v. g. infantes à parentibus phthiſicis geniti, in prima aetate puerili expoſiti vivunt haemorrhagiis narium, hinc anginis, tuſſibus, aſthmatibus, porro in juvenili aetate peripnevmoniis vel plane haemoptyſibus, aſthmatibus, quae, ſi perverſe tractentur, ſerius ocyus tandem in veram pulmonalem phthiſin tranſeunt. Idemque in reliquis adfectibus haereditariis obtinet.

§. XXXV.

Optandum nunc foret, Practicis hodieq; duram non eſſe impoſitam neceſſitatem contexendi hiſtoriam *morborum corruptorum*, quae quippe corruptiones vel imperitiae vel promiſcuis vel plane praepoſteris artificum medicationibus maximam partem ſunt adſcribendae, quatenus nempe vel motus activi, ſalutares, imprudenter ſupprimuntur

& co-

& cohibentur, vel calidioribus, orgaſticis, ſpirituoſis & exagitantibus remediis immoderatior commotio in humores inducitur, vel ipſae materiae peccantes incongruis alterantibus pervertuntur; Non tamen excuſandi omnino ſunt aegrotantes, qui & perverſis animae pathematibus & improvida corporis denudatione & inquieta jectigatione & potus frigidi ſimulque copioſi ingurgitatione ſucceſſum morborum pariter variis modis turbare, eoque ipſo corruptionibus variis anſam praebere poſſunt.

§. XXXVI.

Fiunt autem corruptiones iſtae adfectuum variis modis, quatenus nempe vel exacerbantur, ut ex mitiore ac benigniore in acutiorem indolem tranſeant, quo modo ex indolentibus redduntur dolorifici, exemplo ſcirrhorum; Vel chronici in acutos convertuntur, vel quatenus morbi protrahuntur, quo modo ex vagis redduntur fixi, ex acutis chronici, ex tranſitoriis diuturni, vel quatenus excretiones, ad quas morbi quidam inclinant, ſupprimuntur, vel ſaltem perturbantur, ut in retroceſſione exanthematum verſus interiora, per intempeſtiva laxantia, videre eſt.

§. XXXVII.

Pertinet huc hiſtoria morborum *recurrentium*, quos alii retrocedentes, recedentes, vel retrogrados, alii palindromen morborum appellare malunt, eoque nomine indigitatur adfectus, cujus materia, antea vigore naturae à centro ad peripheriam propulſa & expulſa, ſtationem ſuam deſerendo, ad interiora ſeu centrum denuo vergit. Ad claſſem horum morborum reducendi ſunt, quorum materia vel ad ſummam corporis ſuperficiem propulſa eſt, exemplo febrium petechialium, vel aliarum exanthematicarum, morbillorum, variolarum, purpurae tam rubrae quam albae, eryſipelatis, vel qui praeter cutem atque cuticulam, ipſos quoque muſculos & partes glanduloſas penetrando occuparunt, uti ſunt bubones, tam peſtilen-

tiales, quam gallici, carbunculi, furunculi &c. Referenda vero etiam ad cenſum horum morborum podagra, una cum reliquis arhritidis fixae ſpeciebus, ſcabies cum achoribus & tinea capitis, quorum omnium materia nunquam impune retrocedit. Ulcera diuturna intempeſtive clauſa, hujus quoque loci ſunt, & quae mala induxerint, teſtes abundantiſſimi ſunt obſervatores Practici. Cum enim principium vitale, quod corporis conſervationi tanta cum vigilantia atque cura praeſidet, materiam noxiam à centro ad circumferentiam propellere, immo, ſi poſſibile fuerit, expellere conetur; Cogitare facile licet, quanta mala impendeant oeconomiae vitali, ſi retrocedere talem materiam contingat.

§. XXXVIII.

Neque hic omittenda eſt hiſtoria morborum *rarorum*, talium nempe, qui *non obſtantibus cauſis & occaſionibus*, *vel perpetuo corpori incumbentibus*, *vel in dies ingruentibus*, ab ipſo tamen effectu, cujus materialis corporis habitus admodum capax eſſe videtur, usque adeo alieni ſunt, ut non, niſi rariſſime hominibus obtingant. Quo in cenſu ſunt ſphacelus, verus nempe, completus, & à cauſa interna ſubnaſcens, nec non haemoptyſis, vomitus cruentus, haemorrhoides, podagra &c. reſpectu aetatis puerilis: Ubi contra convulſivi affectus puerili & infantili, quam conſiſtenti aetati ſunt frequentiores, niſi à pathematibus animi gravioribus, vel cauſſis violentis externis ortum ſuum habeant. Sic etiam lethargi, apoplexiae, & paralyſes, in aetate juniore rariſſimi ſunt morbi; Quorſum etiam ſpectat hydrops, phthiſis pulmonalis, &c. qui, uti raro contingunt, ita longe adhuc rarius interna quadam culpa hominibus incumberent, ſi ſollicite ſemper evitari poſſent nocumenta exterius oblata. Et licet aliquando in morbis, ſimplici alias ſchemate apparentibus, ataxiam quandam obſervemus, illa tamen rarius ipſorum morborum, longe autem frequentius vel aegrotantium vitio, vel ipſorum medicorum culpa contingit.

§. XXXIX.

§. XXXIX.

Quae conſideratio ad hiſtoriam metaſchematiſmi morborum nos deducit, quo nomine non aeque intelligimus generalem tranſitum unius morbi in alium, ſed talem transfigurationem unius in alium, qua manente materialium aeq; ac finalium cauſarum paritate, locum tantum atque typum mutant morbi, cum interea ſatis manifeſte adpareat, à ſe mutuo illos dependere, ac ſeſe invicem fovere. Cujus conſiderationis is non modo fructus eſt, ut veram eorum conſpirationem inter ſeſe mutuo inde addiſcamus, quibus initiis oriri, & in quae ſchemata transformari poſſint, ſed &, à quibus fundamentis pendeant, & qua ratione radicaliter, atque ex fundamento curari poſſint ac debeant. Ita quotidiana praxis quemlibet peritum obſervatorem facile edocebit, menſtruorum muliebrium negotium, tam varias induere larvas, ut nulla fere corporis pars à deſultoriis menſtruae hujus excretionis turbatae inſultibus immunis maneat: Si enim vel penitus ſubſiſtant, vel difficilius ſaltem & impeditius menſes ſuccedant, circa caput cephalalgiae, ophthalmiae, otalgiae, odontalgiae, eryſipelata faciei, & parotides nec non tumores circa collum & nucham, anginae, ſtrangulationes faucium, rigores & ſpaſmi in nucha, circa pectus aſthmata, tam humida quam ſicca & convulſiva, haemoptyſes, tuſſes, palpitationes cordis; circa hypochondria & regionem abdominis cardialgiae, pathemata hypochondriaca, nephritica, calculoſa &c. inde oriuntur. Ita etiam mictus cruentus, ſchemate mutato, in calculum renalem tranſit, & conatus haemoptyici haud raro in phthiſicam pulmonum exulcerationem convertuntur &c.

§. XL.

Quo eodem loco hiſtoriam *morborum recidivas parientium* commemorare, non erit incongruum. Oriuntur ex criſi vel lyſi infide & imperfecte ſuccedentibus, remanente nempe aliqua materiae morbificae parte: Unde Hippocratis ſententia eſt; Quod ſi alio, quam judicatorio die febres

bres & alii morbi acuti deſinant, recidivam metuere oporteat, id eſt; Morbi, qui judicatus vel ſolutus eſſe videbatur, recurſum ſeu reverſionem. Quare iterum Hippocrates recte inquit: Quae relinquuntur poſt criſin, recidivas facere conſueverunt.

§. XLI.

Sunt autem morbi recidivis expoſiti, in capite apoplexia cum epilepſia; Ex pectoris affectibus, pleuritis, tuſſis, aſthma, in primis autem febres, tam chronicae, tertianae, quam acutae, in primis malignae. Ex abdominis morbis recidivis ſubjecti ſunt vomitus cruentus, colica, dyſenteria, icterus, pathemata hypochondriaca virorum & hyſtericarum mulierum, nephritica, calculoſa, hydrops, &c. ac denique ex articulorum morbis affectus arthritici, podagrici, eryſipelacei, &c. recidivas patiuntur; Id quod tamen non faciunt indiſcriminatim, nulla temporis ratione habita, ſed qui hieme, vere, aut prima aeſtate contingunt, non facile recidivas pati conſueverunt: Qui vero autumno contingunt, reverſioni frequentius ſunt obnoxii. Neque omnes aeque prompte & aeque facile recurrunt, ſed aliqui facilius, ut melancholia, nephritis calculoſa, colica, ophthalmia, & alii difficilius, ut variolae, morbilli, quartana &c.

§. XLII.

Spectat huc morborum *conſequentium* hiſtoria, talium nempe, *qui alios prægresſos ita conſequuntur*, ut, ſicuti à Stahlio deſcribuntur, alibi de materia praecedentis aliquid retineant, *alibi de motibus praecedenti debitis, ſed alieniori loco, atq; ordine, aliquid ſervent, alibi à faſtidio atq; defatigatione, praecedenti morbo non ſatis feliciter adhibitorum ſubſidiorum, qualitercunq; tolerati, magis magisque firmas & profundas radices agant.* Ejuſmodi conſecutionum feraces in primis ſunt febres, quae ſuppreſſae, & in anomaliam conjectae, vel recidivas patiuntur, quod melius eſt, vel tumores phlegmonodes, in alterutrum pedem decumbentes, vel tumores oedematoſos pedum relinquunt, latius, immo altius pomoeria ſua

exten-

extendentes, & ad abdomen usque aſſurgentes, donec tandem in hydropico-aſciticos affectus convertantur; Et haec quidem eveniunt ſubjectis ſeroſioribus, & laxiore corporis habitu gaudentibus? Qui vero ſiccioris ſimulque ſtrictioris ſunt habitus, illi hecticas potius extenuationes incurrunt. Similiter tertianas autumnales excipere ſubinde quartanas, nemini ignotum eſt. Variolae non raro relinquunt decubitum materiae acris ad pectus, cujus rei teſtis eſt tuſſis admodum importuna, quae nec facile remittit, nec intermittit, immo ſuas ſubinde exacerbationes patitur. Febri quartanae ſuccedit interdum icterus. Poſt haemoptyſin, adſtringentibus inprimis tractatam, non raro relinquitur phthiſis ſeu ulceratio pulmonum. Haemorrhagias uteri largiores, vel violentas ſanguinis profuſiones, conſequuntur interdum cachexia tandemq; hydrops, quandoque hectica tabes, utrumq; quandoque, &c.

§. XLIII.

Agmen claudat hiſtoria morborum *incurabilium*, quo nomine non aeque intelliguntur tales, quorum curationem medicus ne quidem ſuſcipere audet, vel qui ſaltem, ſi radicitus exſtirpari recuſent, aliquam tamen mitigationem admittunt: Sed tales denotamus, qui, quidquid etiam omni ſua arte ac ſcientia moliatur artifex, ad veram tamen ſolidamque integritatem vel fundamentalem eradicationem perduci conſtanter non poſſunt, quin vel repullulando, vel jugiter inſiſtendo, utrinque interim magis inſoleſcendo, miſerum aegrotantem ad tumulum tandem deducant. STAHLIUS ad tres claſſes revocat incurabiles tales morbos, in quarum prima eos collocat, *qui vix unquam ſolide, & conſtanter eradicantur, quin longis ſaepe intervallis recrudeſcendo ſatis monſtrent, quod ſolidum illorum fundamentum aut tactum non ſit, aut certe non fractum.* Quorſum referendi ſunt morbi, qui haemorrhagiis ſpontaneis adſuefactis nituntur, quique catarrhales rhevmaticas reſtagnationes circa caput pro fundamento habent & agnoſcunt.

§. XLIV.

§. XLIV.

Ad ſecundam claſſem pertinent morbi, qui *breviori-bus quidem intervallis, ſed gravioribus exacerbationibus, recurrendo, ita magis magisque inſoleſcunt, ut re vera medicam opem ferocius aſpernentur, & quanto magis directe, ab hac oppugnantur, tanto magis effera non tam pertinacia, quam vehementia contra aſſurgant, ne dum, ut illos abolere, & ſanitatem integram reſtituere liceat.* Atque hujus cenſus ſunt haemorrhagiae uterinae excedentes, pathemata hypochondriaco-flatulenta, colica torminoſa, jam habitualia facta, affectus item hyſterico-ſpaſtici & convulſivi, paſſiones arthriticae, podagricae, gonagricae, iſchiadicae, chiragricae, epilepſiae & vertigines caducae, melancholia confirmata, mania, paralyſis, apoplexia, nephritis calculoſa, phthiſis pulmonalis, aſcites conſummatus, oedemata pedum confirmata in annoſioribus, ſcirrhi mammarum diuturni, indeque nata ulcera cancroſa, ſi irritati fuerint, aſthma inveteratum, fluxus foeminarum albus, ulcera tam externa, quam interna, cancer mammarum, procidentia uteri habitualis, urinae incontinentia inveterata &c.

§. XLV.

Ad tertiam denique claſſem reducendi ſunt morbi, qui, cum in ſe conclamatae ſint ſpei, ſolam etiam mitigationem vel curam palliativam non admittunt. Quorſum ſpectant apoplexia profundior, paralyſis, & haemiplexia, gutta ſerena ſubito orta, cancer occultus pariter ac ulceratus, & in primis ſphacelus.

CAPUT TERTIUM.

SISTENS

Hiſtoriam morborum ſpecialium ſeu ſingularium.

§. I.

Exhibita hiſtoria morborum generali, periculum nunc faciendum eſt, qua ratione hiſtoria affectuum ſpecialis,

cialis, ſeu morborum ſingularium adornanda ſit. Et, cum ſuperius in Pathologia ſpeciali omnes affectus ad tres claſſes revocaverimus, nempe, ad morbos vitioſae quantitatis ſeu plethorae, ad morbos vitioſae qualitatis ſeu cacochymiae, ac denique ad morbos vitioſorum motuum, ſive excedentium, ſive deficientium, ſingulorum ſingula dabimus exempla, & ſic hiſtoriam morborum ſingularium rudi tantum in ſchemate adumbrabimus.

§. II.

Plethoram, haemorrhagiarum omnium ſpontanearum fundamentum eſſe, ſuperius in pathologia ſatis evictum eſt. Exemplar ſtatus haemorrhagici in haemorrhagia narium ſimplici exhiberi liceat. Subjecta illis expoſita ſunt pueri & adoleſcentes, in ſtatu plethorico jam tum conſtituti, rarius puellae, ea in aetate verſantes, in quibus quippe, poſtquam ad pubertatis annos pervenere, menſtrua purgatione ventilari ſolet plethora. Si in aliam, quam puerilem, cadat aetatem, in ſexu maſculino, vel asſuetudinem vel haereditariam diſpoſitionem praeſupponit vel commotiones externas, & orgaſmum in ſanguine excitatum conſequitur: Qualis vel à motu corporis vehementiore, vel ab abuſu vini, ſpiritus vini, aliorumque potuum ſpirituoſorum, vel rerum calidarum & aromaticarum, fervore ſolis vel hypocauſtorum calidorum, &c. excitatur.

§. III.

Cum vero talis haemorrhagia in commodum atque ſalutem oeconomiae vitalis ſit ſuſcepta, ad ventilandam nempe & exonerandam plethoram; Facile patet, eam, dummodo moderate atque tranquille ſuccedat, non modo nihil incommodi, quod operae valeat pretium, cauſſari, ſed plane patientem, qui antea de doloribus capitis membrorumque gravativis conqueſtus fuerat, ſublevare, immo ad alacritatem & ad agendum talem diſponere atque in agendo promptiorem & expeditiorem reddere.

IV.

At vero, ſi paullo difficilius ſuccedat, vel defectu laboret, ſuis incommodis non deſtituitur. Inducuntur enim dolores capitis lancinatorii, tenſivi, & admodum ſenſibiles, quos preſſorii oculorum dolores cum vertiginoſa moleſtia praecedunt. Circa interiora narium ſenſum quendam titillationis experiuntur, quem deinde digitorum frictionibus excutere tentant. Vaſa ſangvifera frontis, temporum & oculorum praeter ſolitum inflata conſpiciuntur, in toto vero reliquo corpore, potiſſimum tamen in artubus, ſingularis laſſitudinis ſenſus animadvertitur. Et iſta quidem vaſorum ſanguineorum diſtenſio de congeſtione ſanguinis, eo verſus facta, ſatis luculentum praebet teſtimonium, quam ipſi quoque effectus cephalalgici, ophthalmici, odontalgici, otalgici, parotides, eryſipelata faciei, angina, colli & faucium tumores inflammationesque, immo, propter vicinitatem partium, pathemata quoque congeſtorio-ſpaſtica ipſius pectoris, ſatis confirmant.

§. V.

Graviores adhuc anomaliae corpori inducuntur, ſi ejusmodi haemorrhagiae in conſuetudinem jam abierint, deinde vero vel ſponte emaneant, vel quocunque temerario artificio cohibeantur & ſupprimantur; Vel etiam, ſi exitum quidem moliantur, veruntamen ad plenam perruptionem non pertingant, tunc à reſtagnatione ſanguinis copioſa, ſimulque pertinaci circa caput tenſiones gravativae, dolores, ardores, rubores, immo ſubinde inflammationes & ulcerationes oriuntur: Si autem ſegnius vel ſubtilius ad exitum ſuum contendant, tunc vertigines, aurium tinnitus, hebetudines viſus & auditus, quin rhevmaticae ſenſationes circa nucham exſurgunt.

§. VI.

Quod ſi haemorrhagiae, per quemcunque demum locum exitum tentent, ad plenam perruptionem non pertingant,

tingant, congeſtiones ſiunt, quae nihil reipſa aliud ſunt, quam motus haemorrhagici, ad ſinceram quidem evacuationem contendentes, ſed ſine ſuo fruſtratae. Nulla aetas eſt, quae iisdem non ſit expoſita, ſicuti omni aetati haemorrhagiae ſunt familiares, utut loco eruptionis variantes. Natales ſuos debent impetuoſiori ſanguinis commotioni, cum intentione eundem excernendi, & violentius revertuntur, ſi vel haemorrhagiae conſuetae emaneant, vel artificiales ſanguinis ventilationes temere intermiſſae fuerint. Nulla pars eſt vel regio corporis, quae ejusmodi congeſtionibus, ſive ſanguinis, ſive ſeri non pateat. Differunt tamen loca, ſecundum diverſitatem aetatum; Pueris enim, haemorrhagiis narium adſvetis, contingunt circa caput, & conjunctam habent gravitatem oppletivam, calorem, dolorem ruboremque, donec, ſecuta tandem haemorrhagia narium, haec omnia mirabiliter ceſſent. In adoleſcentia atque juvenili aetate ſolemniores ſunt congeſtiones circa pectus; Unde pleuritidi atque peripneumoniae, quin ſubinde haemoptyſi magis expoſiti ſunt: Foeminae vero ſub impeditiore menſium ſucceſſu de anguſtiis & oppreſſionibus pectoralibus, difficultate ſpirandi, inprimis dum ſcalas adſcendunt, conqueruntur. In virili vero aetate vel circa ventriculum & venam portae, vel circa loca haemorrhoidalia vis congeſtionum ſeſe exſerit.

§. VII.

Specimen ſpecialis congeſtionis ſanguineae ſeſe ſiſtit in cephalalgia ſic dicta ſanguinea, quam à feroſa diſtingvimus. Admodum frequens eſt, & ſubjectis plethoricis, in diaeta lauta viventibus & haemorrhagiis narium adſvetis, nunc vero inſufficienter ſuccedentibus, valde familiaris. Aetatem puerilem & adoleſcentiam frequentius occupat, ita tamen, ut habitualis reddita in alias quoque aetates tranſmigret. In juniore aetate communiter exerere ſeſe ſolet cum calore, in fronte potiſſimum percipiendo cum lancinatione, rubore genarum & inflatione

earundem turgidula, in ſubjectis nempe ſpongioſioribus, frigidiore interim & ſtricto quodammodo exiſtente reliquo corpore inferiore, quam etiam ob cauſſam alvus ordinarie clauſa eſt. Oculi rubent, ac proinde liberiorem luminis admiſſionem ferre nequeunt, lancinationes vero per caput tranſverſim decurrentes pulſui cordis arteriarumq; quodammodo ſynchronae ſunt. Eosdem pulſatiles dolores in ipſa quoque temporum regione percipiunt, venae jugulares totiusque capitis tument, idq; veluti proprium habent, quod ejuſmodi cephalalgiae ex quacunque aeſtuoſa corporis commotione, ingurgitatione potuum ſpirituoſorum, &c. facile recrudeſcant.

§. VIII.

Annoſioribus vero tales cephalalgiae familiarius obtingunt, quando vel in juniori aetate haemorrhagias narium experti ſnnt, vel pro ſexus diverſitate menſtrui vel haemorrhoidalis fluxus ſuppreſſione laborant, ſicuti & ſubjecta hypochondriaca atque hyſterica, quae plerumque diuturnis obſtructionibus alvinis laborare ſolent, ejuſmodi cephalalgiis adficiuntur. Tranſitoriae ſunt in viris, diuturniores & contumaciores in foeminis, in quibus etiam, ſub difficiliore inprimis menſtruorum ſucceſſu, menſtrua periodo recurrere conſueverunt. Excurrunt quandoque in haemorrhagiam narium, in juniore potiſſimum aetate, quandoque ſponte, attamen ſucceſſive remittunt. In ſeroſioribus vero ſubjectis, in catarrhalem evacuationem deſinunt, coryzam nempe cum lippitudine, vel gravedinem, in coryzam tamen tandem tranſeuntem. Quandoq; ſed rarius, ad inflammationem res devenire ſolet, quae, cum diſcuſſione non ſemper ſolvatur, ſuppuraſcit, qui caſus effluxu puris ex auribus manifeſtare ſeſe ſolet.

§. IX.

Ad alteram affectuum claſſem ſuperius in *pathologica* tractatione revocavimus vitia humorum *in qualitate* peccantium,

cantium, quae uno *cacochymiae* nomine enunciavimus; Cujus ſpecimen exhibeat nobis hiſtoria ſcabiei, quae triplex eſt, alia nempe humida, alia ſicca, & alia denique venerea. Invadit juniorem potius quam aliam quamcunque aetatem, niſi vel per contagium in adultis transſplantetur, vel mutationem climatis atq; diaetae ſubinde conſequatur. Sicca cholericis atque melancholicis; Humida vero ſeroſioribus, nempe phlegmaticis atque ſanguineis familiarior eſt. In humida puſtulae multa materia ſanioſa ſunt repletae, quibus tandem ruptis ſanies effluit. In circumferentia rubicundum velut circulum, inflammationis teſtem formant, ſub quo inflammationis ſtatu etiam ſanies generatur, & poſtquam ad ſuppurationem deducta eſt, effunditur. Puſtulae in hac ſcabiei ſpecie ſunt majores, paulisper elevatae, magisque artus libero aëris contactui patentes occupant. Ulcuſcula haec tandem vel ſponte, vel artificio medico conſolidantur, cujus etiam conſolidationis primordia moleſtiſſimo pruritu ſeſe manifeſtare ſolent.

§. X.

Paullo aliter ſeſe gerit ſcabies ſicca, quae in ſtrictiorem magisque ſiccum corporis habitum cadere ſolemnius conſvevit. Hujus puſtulae & minores ſunt, & ſero magis limpido atque pellucido repletae. Pruritus conjunctus longe vehementior eſt, & puſtulae inflammatorio rubore circumdantur, donec tandem ulceroſo-ſanioſam materiam fundant, ſenſimque deſiccatae denuo conſolidentur.

§. XI.

Scabies denique venerea uti inquinamentis impuris venereis natales ſuos debet; Ita longe aliis circumſtantiis ſtipata eſt. Inclicant ſuapte natura ad indolem magis ſicceſcentem quam humidam, licet ſubinde corpora multis humiditatibus repleta occupet. Et quanquam rarius per totum corpus ſeſe diffundat, ſed magis ſumma femora juxta pudenda, ſcrotum, immo & faciem juxta os occupare magis

 conſve-

conſveverit; Eſt tamen ſcabies iſta maxime cruſtacea, nec tamen cruſtae iſtae tam facile atque promte abſcedunt, ſed integros ſaepe dies pertinaciter adhaereſcunt, nec more reliquarum ſcabiei ſpecierum circulo rubello inflammatorio circumdantur, ſed marginem potius pallidum vel ſublividum offerunt. Serpiginoſae quidem naturae eſt, ſed ſegnius hunc effectum exerere obſervatur. Prodit ſeſe doloribus nocturnis aliarum partium, & quidem rodentibus profundius infixis; Subinde conjuncta eſt in viris gonorrhoea vel bubones inguinales, in foemellis vero fluor albus, virulentus, cum genitalium excoriatione. Subinde retrocedit quidem, verum nunquam ſine periculo vel damno praecipuorum actuum vitalium. Neque proficuam vel ſalutarem fuiſſe ejuſmodi retroceſſionem, laſſitudo ac ſenſus defatigatorius cum virium proſtratione ſatis oſtendunt; Et ſi vel maxime ad peripheriam extrudatur denuo maligna iſta ſcabies, ad tumores tamen magis bubonodes inclinat, quales tamen difficillime ad verum maturationis ſtatum deduci ſeſe patiuntur.

§. XII.

Reſtat, ut duo adhuc exempla tradamus hiſtoriae morborum, qui vitio motuum, ſive nimis auctorum & exacerbatorum, ſive contrario defectu laborantium nituntur. *Poſterioris* ſpecimen occurrit in apoplexia, quae vel ſanguinea eſt, vel ſeroſa. In utramque propendent, qui aetate jam ſunt provectiores ſenioq; propiores. Invadit quidem derepente, non tamen ſine manifeſta plethorica conſtitutione, & quando conſvetae ſpontaneae ſanguinis exonerationes, inprimis haemorrhoidales, vel ſponte ſubſtiterunt, vel artificialiter cohibitae ſunt, vel ventilationes ſolemnes, aequinoctiales vel ſolſtitiales, perdurante tamen adhuc ſtatu plethorico, praepoſtere neglectae, vel aliae vicariae evacuationes per ulcera manantia, fonticulos, coryzas ſubinde invadentes, ſuppreſſae fuerunt: Tunc enim repentinae fiunt, ſive ſanguinis, ſive ſeri congeſtiones circa caput ejusque interiora, & vel vaſorum ſanguineorum ruptura, vel copioſioris

ris ſeri coacervatio, unde deinde vel apoplexia ſanguinea, vel ſeroſa exoritur. Praecedunt tamen communiter frequentes vertigines, & vel tranſitorii oculorum ſplendores, vel contrariae obfuſcationes, ſonitus, & ſuſurri aurium, cum ſubitanea animae occupatione. Non eodem ſemper gradu invadit, ſed ſubinde gravior, ſubinde levior eſt; Illa, praecipiti omnium actuum vitalium ſublatione, mortem cito infert: Haec vero, licet ſenſum ac motum maximam partem tollat, aliqualem tamen reſpirationem lévioremq; cordis & arteriarum pulſum aliquamdiu adhuc relinquit, cum mediocri movendi potentia, quae tamen diu durare non ſolet. Vaſa ſanguinea interim circa tempora inflantur, & genae obſcura quadam rubedine perfunduntur, & reſpiratio eſt ſtertoroſa. Subinde apoplexia ſanguinea in paralyſin deſinit, in plerisque vero majori efficacia revertitur, ſicque plerumq; vitae finem imponit. In ſeroſa vero ſpuma circa os colligitur, & cum motibus convulſivis communiter excurrit. Sanguinea longe pejor eſt ſeroſa, cum ſanguinis ſinceri effuſionem intra capitis interiora inferat; Id quod inde patet, quod etiam poſt mortem copioſi ſanguinis eruptio ex naribus & infundibulo apoplecticorum, inflatio faciei, vaſorumque jugularium, & oculorum extra orbitas ſuas protuberantia, obſervetur. Et quanquam ſuperius inter morbos raros retulerimus apoplexiam, eſt tamen paralyſi longe adhuc frequentior.

§. XIII.

Exemplum motuum nimis exacerbatorum, ſive in exceſſu peccantium, exhibeat nobis epilepſia. Uti vero motus convulſivos in genere ſuſcipi raro videmus, quin cauſſae quaedam materiales praeſto ſint in corpore, propter quas tam vehementes & prorſus anomali motus adornantur: Ita idem quoque in epilepſia obtinet; Quae proinde in infantibus, vel dentitionem difficilem, vel variolarum eruptionem, vel lumbricos & cardiogmum; In puellis vero menſes difficulter ſuccedentes vel obſtructos, in aliis terrorem, vel iram vehementem, calculos, vel rei pere-

peregrinae ex corpore excuſſionem, comitatur&c. Repentinis invadit inſultibus, & motibus quidem convulſivis, modo contractoriis, modo extenſoriis violentiſſimis, ſub reliqua rigida corporis conſtitutione; In terram proſtratis manus in pugnum, & pollex in hunc tam fortiter imprimitur, ut mediocri opera explicari vix queant: Quod ſi nihilo minus tempeſtive fiat, univerſa paroxyſmi vis & efficacia non parum debilitatur. Et quanquam artus prae aliis partibus ejusmodi motibus convulſivis violentius exerceantur, pectus tamen ſimul adfici, reſpiratio evidenter monſtrat, oculi quoque tanta vehementia diſtorquentur, ut ſubinde ſtrabismum poſt ſe relinquant, lingua antroſum indecenter exporrigitur, ſpuma circa os colligitur, dentes ſtridore corripiuntur, ut, niſi durum quoddam corpus maxillis immiſeris, linguam commordeant. Et, ſicuti hoc modo in junioribus caput ejusque partes iſti motuum vehementiae magis obnoxiae ſunt; Ita ſucceſſu temporis ſtupore quodam adficiuntur ſenſus, & fatuitatis ſigna non obſcura relinquuntur; Paroxyſmo ſuperato non aeq; de acutis doloribus, ſed tantum de ſenſu quodam laſſitudinis conqueruntur, & nullarum aeque rerum, quae durante paroxyſmo actae ſunt, recordantur. Conſuetudine crebra ita inſoleſcit, ut facili de cauſa non modo revertatur, ſed &, quos ſemel atque iterum, in adultiore potiſſimum aetate invaſit, eos in tota reliqua vita vix iterum deſerat; Cum facilius denuo evaneſcat in iis, quos ante pubertatis annos corripuit. Nota mihi fuit foemina epileptica, quae paroxyſmum, quotieſcunq; immineret, praeſenſit; Alias vero ex improviſo invadit. Idiopathica rarior eſt conſenſuali.

§. XIV.

Eadem methodo univerſa reliquorum ſingularium affectuum hiſtoria concinnari poſſet, ſi inſtitutionum terminos latius, quam hucusque conſuetudo tulit, extendere liceret: At vero, brevitati ſtudentes, malumus hic pedem figere, & ad medendi methodum nos convertere.

INSTITU-

INSTITUTIONUM MEDICINAE REFORMATARUM PARS SEXTA

adumbrans

Methodum medicandi Generalem.

INSTITUTIONUM MEDICINAE REFORMATARUM PARS SEXTA

adumbrans

METHODUM MEDICANDI GENERALEM.

CAPUT PRIMUM.

De

Methodo medicandi genuina in genere.

§. I.

Cum ſuperius praecognita artis traderemus, in primo ſtatim limine obſervabamus, corpori humano inditam eſſe medicinam quandam internam, ſpontaneam atque naturalem, ſeu autocratiam quandam, qua non morbi tantum acuti ſine externo artificiali ſubſidio, auxilio vel conſilio ſponte ſuperarentur, ſed & chronici convenienti modo, ſucceſſu atque tempore, non tamen absque ſynergia ejusdem naturae, quae ſecundum antiquiſſimum *Hippocratis* teſtimonium ſola morborum medicatrix eſſet, tandem ita ſubigerentur eorundemque efficacia infringeretur, ut priſtina corporis ſanitas in integrum reſtituta adpareret.

§. II.

Unde ſponte conſequitur: Meliorem normam, cynoſuram & medicandi methodum artificialem excogitari non poſſe, quam ſpontaneam illam ipſius Naturae ſeu *autocraticam* morborum ſuperationem ſive efficacem ſaltem concurſum, quo tam fluida *in craſi*, quam ſolida in *textura* & *ſtructura* integra & inviolata praeſtantur: Quorum

 quippe

quippe utrumque ſi deficiat, fruſtranea, inutilis & ſupervacua eſt opera, quam medicus artificialis, externus, utrique morborum generi adcommodare molitur.

§. III.

Uti vero Natura oeconomiae animalis vitalisque integritatem in ſtatu ordinario & naturali conſervat motibus *pulſoriis* ſanguinis & *tonicis* partium fibroſarum, moderate & aequaliter ſeſe habentibus: Ita in conditione corporis extraordinaria & praeternaturali eadem plane methodo, *pulſu* nempe atque *tono*, ſed proportionate auctis atque intenſis utitur, ad cauſam morbificam ſubigendam atque ſuperandam: Hinc, ne ex nimia plethorae accumulatione ſpiſſitudo ſanguinis, impeditior progreſſus, ſe- & excretionum turbatio, ſtagnatio vel ſtaſis oriatur: Eveniet, ut vel ſanguis abundans motu progreſſivo aucto in ſerum reſolvatur, vel per haemorrhagias evacuetur, vel, ne ſpiſſitudo ſe- & excretorio negotio obſtacula objiciat, motibus febrilibus atque ſpaſmodicis illa attenuetur, reſolvatur atque extravertatur, vel, ſi jam ſtaſis aliqua facta fuerit, illa, ne invaleſcat, motu inflammatorio abſtergatur, ſicque efficaciter impediatur, ne corpori nocumentum quoddam adferri facile poſſit.

§. IV.

Atque ad hanc agendi methodum internam attendere debet medicus, qui miniſterio ſuo externo vel plethorae incommoda antevertere, vel materiam qualitate peccantem corrigere & alterare, vel motus excedentes commoderari, vel deficientes excitare & exſtimulare contendit.

§. V.

Quae omnia certius atque ſecurius fieri non poſſunt, quam ſi modos agendi ipſius naturae, tam quid agat, quam quomodo propoſitum ſuum proſequatur, artifex ſollicite imitetur, ſi attendat, per quae loca & organa, quo tempore, quibus mediis & inſtrumentis, & quo demum

fine

ſine materias noxias ſubigat, tandemque corpore ejiciat? Ita enim cynoſuram quandam, normam atque regulam adquiret, ſecundum quam therapiam artificialem inſtituere prudenter queat.

§. VI.

Primum itaque, quod conſiderandum externo medico incumbit, conſiſtit in eo, ut ſciat, quid agendum ſit? An materia ſit alteranda, vel evacuanda? An vero motus tantum ſit corrigendus & in ordinem redigendus? An, ſi materia exturbanda, mobilis ſit & ad excretionem apta atque diſpoſita? An vero immorigera, rebellis & ad ſuſcipiendum motum inhabilis? Hinc eſt, quod in morbis acutis ante dies judicatorios nulla criſis fiat: Quod circumſpectum reddere debet artificem, ne, quae motus nondum capax eſt, materia importunius exagitetur, vel, quam ſubire renuit, ad excretionem abſolute damnetur.

§. VII.

Modos agendi ſolers natura, quamdiu recte ſibi conſtat, identidem commonſtrabit artifici. Sunt illi vel *pulſorii* ſanguinis, vel *tonici* habitus fibroſi, quibus vel humorum ſpiſſorum attenuatio & reſolutio vel corruptorum ſecretio & abſterſio, vel, ſi ſola tantum quantitate peccet, ſincera depletio praeſtatur: Quos eosdem agendi modos ſuo quoque in miniſterio, nempe artificiali, intendere & prae oculis habere debet medicus externus. Si motus iſti interni tam *pulſorii* quam *tonici* nimium exacerbentur & ad exceſſum ſpaſtico-convulſivum intendantur, monſtratur eidem, cauſas materiales, propter quarum quippe remotionem ad eum gradum motus iſti augebantur, tempeſtive eſſe removendas motuumque talium exorbitantium contemperationi invigilandum: E contrario vero ſi defecerint, id quod ex effectibus lipothymicis & ſyncopticis haud obſcure colligere licet, potius exſtimulandi, natura roboranda & ad agendum denuo invitanda eſt.

§. VIII.

Et ſicuti natura in ſuperandis morbis opportunitatem agendi aucupatur: Ita nihil quoque intempeſtive movere debet medicus. In acutis dies criticos ſollicite *illa* expectat, ſicque artificem monet, eadem tempora patienter expectanda eſſe, ne quid agatur, quod motuum criticorum ſucceſſum ulla ratione turbare vel intervertere poſſit. In chronicis v. g. tertianis ſub paroxyſmi aeſtus declinatione ſudores critici demum ſuccedunt, quod etiam tempus prudenter captare debet medicus. Et ſic de caeteris.

§. IX.

Nec omnis promiſcue locus aptus eſt atque commodus, ex quo & per quem materia peccans evacuari queat, ſed in aliis adfectibus natura hoc negotium tentat per diaphoreſes atque ſudores, in aliis per exanthemata, in aliis per vomitum, in aliis per ſeceſſum &c. Quam operandi circumſpectionem medicus quoque artificialis ſibi commendatam habere debet, ne v. g. in morbis exanthematicis actui catartico incumbat, ſicque exanthematum retroceſſioni cum aegrotantis interitu anſam ſuppeditet.

§. X.

Denique ad eundem quoque finem atque ſcopum, quem omni actuum ac motuum ſuorum vitalium ſyſtemate intendit natura, collineare quoq; debet medicus, nempe ut materia corruptibilis aeque ac corrupta tempeſtive expellatur, ſicque mixtio ſeu craſis ſua in integritate conſervetur.

§. XI.

Ex quibus omnibus ſponte conſequitur: Genuinam medicandi methodum artificialem naturae aemulam & in eo ſolum poſitam eſſe debere, ut ſecundum certas *indicationes*, ex indole morbi fluentes, remedia fida, utilia atq; efficacia inveniantur, morbis ita opponenda, ut actus ſe- & excretorii, ad quos natura ſponte vergit, non turbentur,

ſed

ſed omni modo juventur ac promoveantur, habita ubiq; circumſtantiarum morbi peculiarium, inprimis temporis, temperamentorum, aetatum, ſexuum, morum atq; propenſionum animi, individualium diſpoſitionum &c. rationali ratione. Seu: Brevius ita deſcribitur methodus medendi: Quod ſit ea doctrinae medicae pars, commonſtrans modum, mediantibus certis *indicationibus*, genio atque indoli morbi ſpeciali ubique reſpondentibus ſumma medicamentorum genera, ſummis morborum generibus opponenda, inveniendi.

§. XII.

Scholae medicorum veterum haſce res, *indicationem* nempe, *indicans* & *indicatum* recte ac perite, ut decebat, inter ſeſe mutuo diſtinxerunr. Nam *indicationis* nomine indigitarunt ipſam auxilii convenientis inventionem, qua prudenti medico quaſi indicaretur & commonſtraretur, qua ratione morbo ſuccurrere poſſet. Cauſa, propter quam agendum eſt, ſive res tam ſecundum quam praeter naturam, quae vel ſui conſervationem vel remotionem expoſtulat, dicitur *indicans*. Et medicamentorum applicatio ſeu ſpecialia remedia, per ſuas indicationes inventa & morbis applicata *indicatorum* nomine veniunt.

§. XIII.

Quod *indicationes* ſpeciatim attinet, eas trifariam iterum diſtinxerunt antiqui artis medicae antiſtites, nempe in indicationem *praeſervatoriam*, *curatoriam*, atque *vitalem* ſeu *conſervatoriam*. Uti vero *praeſervatoria* contra cauſas morbi antecedentes, & *curatoria* contra formales directa eſt: Ita *conſervatoria* virium praeſentium conſervationem & amiſſarum reſtitutionem reſpicit.

§. XIV.

Ad *indicantia* ſpectant vires, morbus ejusque cauſa; Et *indicata* ſeu remedia ipſa ex triplici fonte, *diaetetico* nempe, *pharmacevtico* atque *chirurgico* hauriuntur.

§. XV.

Uti vero tria ſumma cauſſarum morbificarum genera, plethoram nempe ſeu quantitatem humorum, vitioſam eorundem qualitatem & vitia motuum tam excedentium quam deficientium antea enumeravimus: Ita quoque in medendi methodo tria ſumma medicamentorum genera conſideranda nobis occurrent, nempe evacuantia, alterantia & motus vel commoderantia, ſi exceſſu peccaverint, vel exſtimulantia, ſi qualicunque defectu laboraverint. Eritque methodus illa vel *generalis*, quae generales tantum morborum cauſſas reſpicit, vel *ſpecialis*, quae ſpecialibus morbis, vel *ſpecialiſſima*, quae individuis, certis morbis laborantibus eſt adcommodata. Hic vero *generalem* tantum *medendi methodum* tradere conſultum eſt.

CAPUT SECUNDUM.

De

Evacuatione humorum tam quantitate *quam* qualitate *peccantium.*

§. I.

Quicquid abundat in corpore, ſui evacuationem expoſtulat, dummodo convenienti modo, tempore ac loco, imo & per congrua atque convenientia organa id fiat: Cum enim tota vitalitatis ſive conſervandae ſive reſtituendae ratio in legitimo ſucceſſu ſe- & excretionum unice vertatur: Manifeſtum eſt, externum quoque medicum naturæ laboranti aliter ſuccurrere non poſſe, quam perita adminiſtratione excretionum ſeu evacuationum, quas tamen legitima materiarum praeparatio praecedere debet, quia ſine praeparatoria tali diſpoſitione difficulter alias univerſum evacuationis negotium ſuccedit.

§. II.

Quare ſequentes hic regulas obſervaſſe juvabit: Nullam ſcil. artificialem evacuationem ſuccedere in corpore, niſi

niſi motus aliquis vitalis concurrat: Unde ſedulo cavendum, ne ſynergia illa per alienas intentiones, in ſubjectis potiſſimum tenerioribus ac ſenſibilioribus turbetur. Omnem evacuationem artificialem eo eſſe meliorem, quo naturali ſimilior eſt. Nullam materiae evacuationem prius eſſe ſuſcipiendam, quam mobilis prius reddita ſeu ad motum diſpoſita fuerit; Id quod in actu emetico pariter ac purgatorio potiſſimum obſervari meretur. Omnem evacuationem debere eſſe tempeſtivam, & tempus ſollicite captandum eſſe, ne quicquam naturae deſtinationi contrarium ſuſcipiatur, exemplo diaphoreſeos, quae in acutis non ſub paroxyſmi aeſtuoſi exacerbatione, ſed ejusdem potius remiſſione adornanda eſt. Concurrente nonnunquam ſcopo tum evacuatorio tum correctorio, alterutrum eligendum eſſe, qui prae altero praeſentius indicat. Sic evaçuatio alterationi praeferenda eſt, ſi ſubjectum ſit robuſtius, materia vel copia, vel ſingulari turgeſcentia vel qualitate plus minus noxia peccet, nec minus excretioni apta fuerit. Alterationi contra incumbendum, ſi cum ſubjecto & teneriore & ſenſibiliore res fuerit, materia hoc modo facilius ſeſe ſubigi patiatur & ſcopus evacuatorius alii motui vitali ſit in praeſens contrarius. Evacuationes pleraſque in ſubſidium naturae ſuſceptas, facile quidem in *conſuetudinem* tranſire; Sed ideo tamen omittendas non eſſe, ſed ſubinde repetendas.

§. III.

Iſtae autem evacuationes, quae in ſubſidium naturae ab artifice inſtituuntur, duplicis ſunt ordinis, nempe vel *pharmaceuticae* vel *chirurgicae*. Ad *priorum* cenſum pertinent emetica, purgantia, diaphoretica & ſudorifera, diuretica, ſalivantia tam univerſalia quam particularia, errhina & prarmica, maſticatoria & expectorantia: *Poſteriorum* vero ſeriei miſſiones ſanguinis per venaeſectionem, ſcarificationem, hirudinum adplicationem, fonticulorum, ſetaceorum & veſicatoriorum excitationem accenſentur; Imo

ſanguinis extravaſati eductiones è capite per trepanationem, puris vel aquae extractiones è thorace per paracentheſin pectoris, & ſeri ex abdomine vel ſcroto aſciticorum evacuationes per parilem paracentheſin ſive abdominis ſive ſcroti &c. huc quoque pertinent.

§. IV.

Primum itaque locum inter evacuationes pharmaceuticas concedimus emeticis ſeu vomitoriis, quae ſunt medicamenta in ſubſidium naturae ab artificibus adinventa, ut eorum ope non modo humores mucidi atque bilioſi corrupti ſed & viſcoſitates tenaces ex oeſophago, ventriculo atque inteſtino duodeno, imo & ſubinde pulmonibus ipſis per conſenſum educantur ſicque primae viae ab heterogeneis humoribus, digeſtionem turbantibus repurgentur ac liberentur.

§. V.

Indicantur vomitoria in ſubjectis ἐυεμέτοις, in cardialgia nauſeoſa, quae ab eſculentis dyſpeptis, nuper demum devoratis, vel ex aſſumptis venenoſis ortum ſuum habuit, vel ſi quis in eſu viſcidorum ſimulque frigidorum v. g. cucumerum vel melonum abuſum commiſerit, vel ſi ſive ante ſive paulo poſt prandium ad iracundiam fuerit concitatus &c. An vero in menſium vitiis, utut à praegreſſa diaeta mucoſa initia ſua habuiſſent, locum obtineant poſitiva emetica, fortiter ſtimulantia & irritantia, ex eo potiſſimum capite dubitarem, quia motus ab inferioribus avocando ſurſum potius convertunt: Sed in oppletone pectoris catarrhali ſuffocativa non modo infantum, ſed adultiorum, potiſſimum ſi mucus partes iſtas obſeſſas teneret, certum eſt, inſignem uſum habere vomitoria. Neq; omnino diſſvadenda ſunt epilepticis, vertiginoſis, paralyticis & hemiplecticis, qui quippe omnes ex uſu vomitoriorum haud leve ſolamen atque ſubſidium experiuntur.

§. VI.

§. VI.

Econtrario vero abſtinendum ab iisdem in hernioſis nec non procidentia uteri anique laborantibus, quique ad haemoptyſin atque phthiſin inclinant, & anguſtiore pectoris conformatione laborant, in ſubjectis item eximie plethoricis & congeſtionibus ſanguinis verſus ſuperiora expoſitis, ophthalmicis v. g. hemicranicis vel cephalalgia admodum aeſtuoſa adfectis, in febribus acutis epidemice graſſantibus &c. Neque hic excludenda individualis ſenſibilitas & diſpoſitio ad lipothymias vel convulſiones & quaedam quaſi abhorreſcentia ab emeticis, conjuncta cum individuali quadam difficultate ad vomendum. Quam male inde quoque habeant ſcorbutici, experientia ſatis loquitur. Infantibus denique & impraegnatis non conducere emetica, monitore me non indiget.

§. VII.

Ponamus autem, nihil eſſe, quod vomitum contra indicet: Nunquam tamen ad actum vomendi ipſum deveniendum eſt ſine ſufficiente materiae praeparatione ſeu diſpoſitione ad mobilitatem; Quia ſine digeſtiva tali materiae inprimis viſcidae atque tenacis reſolutione in caſſum movetur vomitus ejusque loco anxii tantum motus, naturam debilitantes, excitantur. Deinde examinanda quoq; eſt conditio virium praeſentium; Unde in morborum declinatione vomitoria nunquam propinanda ſunt. Ante omnia vero alvum liberam atque apertam eſſe decet: Quia alias, ſi alvus fuerit adſtricta, metus eſt, ne motus vitales turbentur, exacerbentur vel plane invertantur, ſicque vel tormina colica vel plane iliaca pathemata ſuccedant.

§. VIII.

In univerſo vomendi actu prudenti regimine opus eſt. Vehiculum debet eſſe copioſum, v. g. cereviſia calida cum butyro non ſalito vel ſimplex tantum aqua tepida vel theae potus dilutior, ſed copioſius hauſtus. Sub

 vomitu

vomitu ipſo quietior continentia eſt ſuadenda, ne nimium inſoleſcant motus; Externa quoque refrigeratio nec minus interna per potulenta actu frigida ſtudioſe cavenda, quia ſubinde poſt commiſſos tales errores atonia ventriculi, ſingultus, colica & flatulentia relinquuntur. Ubicunque impeditius ſuccedere viſus fuerit vomitus, digeſtivis juvandus ac promovendus eſt: Ubi vero exceſſu potius laboraverit, non quidem omnino ſiſtendus, ſed vino aromatiſato calido, cinnamomo nempe, macere, caryophyllis, croco, cardamomo &c. condito complacandus atque contemperandus eſt: Cui fini obtinendo etiam ſubſerviunt theriacalia nec non extracta amara in pilularum formam redacta, uti ſunt extractum abſinthii, cardui benedicti, centaurii minoris & alia talia; Quae eadem quoque remedia in hyperemeſi admodum ſunt conducibilia. Tempus vomitioni aptum eſt matutinum, ventriculo nempe adhuc jejuno exiſtente.

§. IX.

Uſitatiora ac reliquis ſecuriora emetica ſunt primum tartarus emeticus Mynſichti & radix Ipecacuanhae; Et ille quidem ad duo, tria vel quatuor grana aut ſolus aut cum aliquot granis cremoris tartari exhibitus; Haec vero ad ſcrupulum unum vel duos cum ſale abſinthii vel cardui benedicti data. A nonnullis equidem commendatur quoque radix aſari, potiſſimum in febribus quartanis: Sed uti ab omnibus draſticis ſollicite cavendum; Ita hic quoque metuendum, ne nimia vehementia ſuum exerat effectum. Sedi vermicularis decoctum aliquoties repetitum in adfectibus ſcorbuticis admodum commendant *Miſcellanea N. C.* quanquam alias notum ſit, ſcorbuticis nec emetica nec draſtica purgantia conducere. Helleborum album nonnulli propinant maniacis, ſed propter nimiam vehementiam effectu dubio. Extractum nicotianae ad unum, duo vel tria grana ſcopo emetico hodie a nonnullis exhibetur; Verum praeterquam quod vehementes moveat vomitus, alvum quoque expedire atque adeo ancipitem effectum

edere

edere ſolet. *Langius* ſal vitrioli a ſcrupulo uno ad duos in aqua ſimplici ſolutum in apoplexia ſeroſa tanquam ſpecificum & certae efficaciae medicamentum admodum extollit. In infantibus ſtimulantia quaevis fortiora vitanda ſunt: His enim ſufficere poteſt vel ſyrupus florum perſicorum in acutis, v. g. catarrho ſuffocativo; In chronicoteris vero oleum amygdalarum dulcium, vel oxymel ſquilliticum, quod & reſolvit & ad excretionem diſponit, ex uſu eſſe poſſunt.

§. X.

Actum *vomitorium* excipit *purgatorius*, quo nomine intelligimus evacuationem artificialem, naturali aemulam, cujus ope varii humores tam copia quam prava qualitate peccantes, mucoſo-ſeroſi, billioſi ejusque generis alii, non ſolummodo ex inteſtinis, ſed & proximis partibus atque viſceribus, quinimo ex ſanguine ipſo per anum evacuantur, ſicque totum corpus a ſuis impuritatibus liberatur, idque beneficio motuum tonicorum, ultra gradum naturalem auctorum. Unde patet, *catarſin* & leniorem quidem & magis naturalem eſſe *emeſi*, ſed tamen efficaciae longe diffuſioris eſſe, quia etiam per viſcera proxima imo maſſam humorum ipſam ſeſe diffundit.

§. XI.

Remedia, quorum beneficio effectus iſte evacuatorius excitatur, catartica vocantur, quae tamen non omnia uno eodemque gradu operantur, ſed alia lenius atque modeſtius, alia vero fortius & impetuoſius: Ac proinde in *laxantia* & *purgantia* ſtricte ſic dicta ſatis commode diſtingui poſſunt. *Laxantia* etiam *lenientia* ſub ſeſe comprehendunt, quae leni tantum ſtimulo ſiccitatem alvi indeque natam obſtructionem expediunt, ſuntque maximam partem ex tartareorum familia deprompta, qualia ſunt ſal tartari, arcanum tartari, cryſtalli tartari, terra foliata tartari, tartarus vitriolatus, ſal polychreſtum Charras, nitrum antimoniatum, ſal epſonienſe & alia talia, ex quibus

pro artificis intentione variae formulae concinnari facile poſſunt.

§. XII.

Laxantia paulo fortius operantur, humores non modo ex inteſtinorum tunica interiore abſtergendo, ſed & leniorem illis ſtimulum inducendo ſicque excretionem promovendo. Ad quam claſſem pertinent tamarindi, manna, magneſia alba, alöe tam roſata quam violata, folia ſennae ſine ſtipitibus theae inſtar cum aqua fervente infuſa, rhabarbarum tam in ſubſtantia quam in extracto, pulvis Jalappae, extractum hellebori nigri & extractum panchymagogum Crollii, quod cum maſſa pilularum *Stabliana* ſatis commode combinari poteſt ad efficaciam illius intendendam; Infantibus vero hoc ſcopo commodiſſime exhibetur ſyrupus de cichoreo cum rhabarbaro, ſyrupus roſarum ſolutivus, magneſia alba &c.

§. XIII.

Purgantia poſitiva fortius operantur & vel humores colliquando vel vias potentius ſtimulando effectum ſuum producunt, quorſum ſpectant ex phlegmagogorum ſerie jalappa ejusdemque reſina, radix aſari & bryoniae, colocynthis & trochiſci de agarico, ex numero cholagogorum rhabarbarum & ſcammonium, ac denique ex melanagogorum ordine helleborus niger &c.

XIV.

Ne quis vero artifex in uſu horum remediorum turpes committat abuſus, quod ferme quotidie in praxi contingere ſolet, diligenter expendenda eſt naturarum ſeu ſubjectorum diverſitas ratione ſenſibilitatis vel ſenſus ſtupidioris: Quia his fortiora, illis vero debiliora ſufficiunt. Oportet quoque circumſpectam habere rationem ipſorum temperamentorum: Quia temperamenti phlegmatici homines ſegnius moventur, illisque propterea fortiora competunt: Cholericis vero, in quibus humores facilius commoventur

moventur & ad orgaſmum concitantur, moderatiora ſufficiunt.

§. XV.

Conſiderari hic inſuper meretur, quod purgantia nonnunquam dubium ſeu emetico-catarticum effectum producant, licet, quod emeſin directe excitaret, nihil additum fuerit: Id vero totiens contingere ſolet, quotiens remedium vel cum nauſea adſumptum eſt, vel adverſum ſaporem ori faucibusque impreſſit, vel ſubjecta ipſa ſenſibilia & euemeta extiterint, vel inſignis humorum quantitas in ventriculo collecta haeſerit vel ipſum remedium catarticum praeſentioris activitatis & indolis cauſticae fuerit, uti reſinoſa copioſius data & per alia non diffuſa facere conſueverunt: Cui obſervationi aliam ejusdem propemodum indolis jungimus, nempe quod ſerum ſalinum fortius commovendo diureſin magis urgeant atque promoveant: Qui effectus vel ideo contemnendus non eſt, quia in morbis chronicis, cachecticis, leucophlegmaticis, oedematoſis, hydropico-aſciticis & anaſarca, in quibus quippe omnibus ſeri fuſione, colliquatione & excretione opus eſt, non ſpernendum exerunt effectum.

§. XVI.

Addo: Catarſin ſine ſufficienti humorum evacuandorum praeparatione, digeſtione ac diſpoſitione ad motum nunquam ſuſcipiendam eſſe: Unde praemiſſis digeſtivis ſalinis, ut jam circa actum emeticum monitum eſt, purgatio lenius, commodius & tutius ſuccedit: Vix vero ſine enormioribus ventris torminibus, ſi haec regula practica neglecta vel inſuper habita fuerint. Si vero ob quamcunque ſive aegrotantis ſive ipſius medici culpam hypercatarſis excitetur, theriacalibus vel vino aromatiſato ad juſtum moderamen reduci poteſt.

§. XVII.

Indicantur & contra indicantur purgantia in iisdem propemodum caſibus, in quibus emetica indicantur & contra

contra indicantur. Locum ſuum jure tuentur in ſubjectis mobilioris quidem alvi, ſed tamen non nimis ſenſibilibus, in collectione cruditatum non primas tantum vias occupantium, ſed & ipſam humorum maſſam gravantium, in febribus intermittentibus, tertianis & quartanis, in puerperarum purgamentis tam lochialibus quam ſecundinalibus, ſi quae, puerperio abſoluto, forte remanſiſſent.

§. XVIII.

Econtrario nullus purgantibus, inprimis fortioribus, locus concedendus eſt in infantibus, ſenibus atque perſonis aliunde debilitatis; Neque tuto exhibentur gravidis atque puerperis, illis propter metum abortus, his vero, ne fluxus lochialis nimium incitetur; Laxationi tamen tutius in his indulgetur, & quidem in initio puerperii, ad lochia, impeditius vel parcius ſuccedentia promovenda, circa finem vero ad uterum ab inquinamentis partim lochialibus partim ſecundinalibus ſubinde reſtitantibus liberandum ac repurgandum. Similiter in febribus, potiſſimum inflammatoriis raro purgantibus opus eſt, imo, ſi invita morborum iſtorum natura exhibeantur, rarius ſalutarem poſt ſe effectum relinquunt. Neque herniofis, potiſſimum hernia incarcerata laborantibus, vel procidentia ani adfectis, ſcorbuticis, diſpoſitione haemorrhoidali gaudentibus &c. conducunt.

§. XIX.

Modum operandi quod ſpectat, ille pro diverſitate graduum, quibus purgantia effectum ſuum edunt, varius eſt. *Lenientia* emolliendo viasque lubricando agunt; Laxantia, inprimis ſalina abſtergendo leniterque ſtimulando, & purgantia fortiter irritando, quaedam fundendo & reſolvendo ſerum, quaedam vero tam fundendo & reſolvendo quam vias ſtimulando operantur.

§. XX.

Regimen ejus, qui purgans adſumſit, ita comparatum eſſe decet, ut in ſimplici laxatione corpus modeſte movea-

moveatur, in fortiori vero purgatione in quiete detineatur. Si ob quodcunque impedimentum effectum ſuum edere recuſet, novum purgans non eſt ſuperingerendum, ſed prioris ſucceſſus vel clyſtere immiſſo ſollicitandus vel ſalinis digeſtivis promovendus. A refrigeratione inferiorum & abdominis abſtinendum atque cavendum eſt, ne potulenta frigida ſuperingerantur, ſicque torminibus ventris occaſio ſubminiſtretur.

§. XXI.

In locum purgantium, ſi forte quibusdam in caſibus contra indicentur, ſubinde cum fructu & patientium emolumento ſubſtituuntur clyſteres, quicquid etiam in eorundem contemptum à nonnullis dicatur vel ſcribatur. Sunt autem pro diverſa artificis intentione & adfectuum indicantium indole varii, nempe vel *emollientes* vel *purgantes*, vel *carminativi*, vel *adſtringentes* vel *anodyni* vel *abſtergentes* vel *vulnerarii* & *conſolidantes*, quibus nonnulli etiam *nutrientes* addere conſveverunt.

§. XXII.

Clyſteres emollientes ſimul atque laxantes conſtant partim ingredientibus aquoſis, partim oleoſis & nonnihil ſalinis, quibus excrementa alvina indurata non tantum ſolvuntur, ſed & viae lubricae redduntur ſicque faeces ipſae ad faciliorem excretionem diſponuntur. Suntque vel *ſimplices* vel *compoſiti*: *Illi* parantur vel ex aqua ſimplici butyro recenti largiter imbuta vel ex urina humana recenter micta, vel juſculis carnium &c. Hi vero ex herbis, floribus atque radicibus vi emolliendi praeditis, uti ſunt radices altheae & liliorum alborum, folia malvae, biſmalvae, parietariae, brancae urſinae, betae & mercurialis, flores chamomillae, meliloti, verbaſci, malvae roſeae &c. quae quippe omnia vel aquae ſimplici vel lacti vel juſculis carnium incoquuntur, eorundemque colaturae deinde vel butyrum vel oleum amygdalarum dulcium vel aliud ſolvens & emolliens additur ſicque calide ano injicitur. Atq;

ejuſmodi clyſteres emollientes in febribus, potiſſimum obſtructione alvina pertinaciore & inflammatione ſuum uſum exerunt.

§. XXIII.

Ab his gradu tantum diſcrepant clyſteres *purgantes*, quam quippe purgandi efficaciam adquirunt, ſi ingredientibus emollientibus inter decoquendum addantur folia ſennae vel rhabarbarum vel poma colocynthidis vel aliud quoddam purgans, colaturae vero deinceps permiſceatur vel electuarium diacatholicum vel diaphoenicum vel confectio Hamech &c. Sic enim ejuſmodi clyſter faeces alvinas nimium induratas non ſolummodo diſſolvet, ſed & inſuper fibras inteſtinorum motrices ſtimulando ad excretionem invitabit. Uſus eſt in contumacioribus alvinis obſtructionibus, in morbis chronicis, ſubinde etiam acutis, v. g. repentinis reſtrictionibus humorum verſus ſuperiora indeque ortis adfectibus apoplecticis, lethargicis, repentina coecitate ſive amauroſi &c.

§. XXIV.

Subinde clyſteribus roborantibus & ſub-adſtringendi virtute pollentibus opus eſt, in quibuſcunque enormioribus fluxibus alvinis & inteſtinorum relaxatione tonica; Quales parantur ex radicibus tormentillae, biſtortae, corticibus granatorum, baccis myrthi, foliis plantaginis, caudae equinae, floribus roſarum rubrarum atque balauſtiorum, & in vino rubello decoquuntur: Cautione tamen opus eſt, ne in diarrhoeis atque dyſenteriis in principio ſtatim in uſum vocentur, ſed demum circa finem, inteſtinis ab humorum acredine plenarie liberatis.

§. XXV.

Ad *anodynos* ſeu dolores ſedantes clyſteres confugiunt Practici iis in caſibus, ubi motuum nimis exacerbatorum temperatione ac mitigatione opus eſt, v. g. in variis colicae, ſpaſmodicae, bilioſae, haemorrhoidalis ſpeciebus, in

malo

malo mulierum hyſterico, in pathematibus nephriticis, in teneſmo inteſtini recti, in diarrhoeis atque dyſenteriis &c. Parantur maximam partem ex emollientibus, additis tamen ſeminibus lini, altheae, foenu graeci, papaveris & croco, non neglecto tamen etiam nitro, quod quippe egregium ſpaſmorum ſedativum eſſe, Practici toto die experiuntur. Coquuntur vel in lacte vaccino vel in jure vervecino, inprimis quod ex pedibus & capite paratum eſt, & colaturae vel theriacae vel mithridatii una vel altera drachma additur.

§. XXVI.

Clyſteres *detergentes* in uſum vocantur in *ulcerationibus* inteſtinorum, quae ſubinde poſt praecedentes graviores dyſenterias vel venena adſumpta relinquuntur, paranturque ex hordeo, furfure, beta, roſis rubris ſiccis, veronica, agrimonia, centaurio minori, lupinis contritis, ſaccharo cando ac melle roſato, quae duae ultimae tamen ſpecies poſt decoctionem adduntur colaturae, & quidem detergendi, exſiccandi & abſtergendi ſcopo, cum notum ſit, ulcera conſolidari prius non poſſe, quam deterſa & à ſordibus ſuis liberata fuerint.

§. XXVII.

Diſcutientes, qui alias etiam *carminativi* audiunt, clyſteres componuntur ex herbis diſcutientibus, reſolventibus & aromatica vi pollentibus, uti ſunt ex herbis origanum, ruta, mentha, meliſſa, majorana, ſalvia, calamintha, ex floribus chamomilla, melilotus, ex ſeminibus aniſum, foeniculum, carvum, & ex baccis lauri atque juniperi baccae, quae omnia vel in vino albo gallico vel in vini & aquae partibus aequalibus decoquuntur, & colaturae deinde ſalis rutae vel alterius cujusdam drachma una additur, ac potiſſimum in flatulentia inteſtinorum, ſpeciatim in colica flatulenta utilitatem ſuam exerunt *carminativi* tales clyſteres.

§. XXVIII.

Subinde in ſonticis quibusdam caſibus, v. g. in adfe-

ctibus ſoporoſis, paralyticis & apoplecticis, ad materiam à capite & cerebro revellendam vel etiam ad aegros tales in paroxyſmo excitandos, in partu quoq; difficili ad foetum expellendum, nec non in ſuppreſſione menſium atque lochiorum &c. ad clyſteres *vellicantes* Practicis recurrendum eſt, quales ex lignis, corticibus & herbis acrioribus parari conſueverunt, nempe ex ligno ſaſſafras & guajacino, ex corticibus guajaci, tamariſci & fraxini, ex herbis menthae, majoranae & roris marini, ex floribus anthos, ſtoechados atque lavendulae nec non ex baccis Juniperi atque lauri, quae ingredientia cuncta in vino albo gallico decoquuntur ac deinde colaturae vel ſalis gemmae vel cardui benedicti vel alterius cujusdam drachma additur.

§. XXIX.

Denique *vulnerariis* ſeu *conſolidantibus* clyſteribus aliquis nonnunquam etiam locus in praxi relinquendus eſt, quales ex plantis vulnerariis, conſolida nempe majore, alchymilla, plantagine, pyrola, ſanicula, hyperico aliisq; componi iisque in lacte dulci decoctis ſevum cervinum, terebinthina in vitello ovi diſſoluta, balſamum ſulphuris ſive ſimplex ſive compoſitum aliaque talia addi ſolent.

§. XXX.

De clyſterum *nutrientium*, quales vel ex lacte vel juſculis caponum & vitellis ovorum parari, & in adfectibus anginoſis aliisque commendari conſueverunt, exiſtentia noſtrum merito ſuſpendimus judicium, cum non modo ex ſpiritu vini, clyſmatis loco in anum injecto, repentina ſequatur inebriatio, ſed & humiditates cum faecibus alvinis permixtae ita ſubinde intra vaſa humoresque reſorbeantur, ut ingens alvi ſiccitas & diuturna obſtructio inde conſequatur. Nihil tamen apodictice de clyſterum horum exiſtentia definimus, ſed ut frequentiora circa hanc rem experimenta in poſterum inſtituantur, unumquemque hortamur.

§. XXXI.

Prius vero quam hanc doctrinam de clyſteribus obſignemus, id adhuc monendum reſtat, recentiorum temporum inventum eſſe clyſterem vaporoſum, ex fumo nempe tabaci conſtantem, & per inſtrumentum quoddam fumiductorium ano inſufflatum; Verum circa uſum ejus hoc reticendum non eſt, non cuivis ſubjecto tolerabilem eſſe fumum tabaci, cum non pauci cardialgicis & ſuffocativis anxietatibus inde ſubjiciantur, neque deſint obſervationes, quibus conſtat, folia tabaci, licet exigua in doſi clyſteribus incocta, ſpaſmodica & ſoporoſa vel convulſiva pathemata excitaſſe.

§. XXXII.

Regimen circa clyſterum injectionem obſervandum non in eo tantum conſiſtere debet, ut calide immittantur, ſed, ut patiens in quiete aliquamdiu ſeſe contineat, ſicque impediatur, ne ſine emolumento mox iterum egrediantur. Quod ſi vero vel ob individualem ſegnitiem vel contrarium motum vomitorium redire recuſet, tunc novo denuo clyſmate, cui aliquid ſalis communis immiſſum fuerit, reditus ſollicitari facile poteſt.

§. XXXIII.

A clyſteribus differunt *ſuppoſitoria* ſeu *glandes*, remedia nempe teretia vel pyramidalia, digiti minoris longitudine ano intrudenda, quaeque in ſolas tantum vias ſtimulando operantur, ad languentem nempe motum periſtalticum reſuſcitandum alvumque ſollicitandam & ad lenem depoſitionem invitandam, vel etiam ad teneſmum inteſtini recti ſedandum & leniendum imo & ad aſcarides enecandum & multos alios ob ſcopos.

§. XXXIV.

Pertinent huc globuli moſchati, quorum unus vel alter ano profundius immittitur; Parantur etiam ex ſebo vel ſapone recenti, ex caule braſſicae vel radice petroſelini, ſi

ſimpliciora deſiderentur ſuppoſitoria: Magis vero compoſita ſi in uſum vocanda ſint, ex melle cum ſale commune inſpiſſato confieri ſolent, & ſi haemorrhoides revocandi intentio fuerit, tunc ſpecies hierae picrae, pulvis hellebori nigri, aloës, ſal gemmae aliaque miſceri poſſent. Si ejusmodi medicamenta matrici foeminarum, vel paſſione hyſterica vel menſium ſubſiſtentia laborantium, immittenda ſint, peſſaria ſeu peſſi vocantur & pro intentionum diverſitate ex variis iterum ingredientibus parantur.

§. XXXV.

Quod vero de emeticis jam obſervatum eſt, quod nempe ſemel atque iterum in uſum vocata in conſvetudinem facile abeant, ut, niſi ſolemniter repetantur, varias in abdomine ataxias cauſentur; Idem quoque de purgantibus, clyſteribus & ſuppoſitoriis valet: Quod nempe purgationes tales ſolemnes verno vel autumnali tempore inſtitutae in conſvetudinem facile abeant, quae, ſi circa eadem illa tempora non repetantur, varias turbas circa primas vias habent pedisſequas. Hypercatharſes iisdem artificiis ſedantur, quibus hyperemeſes cicurari ſolent.

§. XXXVI.

Ab evacuationibus tam *ano* quam *catotericis* tranſitum faciamus ad evacuationem humorum tam *diaphoreticam* quam *diureticam*. Diaphoretica etiam *diapnoicam* perſpiranem, quae inſenſibiliter ſuccedit, ſub ſeſe comprehendit. Et quemadmodum natura in ſtatu vitalitatis ordinario per diaphoreſin atque ſudationem varia excrementa non ſolummodo ſeroſo-aquoſa, ſalina, acria, bilioſa & oleoſa atque ſulphurea, ſed & maligna miaſmata admodum activa extrinſecus communicata, imo & ſanguinem copia peccantem reſolvendo & in ſerum convertendo per habitum cutis poroſum tam inſenſibiliter, quam ſub madore ſenſibili evacuat: Ita hanc ſpontaneam naturae methodum artifex quoque medicus imitatur, ope nempe variorum

medica-

medicamentorum humores tam copia quam qualitate peccantes reſolvendo ac deinde vel ſub forma halituoſae perſpirationis vel manifeſti madoris per poros cutis expellendo.

§. XXXVII.

Uti vero ſine debita circumſpectione nihil agere debet medicus: Ita potiſſimum ad indicantia attendendum eidem eſt, quae ſunt, praeter juſtam corporis permeabilitatem atque ſpontaneam diſpoſitionem & inclinationem ad ſudandum, morbi ad hanc ſolutionis ſpeciem ſua natura inclinantes, ſub paroxyſmorum nempe declinatione, uti ſunt febres tam intermittentes quam continuae, omnes ita dicti affectus ſeroſi, ab impuritate & corruptione ſeri dependentes, aetas adhuc vegeta & virium conſtantia, non neglecta etiam ſudandi conſvetudine.

§. XXXVIII.

E contrario multarum cruditatum collectio circa primas vias, ſtatus eminenter plethoricus & temperamentum admodum phlegmaticum, & ille quidem cum inſigni ſanguinis ſpiſſitudine, hoc vero cum ſaburra humorum viſcido-mucidorum conjunctum, atque adeo primordia affectuum cachecticorum vel cacochymicorum, item ſtatus corporis hectico-tabidus, virium langvor, aetas infantilis ac puerilis, morbi itidem ſpaſmodici, ſua inprimis in exacerbatione conſtituti, maligni item & contagioſi &c. artificialem talem ſudationem minus bene ferunt atque ideo contraindicant.

§. XXXIX.

Modi ſudores artificiales proliciendi varii ſunt; Vel enim hoc fit placida & quieta corporis continentia in lecto & moderato hinc excitato calore, vel laborioſa ejusdem commotione vel copioſa potulentorum aqueorum calidorum aſſumptione: Quibus quippe modis cunctis ſanguis humoresque partim diluuntur, partim reſolvuntur fluidioresq; redduntur, ut ſub halituoſa forma exſpirare, & quidem cum ſingula-

ſingulari activitate queant; Quod enim ſudores colliquativos in febribus lentis & hecticis attinet, illi propter tonum cutis relaxatum ac debilem *paſſive* potius effluunt.

§. XL.

Praeterea varios alios excogitarunt modos artifices regimen diaphoreticum, vel potius ſudorificum adminiſtrandi; Vel enim patientes includuntur ſtuphis, a quibus hypocauſta ſudatoria domeſtica non aliter differunt, quam quod in hiſce totum corpus (quanquam non ſemper cum ſperata euphoria) in illis autem caput ſaltem liberum permaneat. Alium ſudores provocandi modum ſuppeditat vannus linteis obvoluta, qui modus in lue venerea adfectis potiſſimum locum habet.

§. XLI.

Ipſa medicamenta ſudores prolicere apta quod ſpectat, agunt illa vel *poſitive*, ſanguinem nempe humoresque ſpiſſitudine laborantes ſufficienter attenuando ac reſolvendo, vel *privative*, nimium ſanguinis orgaſmum, qui ſeceſſioni partium evacuandarum officiebat, compeſcendo eumque craſſiuſculum reddendo, quorſum pertinent tam terrea, ut ſunt lapides cancrorum, cornu cervi uſtum, ebur ſine igne paratum &c. quam acida, quorſum ſpiritus nitri dulcis, ſuccus citri, clyſſus antimonii ſulphuratus &c. ſpectant. *Poſitiva* vero, quae nempe acribus oleoſo-reſinoſis vel ſalino-oleoſis particulis conſtant, attenuando ac reſolvendo humores ſuum producunt effectum, ſuntque ex genere radicum angelicae, imperatoriae, pimpinellae albae, petaſitidis, chinae, valerianae, ſcorzonerae &c. radices; Ex herbarum cenſu carduus benedictus, ſcordium, ruta, cochlearia, centaurium minus: Ex floribus calendulae, hyperici, ſambuci & aquilegiae flores & ex ſeminibus cardui benedicti & aquilegiae ſemen, ex corticibus citri & aurantiorum cortices & ex lignis ſaſſafras, ſanctum, juniperinum &c. Ut taceam aquas deſtillatas, ſalia tam fixa

quam

quam volatilia, eſſentias, pulveres ut & majores quasdam ac diffuſiores compoſitiones, uti ſunt theriaca Andromachi, diaſcordium Fracaſtorii, theriaca coeleſtis &c. ex quibus pro re nata variae formulae concinnari facile poſſunt.

§. XLII.

Modus operandi medicamentorum ſudorificorum pro eorundem varietate varius eſt. Sunt enim nonnulla, quae diluendo tantum maſſam humorum effectum ſuum producunt, uti ſunt potulenta aquoſa, v. g. infuſum theae, veronicae &c. potus Caffée & alia talia, quae tanto agunt promptius & efficacius, ſi eo tempore, quo ſudores expectandi ſunt, nempe ſub paroxyſmorum febrilium declinatione, exhibeantur. Alia vero, quae ſalino-ſulphureis particulis foeta atque imbuta ſunt, reſolvendo & incidendo humores operantur, qualia ſunt radices imperatoriae, ſarſae parillae, valerianae, Zedoariae & petaſitidis, herbae cardui benedicti, ſcordii, origani & ſerpilli, flores ſambuci, ſalviae, cortices citri & aurantiorum, & alia paulo ante pluribus recenſita. Alia nimium humorum orgaſmum contemperando agunt, uti ſunt terrea & acida vel ſalia neutra. Quaedam motus nimium exacerbatos complacando, ſudores movent, uti ſunt opium correctum & majores illae compoſitiones, quas opium ingreditur, nempe maſſa pillularum Wildeganſiana, theriaca coeleſtis, Andromachi, diaſcordium Fracaſtorii, Laudanum opiatum aliaque talia. Quaedam denique habitum cutis relaxando effectum ſudorificum producunt, uti ſunt calor ſtragulorum, vel humidus corpus ambiens, uti ſunt balnea tam naturalia quam artificialia.

§. XLIII.

Captanda quoque eſt in actu ſudatorio ipſa opportunitas: Non enim omni promiſcue tempore commodum eſt, ſudores movere, ſed ſequendus eſt ordo & ductus naturae, quae cum matutinis maxime horis moveat ſudores

dores, aequum eſt, ipſum quoque artificem medicum hoc ſpeciatim tempus ſibi commendatum habere. In febribus tamen tam intermittentibus quam acutis obſervandum potius eſt tempus declinantium paroxyſmorum, quia hoc ſpeciatim tempore, non aeque alio, ſudores criticos ſolemniter molitur Natura: Solummodo febres exanthematicae & malignae hic excipiendae ſunt, in quibus non tam vehemens & praecipitatus ſudor, quam lenis tantum exhalatio & diapnoica perſpiratio, harum febrium indoli proportionata, idque inſuper in earundem principio, convenit.

§. XLIV.

Regimen ſudantium ita comparatum eſſe decet, ut ipſi ſudationis actui nullum inde objiciatur praejudicium. Opus inprimis eſt quieta ſub tegmine continentia, ab omni inquieta jectigatione corporis, quippe refrigerium aëris ſuſcipiendi apta, aliena; Deinde ab omni immoderata & impetuoſa humorum impulſione eſt abſtinendum, tantoque magis durationi invigilandum, ut, quod tempori detractum eſt, duratione minimum reſarciatur. Et quanquam valde nocium ſit, ſudantibus potulenta frigida exhibere; Non tamen repugnat, ſcopo analeptico quaedam offerre, dummodo ſint moderate tepida, a refrigerio ſubito excitando aliena. Non nocebit itaque hauſtulum vini rhenani generoſi exhibere illis, qui recenter balneis egreſſi ſunt. Induſia mutare quidem licet, ſudatione peracta, ſed prius concalefacta ſint oportet, &, ſi placet, fumo ſuccini fragmentorum prunis injectorum probe imbuta; Nec male ſibi conſulunt, qui peracto opere placidae quieti ſomnoque moderato corpus ſuum tradunt.

§. XLV.

In quibus vero caſibus conducat, actum ſudatoriumadornaſſe, id ex indicantibus hujus evacuationis ſatis patet. Quibus adhuc addimus, ſudores vehementiores minus convenire in febribus bilioſis, ab iracundia praece-

praecedente ſuſcitatis, quia plerumque indolis ſunt inflammatoriae, quae quippe ex effuſione & reſtagnatione bilis in inteſtino duodeno & ventriculo enaſcitur, ſiquidem dictas partes ipſumque ſanguinem vehementiori infarctu impellendo inflammationem auges, bilioſas corruptas partes in humores profundius impellis ſicque in aegrotantes graviora ſymptomata derivas. Aeque nociva ſunt remedia ſudorifera poſt praecedentem graviorem terrorem inopinatum, inprimis ſi cibi mox ſuperingeſti vel alvus ſimul obſtipata fuerint; Quia ſubinde tremores artuum vel plane adfectus paralytodes conſequuntur. Peſſime quoque utplurimum ſuccedunt diaphoreſes, ſi in corpore impuro, primis nempe viis multis cruditatibus onuſtis ſuſcipiantur; Quia interdum ſubitaneam coecitatem, ſurditatem &c. inde ortam fuiſſe, obſervationes teſtantur. Nec denique in ipſis adfectibus ſeroſo-hydropicis proprie conveniunt vehementiora ſudorifera, niſi ipſa natura, ſudores ſpontaneos provocando, viam monſtraverit.

§. XLVI.

Diaphoreticae evacuationi adfinis quodammodo, attamen naturali & ordinario oeconomiae vitalis ſtatui convenientior eſt *diuretica*; Quia mediante hoc evacuationis genere non modo in ſtatu corporis ordinario continuo e maſſa humorum totoque reliquo corpore multae portiones ſeroſae, ſalinae, ſulphureae aliaeque, mixturae & motui humorum inimicae evacuantur & excernuntur, ſed & in ſtatu morboſo ſubinde natura critica tali *diureſi* corpori ſuo ita conſulit, ut copioſa tali urinae excretione febres efficaciter ſolvantur: Quam proinde naturae methodum ars quoque prudenter imitatura *diureticam* talem evacuationem inſtituit, ut varias hinc inde impuritates modeſte abſtergendo & viſciditatem humorum reſolvendo ita diſponat atque coaptet, ut per congrua organa evacuatoria excerni tandem commode poſſint.

§. XLVII.

Omnem itaque *diureſin* artificialem moderatam, temperatam & naturae aemulam eſſe oportet: Neque enim fortior illa, quae vehementi viarum urinariarum irritatione ac ſtimulatione excitatur, in plerisque morbis ſive utilis ſive neceſſaria exiſtit, imo potius poſitiva tali humorum impulſione ordo naturae, qui ab omni tali vehementia & violentia abhorret, pervertitur atque turbatur. Interim diureſeως hujus modeſta promotione non ſolummodo univerſa humorum maſſa a partibus ſuis excrementitiis, ſeroſis, ſalinis, ſulphureis, terreſtribus, mucilaginoſis, limoſis aliisque liberatur, ſed & ipſae partes ſolideſcentes, intra quarum latibula ſimilis generis impuritates obhaereſcunt, efficaciter abſterguntur, & cum utilitate totius oeconomiae vitalis excernuntur.

§. XLVIII.

Non vero promiſcue & ſine ſufficienti circumſtantiarum penſitatione ad hoc evacuatinis diureticae genus ruere oportet. Ita in morbis ſpaſmodicae indolis fruſtra commendatur *diureſis;* Quia ex falſo oritur fundamento iſta quidem indicatio, cum credatur vulgo a Pathologiae falſae adſertoribus, ſpaſmos a materia ſalino-tartarea ſuſcitari. Tanto vero minus in pellendo calculo opus eſt poſitiva diureſi, quae quippe longe frequentioribus exemplis nocuiſſe quam profuiſſe deprehenſa eſt: Atque adeo talibus in caſibus ſolum ſufficit nitrum, motus nempe ſpaſticos contemperando & ſic ſucceſſum urinarum expediendo. Neque locum invenit in gravidis atque puerperis, in foeminis hyſtericis vel ad haemorrhagias uterinas enormiores proclivioribus, in ſubjectis ad mictum cruentum vel anomalias haemorrhoidales pronis, in adfectibus vias urinarias praecipue concernentibus, dyſuria, iſchuria atq; ſtranguria, in morbis quoque venereis utriusq; ſexus, tam gonorrhoea quam fluore albo ſimplici ſeu benigno pariter atque maligno & contagioſo aliisque caſibus.

§. XLIX.

§. XLIX.

In quibus contra adfectibus conveniunt diuretica, ut v. g. in cachexia, leucophlegmacia, anaſarca, aſcite, tumoribus oedematoſis pedum, febribus &c. in iis tamen ad actum directe diureticum promovendum nunquam prius progrediendum eſt, quam omnia obſtacula, ſucceſſum urinarum intercipientia ac praepedientia, fuerint remota. Ante omnia vero de plethorae remotione per venaeſectionem cogitandum eſt; Quia hanc eximie in diuretico negotio obfuiſſe, aliquot exemplis practicis egregie confirmavit *Riverius*. Si quae ſpaſtica renum ſtrictura vel plane ureterum obſtructio a calculo ſubſit, ſpaſmi indeq; orti dolores nitroſis, abſorbentibus & cinnabarinis ſunt demulcendi ac mitigandi. Si quod vitium inhaereat ipſi veſicae, ejus nempe cervice vel tumore vel calculo obſeſſa, aut ſi quae caruncula venerea, urethrae innata, exitum urinae remoretur, tunc non modo catheteris immiſſione veſicae ſtatus explorandus, ſed & caruncula congruis ſepticis removenda eſt. Si quae cruditates primas vias obſeſſas teneant, vel craſſiora recrementa ipſam humorum maſſam obruant, tunc univerſalia evacuantia ſunt praemittenda, priusquam diuretica & quidem activiora & poſitive talia in uſum vocentur: Quia alias ingens primarum viarum ipſiusque maſſae humorum perturbatio metuenda foret. Quibus interim impedimentis cunctis debito modo remotis, ſponte ac facile ſuccedet diureſis.

§. L.

Poſſunt autem ad ſequentes claſſes commode revocari medicamenta diureſin cientia, quorum primam conſtituunt potulenta partim aquoſa partim vinoſa, quae vel ſerum in ſanguine deficiens reſtituendo ac diluendo reſolvendoq; agunt; Quorum prius infuſa herbae theae & veronicae, potus Coffeé & alia talia, poſterius vero vinum rhenanum, moſellanum, neckeranum & hujuſmodi acidiuſcula alia praeſtare ſolent.

§. LI.

Ad ſecundam claſſem ſpectant ſalina tam temperata acida, quam etiam media & quaedam volatilia, quae quippe omnia ſerum ſanguinis colliquando vel incidendo ac reſolvendo *diureſin* promovent; Ex acidorum familia ſunt ſpiritus nitri & ſalis ſive puri ſive dulces facti, quorum illi potentius, hi vero remiſſius diureticam ſuam energiam exercent. Ex mediis pertinent huc tartarus vitriolatus, nitrum regeneratum, imo ipſum nitrum, ſine operoſa praeparatione ſimpliciter tantum depuratum. Ex volatilioribus hujus loci ſunt ſpiritus lumbricorum terreſtrium, ſpiritus C C. vel eboris. Neque ſine ratione ad claſſem ſalinorum a Practicis referuntur ſalia quaedam fixa, ut ſunt ſal ononidis, geniſtae, ſtipitum fabarum, ſal item polychreſtum, ſal tartari, ſpiritus tartari, liquor terrae foliatae tartari, ſal abſinthii, arcanum duplicatum &c.

§. LII.

Tertiae claſſi adnumeranda ſunt, quae penetranti acredine ſtimulante gaudent, nec non olea deſtillata plus minus cauſtica, quae in vias potiſſimum urinarias efficaciam ſuam exerunt, illas irritando, ut copioſius ſerum eo verſus confluere queat: Pertinent huc reſinoſa quaedam, uti ſunt gummi ammoniacum, bdellium, galbanum, ſuccinum, balſamus indicus uterque, terebinthina &c. Antivenerea & antiſcorbutica hujus quoque claſſis ſunt, & quidem ex *illis* lignum Guajacum, Juniperinum, radices itidem vincetoxici, apii, petroſelini, ononidis, urticae, pimpinellae albae & ſaxifragiae, ex *his* vero radices raphani & alia, inprimis thlaſpia, ſemen quoque hyperici, violariae &c. Quaedam vehementi cauſtica virtute pollent, atque ideo vix ubique tuto in uſum vocari poſſunt, uti ſunt millepedes, cryſtalli lunae &c. Pertinent huc olea deſtillata ſuccini, terebinthinae, juniperi &c.

§. LIII.

§. LIII.

Praeter *diaphoreſin* atque *diureſin* naturae non minus conformis eſt ptyaliſmus ſeu ſalivatio, quam proinde perite imitari quoque debet artifex medicus: Cum enim illa tam per nares & fauces, per coryzam pariter atque ſputationem brevem, quam etiam per aſperam arteriam & ſalivationem protractam atque copioſam multum ſputi atque ſalivae & cum his multas quoque alias heterogeneas & excrementitias partes ſubinde ſecernere & e reliquo corpore exturbare ſoleat: Recte utique conſuluerunt ſibi medici artificiales, quod ſolemnem hanc naturae methodum imitari ſtuduerint, inveniendo totidem evacuationum genera artificialia, iſtis naturalibus reſpondentia, unde quippe remedia errhina, maſticatoria, ſalivantia & bechica ſeu expectorantia ſuam traxerunt originem, quorum nempe ope tam univerſaliter ex toto corpore, ex ductibus glandulisque ſalivalibus & oris partiumque adjacentium confiniis, ſed & ex naribus, faucibus ipſaque aſpera arteria humores ſeroſi tam copia quam qualitate ſubinde peccantes evacuantur.

§. LIV.

Primum inter haec locum concedimus ptyaliſmo ſeu ſalivationi univerſali, quae eſt evacuatio artificialis naturali aemula, cujus ope copioſior ſaliva, multis corruptelis ſeu inquinamentis imbuta, praevia debita praeparatione & ſecretione per glandulas atque ductus ſalivales non ex maſſa tantum humorum, ſed & ex intimis partium ſolideſcentium aeque ac ſolidarum receſſibus ſucceſſive evacuatur ſicque univerſum corpus ab iſtis ſuis corruptelis liberatur, priſtinaeque puritati reſtituitur.

§. LV.

Quia vero ſalivatio, mercurialibus ſive externis ſive internis remediis inſtituta, inter generoſiora medicamentorum genera facile principem invenit locum, totusque ſolemniſſimae hujus evacuationis actus ejusdemque ſucceſſus

ceſſus malo patientium regimine & perverſa diaeta in periculoſas anomalias conjici facile poteſt, & propter continuatam durationem vires quoque non parum exhaurit, neque ſymptomata, actum hunc evacuatorium ordinarie concomitantia, uti ſunt faucium totiusque oris interni intumeſcentia quaſi phlegmonodes, uvulae, tonſillarum & gingivarum tumor & relaxatio cum dentium vacillatione, quin ſubinde lapſu, corporis moleſta exaeſtuatio, impotentia ſomni & laſſitudo corporis, varia quoque adpetitus depravatio & deglutiendi difficultas aliaque graviſſima accidentia evitari omnino nequeunt; Conſequitur ſua ſponte: Ptyaliſmum ſine perita directione & circumſpectione artificis ſuſcipiendum nunquam eſſe, ſed ubique curandum, ut nullibi praecipitanter, ſed ſucceſſive, moderate & conſtanter, inprimis vero ſufficienter adminiſtretur.

§. LVI.

Equidem ignotum non eſt, praeter luem veneream & paucos alios adfectus cum illa tacite colludentes, aliis quoque graviſſimis & inveteratis chronicis adfectibus, v. g. febribus quartanis, ſtrumis, ſcancro, cephalalgiae diuturnae, inprimis hemicraniae inveteratae, maniae, melancholiae, vertigini, epilepſiae, paralyſi, podagrae, leprae, elephantiaſi aliisque ſordidis & antiquis ulceribus, ſcorbuto, aſthmati, quin ipſi amauroſi &c. adcommodari: Nihilominus ſolemne magis eſt, generoſam hancce medicinam adfectibus tantum venereis & quidem profundius radicatis, vel pertinaciore duratione moleſtis, cum ſymptomatibus fixioribus oſteocopis ſtipatis, duros inſuper tumores nodosque circa partes tendinoſas crebrioresque ulcerationes ad ipſam oſſium ſubjectorum arroſionem usque progredientes offerentibus &c. opponere. Nunquam tamen, quod ſemper & ubique ſedulo obſervandum eſt, ſine debita corporis praeparatione & liberatione à ſuis tam ſuperfluitatibus quam impuritatibus, atque adeo ſine ſufficienti ejusdem repurgatione actus tam ſonticus tantisq; periculis

periculis ſtipatus ſuſcipi debet; Ut hoc modo undique perſpirabile redditum & ſufficienti robore inſtructum eidem ſuſtinendo par ſit. Deinde omni modo cavendum, ne vel pravo patientium regimine vel incongrua diaeta liber ſalivationis ſucceſſus ullo modo praepediatur: Quia alias faucium collique inflammationes, difficultas ſpirandi, ventris tormina, cardialgiae, moleſtae artuum tenſiones atque tremores, quin convulſiones, catarrhi ſuffocativi, paralyſes, apoplexiae aliaque graviſſima mala haud injuria metuenda ſunt.

§. LVII.

Modus ſalivationem artificialem mediante mercurio excitandi varius eſt; Vel enim, Gallorum more, mercurius vivus probe depuratus cum pingvedine porcina ſubigitur & in ungventi formam convertitur ſicque articulationibus inungitur, donec ſufficiens ſalivatio conſequatur; Vel Italorum more, fumus mercurialis a patiente excipitur, modo certe minus ſecuro, quia nimis confertim in corpus impellitur mercurius, ſicque rabiem ſuam impune exercendo & pectori & capiti periculoſa inducit ſymptomata; Vel, qui modus Germanis ſolemnis eſſe ſolet, ſuaque inprimis ſecuritate prae reliquis ſeſe commendat, mercurius dulcis partitis vicibus & auctis ſenſim doſibus interne exhibetur, donec ſperatum ſalivationis ſucceſſum obſervet artifex, qui proinde ſua quaſi in manu habet mercurium, ejusque effectus pro arbitrio ita moderari poteſt, ut omnes heterocliti effectus, alias metuendi, facile hac ratione praecaveri queant. Quod qui in praxi ſua rite obſervat, is & cingulis & aquis mercurialibus & mercurio praecipitato & quibuscunque aliis praeparatis mercurialibus, uſui huic deſtinandis, carere facile poteſt.

§. LVIII.

Ut vero totus ſalivationis actus ejusdemque ſucceſſus tanto ſecurius adminiſtrari queat, non ſolummodo

corpus aegrotantis ad futuram ſalivationem recte praeparandum, ſed & ſalivatio ipſa perite dirigenda, imo &, operatione peracta, eo invigilandum eſt, ut congrua diaeta & regimen conveniens praeſcribatur, ne, ſi in uno vel altero, peccaverit aeger, ominoſa vel prava conſectaria habeat pedisſequa.

§. LIX.

Praeparatio aegrotantis ſalivationi ſubjiciendi non in eo tantum conſiſtit, ut impedimenta ſalivationem retardantia removeantur, ſed etiam ut univerſus corporis habitus undique permeabilis ac perſpirabilis reddatur. Prius obtinetur non modo lenioribus purgantibus v. g. mercurio dulci, ad aliquot grana exhibito, ſed & venaeſectione, inprimis ſi cum ſtatu corporis plethorico res medico fuerit, qui quippe facile univerſali tali humorum commotione in orgaſticum motum concitari poſſet, inprimis ſi jam alias ſponte ad eundem inclinaret. Corpus vero permeabile redditur & tale conſervatur non ſolum regimine moderate calido ſed & diligenti decoctorum ligneſcentium uſu, interpoſito ſubinde adhuc pulvere quodam diaphoretico ex lapidibus cancrorum & antimonio diaphoretico parato vel eſſentia alexipharmaca *Stahlii.*

§. LX.

Corpore hoc modo praeparato, ſalivatio ipſa vel inunctione mercuriali, vel mercurio dulci, interne partitis doſibus exhibito, eſt excitanda, quae, ſi cum gingivarum glandularumque ſalivalium intumeſcentia ſuccedere incipiat, diligenter aliquot diebus conſervanda, &, ne aliunde ſucceſſus ſalivationis perturbetur, congruum regimen & conveniens diaeta commendanda, ab omni immodeſto refrigerio aeger praeſervandus, imo potius continuo decoctorum ligneſcentium, non admodum tamen ſaturatorum, ſed dilutiorum uſu, perſpirabilitas corporis jugiter conſervanda eſt, &, ſi quae prava ſymptomata, quod ſemper, quantacunq; induſtria adhibita, vitari non poteſt, complicentur, tempeſtive ſemper removeantur.

§. LXI.

§. LXI.

Si jam imminui & ad finem decurrere incipiat ſalivae fluxus, providendum adhuc erit, ut, ſi quae adhuc impuritatum venerearum reliquiae remanſerint, expurgentur: Quem in finem moderatam non modo laxationem ordinare conveniet, ſed & in ſtatu diaphoreſeως conſervare corpus proficiet, idq; interne, continuato decoctorum ligneſcentium uſu, externe vero balneis temperatis impetrare non adeo difficile erit.

§. LXII.

Quemamodum vero haec ſalivae evacuatio per ptyaliſmum magis univerſalis eſt: Ita dantur adhuc apophlegmatiſmi ſpecies, quae vel ex naribus muci naſalis, vel ex ore ac faucibus humorum ſeroſo-ſalivalium evacuationem promovent. Et ſicuti illis *errhinorum*, ſi ſine ſternutatione, vel *ptarmicorum*, ſi cum ſternutatione operentur, nomen tribui ſolet: Ita *maſticatoria* dicuntur, quae ſub maſticatione glandulas ſalivales orisque internas ſtimulando copioſum ſalivae viſcidioris confluxum & effluxum excitant.

§. LXIII.

Errhina itaque, quae a *ptarmicis* ſeu *ſternutatoriis* gradu tantum differunt, talia audiunt medicamenta, quae ſubtili ſua acrimonia ſalino-ſulphurea membranam narium rubicundam irritando, non ſolum humorum, copioſius circa nares congeſtorum ibidemque reſtagnantium reſolutionem & colliquationem praeſtant, ſed & aliorum humorum adfluxum ad eadem illa loca invitant & ad exitum deducunt, nullo tameu ſternutationis effectu ſubſecuto, licet alias ſic ſatis potenti ad ſtimulandum efficacia polleant: *Ptarmica* vero dicuntur, quae ſternutando ſuum producunt effectum. Dantur tamen etiam, quae utraque, nempe errhino-ptarmica efficacia pollent, uti ſunt flores liliorum convallium, aliaque, quae & humores circa nares congeſtos reſolvendo & colliquando, ſimul tamen etiam

 glan-

glandulas membranasque narium ſtimulando & irritando humorum ſeroſo-mucidorum evacuationem praeſtant.

§. LXIV.

Et quanquam manifeſtum admodum ſit, Naturam hic iterum arti viam commonſtraſſe, ad hanc ſpontaneam evacuationem in coryza & phlegmatorrhagia prudenter imitandam: Tam notum tamen eſt, quamquod notiſſimum, in uſu horum remediorum errhino-ptarmicorum frequentiſſimum committi abuſum; Quia iſtis nimis frequentibus narium irritamentis ordinariae narium ſe- & excretiones mucoſae turbantur, organa ſtupida redduntur, variisque adfectibus congeſtorio-ſtagnatoriis, quin ſubinde ſpaſmodicis anſa ſubminiſtratur.

§. LXV.

Nihiloſecius aliqualis uſus *errhinis* atque *ptarmicis* non eſt denegandus in ſtaſibus ſeroſo-mucoſis, unde gravedines doloresque capitis gravativi procedunt. Et cum nulla aeque ſubjecta frequentius hiſce pathematibus expoſita vivant, quam phlegmatica vel phlegmatico-ſanguinea: Hinc in adfectibus capitis catarrhalibus, ſpontaneo libero ſucceſſu deſtitutis, in affectibus, qui coryzam ſuppreſſam inſequuntur, & per collum, nucham, ſcapulas partesq; proximas ſeſe diffundunt, in defluxionibus catarrhalibus acribus verſus oculos, aures, dentesque, in adfectibus capitis vertiginoſis, lipothymicis, comatoſis, quin apoplecticis, maxime vero in ſubjectis, huic evacuationi adſuetis, & ubi praedictos adfectus ex illius emanſione vel undecunque orta ſuppreſſione ſuos derivaſſe natales, non levis eſt ſuſpicio, locum ſuum inveniunt.

§. LXVI.

E contrario vero remediorum errhino-ptarmicorum uſum & adplicationem minus bene ferunt ſubjecta eminenter plethorica, quaeque largas olim narium haemorrhagias experta ſunt, jam vero ad haemoptyſes inclinant,

nant, nec in illis, qui adfectibus ſpaſmodicis atque convulſivis expoſiti ſunt, in gravidis, in puerperis, lochiali adhuc tum fluxu ſuccedente, in hernioſis nec non prolapſu ani atque matricis laborantibus, in phthiſicis &c. commode locum obtinent, inprimis ſi ſine debita corporis praeparatione exhiberentur.

§. LXVII.

Referuntur interim ad remediorum horum claſſem ex radicibus pyrethri, iridis florentinae, mechoacannae, Jalappae & hellebori albi radix, quarum tamen nonnullae, draſtica virtute pollentes, caput nimis vehementer concutiunt ſicque graviora mala invitant. Quo eodem charactere etiam euphorbium notamus, quod ſine noxa in ſubſtantia vix tuto exhiberi poteſt. Ex foliis herbarum huc pertinent majorana, betonica, thymus, ſerpillum, origanum, folia nicotianae arida in pulverem redacta, flores item liliorum convallium, lavendulae, ſpicae, anthos & roſarum, ſuccus betae rubrae, ſal item volatile oleoſum Sylvii, ſpiritus ſalis ammoniaci, eſſentia caſtorei, aqua majoranae, narium radicibus inuncta, ejusdemque oleum nec non alia praedictorum olea deſtillata, uti ſunt oleum lavendulae, roris marini, rutae, ſalviae, ſpicae, balſamum vitae *Hoffmannianum*, aqua Reginae Hungariae aliaque permulta, quae a materiae medicae ſcriptoribus hic commendari ſolent.

§. LXVIII.

Uti vero *errhina* cum *ptarmicis* admodum potenter mucum naſalem, partes proximas obſidentem, evacuant: Ita *maſticatoria* ex glandulis & ductibus ſalivalibus & reliquis oris interni fauciumque confiniis ſalivam corruptam copioſius educunt; Quo tamen in evacuationis therapevticae genere ars naturam ſolemniter iterum praeeuntem habet. Agunt iterum principio ſuo ſalino-ſulphureo vel ſerum ſalivale incidendo, fundendo colliquandoque, vel praedictas partes compungendo ac ſtimulando, ut

 ex

ex partibus vicinis undiquaque ad locum excretioris confluendo, ibi tandem exitum ſuum inveniat.

§. LXIX.

Neque tamen ſine debita corporis, impuri inprimis & cacochymici praeparatione actus hic excretorius ab artifice ſuſcipiendus eſt; Sed & purgantia leniora & anticatarrhalia debite praemittenda & in ſtatu plethorico Venaeſectio, vel, pro re nata, ſcarificatio prudenter ſubordinanda, ne adfluxum humorum ad haſce partes invitando, tumoris potius & inflammationis generationi, quam ſimplici, quem intendebat, humorum effluxui anſam ſubminiſtret artifex.

§. LXX.

Exerunt autem potiſſimum uſum ſuum in adfectibus capitis, a decubitu ſeri oriundis, in lippitudine nempe, odontalgia catarrhali, gravedine, coryza, gravitate auditus aliisque talibus decubitibus catarrhalibus, in quibus quippe diſſolvendis radices pyrethri, ireωs florentinae, calami aromatici & diptamni, herbae majoranae, piperitidis & naſturtii, nec non ſemina ſinapios, nigellae, erucae, ut & baccae lauri, cardamomum, cubebae, piper, zingiber, maſtix, cinnamomum, caryophylli aromatici, inprimis vero folia nicotianae maſticata admodum efficaciter ſeſe gerunt, circa quorum tamen ultimorum uſum provide ſeſe gerat patiens neceſſe eſt; Quia, ſi ſaliva talis deglutiatur, cardialgicas anxietates imo ſyncopen cum ſudoribus frigidis circa frontem, potiſſimum in foeminis & minus adſuetis excitare poteſt.

§. LXXI.

Pertinent huc variae aliae evacuationes ſeri lymphaeque particulares, per veſicatoria, ſetacea atque fonticulos in ſuperficie corporis magis inſtitutae, quas quidem in univerſum damnat hodiernorum Mechanicorum curioſitas, ſolertior vero praxis clinica derivatorium eorundem remediorum uſum ubique confirmat. Id tantum ſedulo de

hiſce

hiſce remediorum generibus notandum eſt, quod, niſi gnaviter continuentur vel ſaepius repetantur, multas parere ſoleant moleſtias atque adeo perpetuam quaſi ſervitutem iis imponant, qui ſemel illorum uſui ſeſe adſveverunt. Nec minus id attendi & obſervari meretur, quod raro durabilem bonum effectum poſt ſe trahant, niſi externus horum uſus internis perpetuo maritetur.

§. LXXII.

Sub *veſicatoriis* militant etiam *rubefacientia* & *phaenigmi*; Sicuti enim *his* extraordinarius rubor ac dolor inducitur partibus variis: Ita *illis*, ſi vel cervici ſeu nuchae retro aures, flexurae cubiti, tibiis, plantis pedum, inguinibus aliisque corporis partibus admoveantur, veſicae latiores ope ſalis acris atque cauſtici, quo gaudent, excitantur, in quibus copioſus humor ſeroſo-lymphaticus colligitur, qui tandem, veſiculis iſtis vel ſponte ruptis vel artificialiter apertis effluit, eoque ipſo humores, ad nobiliores partes reſtrictae & congeſtae, inde ad ignobiliores *derivando* invitantur & alliciuntur, ſicque impeditur, ne in corruptelas acres pertinaci ſtagnatione vel ſtaſi degenerare queant. Atque adeo praecipuam eorum utilitatem, quam exhibent, experientiae teſtimonio, Practici commendant in pertinacioribus ſeri congeſtionibus & adfectibus inde ortis disſolvendis, & motibus aliorſum invitandis ac divertendis, nempe in cephalaea, hemicrania, lippitudine & ophthalmia, in odontalgia, coryza, in lethargo, ulcerationibus capitis manantibus aliisque talibus morbis, a pertinaci ſeri congeſtione verſus varia capitis loca facta oriundis. Solent tamen etiam a quibusdam commendari in affectibus inflammatoriis v. g. in phrenitide, nec non in febribus acutis, in exanthematibus retrocedentibus ad ſuperficiem corporis denuo provocandis, in paralyſi lingvae aliisque pluribus adfectibus ſeroſae indolis. Proindeque in congeſtionibus magis ſanguineis, in inſolentioribus haemorrhagiis, vel moliminibus ſaltem haemorrhagicis, in

perſonis

perſonis cholerici temperamenti praedominio gaudentibus ac proinde ſenſibilioribus &c. locum minime inveniunt.

§. LXXIII.

Remedia, veſicas excitandi efficacia pollentia quod ſpectat, reliquis omnibus, quae hoc in genere a Practicis commendari ſolent, praeferuntur cantharides, quae quippe animalcula in pulverem redacta vel cum fermento panis ſubiguntur vel in emplaſtri formam convertuntur, ſicque variis, antea memoratis corporis partibus admoventur, nunquam tamen, quod probe obſervandum, ſine debita corporis praeparatione therapevtica, quae vel in miſſione ſanguinis, praeſente ſtatu plethorico, vel in laxantium propinatione & anticatarrhalium uſu conſiſtere debet. Inter *rubefacientia* vero eminent potiſſimum radix pyrethri & euphorbium, quibus nonnulli *moxam Sinenſium* addunt, quam in adfectibus arthritico-podagricis fixis *Wilhelmus ten Rhyne* primus commendavit.

§. LXXIV.

Modus *veſicatoria* ut & *ſetacea* adplicandi ſilentio hic merito praetermittitur, cum ad *chirurgiam* magis, quam *therapiam medicam* ſpectet. De *poſterioribus* interim notamus, quod in iisdem propemodum caſibus a Practicis in uſum vocari conſveverint, in quibus veſicatoria ab illis commendata legimus. Speciatim vero in catarrhalibus pertinacioribus congeſtionibus circa caput, in diuturna & inveterata lippitudine, viſui vitium vel damnum aliquod minitante, in coryza habituali aliisque caſibus uſum non contemnendum exerunt.

§. LXXV.

Uti autem *veſicatoria* magis adfectibus dolorificis acutioribus; Ita *fonticuli* cum *ſetaceis* ſegnioribus atque lentioris ſucceſſus morbis adcommodari a Practicis ſolent, uti ſunt ophthalmiae & lippitudines inveteratae, & hinc non injuria metuendae cataractae, aurium tinnitus & auditus gravita-

gravitates, catarrhi habituales, vertigo caduca, quae ſubinde apoplexiae prodromus eſſe ſolet, aſthma humidum &c. Neque vero iterum, quod cogitare quiſpiam poſſet, oſcitanter vel forte fortuna excogitatum fuit hoc remedii genus, ſed natura ipſa viam praemonſtravit: Cum enim ſubinde in peripheria corporis ſuperficiales ulcerationes ſponte excitare ſoleat, ex quibus cum euphoria multum materiae ſeroſo-ichoroſae effluit, & quae proinde conſolidari ſeſe non patiuntur, quin antiqua incommoda atque pathemata revertantur: Hinc non incongrue hic iterum ars naturam eſt aemulata, dum ſuperficialia talia ulcuſcula in cute hinc inde excitavit, per quae ſat commode & ſufficienter humores noxios evacuare poſſit. Qua de re tanto minus dubitare licet, quo certius eſt, intempeſtivam fonticulorum occluſionem communiter vel antiquiorum pathematum recurſum ſequi, vel nova eaque ſubinde graviora invitari.

§. LXXVI.

Qua vero methodo & quibus in partibus corporis fonticuli excitari poſſint, ſoleant ac debeant, id non hujus, ſed chirurgici eſt fori.

§. LXXVII.

Ad reliquas evacuantium ſpecies nunc tranſeundum eſt, ubi *expectorantia* nobis occurrunt, a quibus ipſe excretionis hujus actus nomen *expectorationis* ſortitus eſt, quo nempe vel mediante tuſſi vel voluntaria exſcreatione humores mucidi non ex aſpera tantum arteria, bronchiis atque pulmonibus, ſed & ipſo ex pectore rejiciuntur, poſtquam nempe praevia therapevtica praeparatione mucus vel ſufficienter reſolutus vel materia tenuis, acris incraſſata, inq; volubilem conſiſtentiam redacta fuerit. Et quanquam pulmones commodum organon non conſtituant, per quod in ſtatu oeconomiae vitalis ordinario ejusmodi humores evacuari queant: Cum tamen nihilominus eorundem congeſtiones & reſtagnationes non raro circa haec loca obtingant, eoque caſu Natura per has vias ſo-

ſemnes evacuationes inſtituat: Manifeſtum eſt, non penitus ab hoc evacuationis genere eandem abhorrere, ac proinde artem quoque non incongrue eandem ſubinde imitari, dummodo praecaveatur, ne continuato nimis talium bechicorum uſu uberior humorum confluxus ad pulmones invitetur, ſicque inflammatoriis ſtaſibus ſanguinis, indeque metuendis ulcerationibus pulmonum phthiſicis anſa ſubminiſtretur.

§. LXXVIII.

Sunt autem remedia, quae bechico tali effectu ſeſe commendant, ita comparata, ut vel materiam evacuandam praeparent & expectorationi adaptent, vel motum excretorium juvent atque promoveant. Praeparatio illa conſiſtit vel in mucoſitatis ſpiſſae atque tenacis reſolutione, vel in materiae acris tenuisque, licet non aeque copioſae incraſſatione, acrimoniae temperatione & in pulpoſam quaſi conſiſtentiam converſione, ut tanto commodius rejici queat.

§. LXXIX.

Reſolutionem humorum viſcidorum atque tenacium, pulmonum bronchia veſiculasque pnevmonicas obſidentium, ſicque ſpirandi difficultatem inducentium, praeſtant radices helenii, angelicae, petaſitidis, ari, pimpinellae albae, leviſtici, imperatoriae & eſſentia alexipharmaca *Stahlii*, ex illis vel ſimilibus parata, deinde herbae, hac incidendi virtute illuſtres, uti ſunt tuſſilago, ſcabioſa, ſcordium, hyſſopus, eryſimum, marrubium album cum herbis capillaribus, uti ſunt capillus veneris, polytrichum ſeu trichomanes &c, uti & compoſita quaedam, quorſum trochiſci bechici nigri pariter ac albi, ſyrupus de ſymphyto *Fernelii*, maſſa pilularum de cynogloſſa, ſpecies diatragacanthae, pulvis Haly contra tabem aliaque talia pertinent. Cujus quoque loci ſunt flores ſambuci, ſcabioſae, ſemina aniſi, foeniculi, gummi ammoniacum, Benzoes ejusque flores, ſulphur ejusque flores ſublimationis artificio parati, eſſentia

ſuccini

ſuccini, myrrhae, helenii, ſpiritus ſalis ammoniaci aniſatus, nec non aquae deſtillatae ſcabioſae, hyſſopi, tuſſilaginis, ſcordii, aſthmatica &c.

§. LXXX.

Incraſſationem & contemperationem humorum acrium nimis tenuium atque fluxilium promovent, quae principio mucido & obviſcante gaudent, uti ſunt ex radicibus malva, biſmalva, liqueritia, ex herbis hedera terreſtris & veronica, ex ſeminibus malvae & altheae, lini atque foenu graeci ſemina, nec non paſſulae minores aeque ac majores, nempe exacinatae, jujubae, ſebeſten, gummi arabicum & tragacanthae, ſperma ceti, ſuccus liqueritiae, & oleoſa quaedam, uti ſunt oleum amygdalarum dulcium, pingvedines item humanae, caninae &c. Emollientia vero externa, emplaſtrorum vel unguentorum forma pectori admota, vix tuta eſſe judicamus, quippe quae tonum nimis labefactando, exundationi humorum liberiori fores aperiunt. Unde etiam, ne quis internorum talium, quae copioſius materiam verſus pulmones convehunt, uſui diutius immoretur, ſerio diſſvademus, ne, quod antea jure metuebamus, confluxui uberiori indeque ſurgenti ſtaſi inflammatoriae occaſio ſuppeditetur.

§. LXXXI.

Expectorationem ipſam ſeu motum excretionis & rejectionis natura per tuſſim ordinarie praeſtare ſolet, quae quippe inſtrumentum ejus eſt, cujus ope pulmones ab humorum ſaburra liberari ſolent: Quae ſi deficiat, acidis provocari poteſt ac debet, ubique tamen circumſpecte evitando, ne, nimias doſes exhibendo, dyſcraſiae generandae viam pandamus.

§. LXXXII.

Sedulo quoque praecavendum eſt, ne expectorationis actus temere ſuſcipiatur in congeſtionibns ſimpliciter ſanguineis, pectus occupantibus, inprimis ſi a qualicunque turbatione menſium vel haemorrhoidum ortum ſuum traxiſſent; Proinde in moliminibus haemoptyicis imo

 haemopty-

haemoptyſi ipſa, in tuſſi effera, quae ſuppreſſos ſanguinis fluxus conſequitur, expectorantia nunquam exhibenda ſunt. Neque in pertinacioribus alvinis obſtructionibus, tuſſi ſtomachali affectibusque hyſtericis atque hypochondriacis locum commode inveniunt, imo generatim in omnibus pectoris morbis, qui ſoli pertinaciori ſanguinis, in ſtatu inprimis plethorico, congeſtioni verſus pectus factae innituntur, ſtudioſe vitandus eſt expectorantium uſus.

§. LXXXIII.

Econtrario vero prudens hujus evacuationis uſus atque perita directio concedi poteſt in aſthmate vel tuſſi humida, brancho, dyſpnoea, phthiſi ſeu exulceratione & vomica pulmonum, in peripnevmonia atque pleuritide, pluribusque aliis caſibus, pectore nempe atque pulmonibus vel copia humorum mucidorum repletis, vel nimia acrium atque tenuium fluorum receſſione ibidem facta, quae moleſtam quidem ſtimulationem atque adeo tuſſim ſuſcitat, debita vero diſpoſitione deſtituitur, qua evacúari commode queat, niſi, ut antea explicatum eſt, acredine prius obvoluta & ad volubilem conſiſtentiam redacta eam habilitatem adquirat, ut rejici poſſit.

§. LXXXIV.

Subinde ſanguis ſincerus ſui evacuationem poſtulat, ſi nempe vel plethora praegravatum ſit corpus, vel in orgaſmum illa concitata, in motibus item & moliminibus haemorrhagicis, ad exitum non pertingentibus, vel aliena excretionis loca adfectantibus, in cephalalgiis admodum aeſtuoſis & impetuoſis, in hemicraniis, pleuritide, peripnevmonia, nephritide ſimplici, arthritide, vertigine quin ipſa apoplexia & paralyſi &c. Praeſtatur autem vel venaeſectione vel arteriotomia vel ſcarificatione vel hirudinum applicatione vel aliis pluribus modis, quos ſecundum principes circumſtantias explicare non hujus, ſed chirurgici eſt loci.

§. LXXXV.

§. LXXXV.

Pergimus potius ad evacuationem ſanguinis ſinceri medicam, nempe per medicamenta interius exhibita obtinendam, quam varia menſium, haemorrhoidum atque lochiorum vitia & aberrationes variae cum ſuis conſectariis, chloroſi nempe, tumoribus oedematoſis pedum &c. ſuo quodam jure ſibi vindicant. Habetque hic iterum, in quo artifex medicus prudenter imitetur naturam, quae quippe in conſuetarum haemorrhagiarum emanſione ſeu ſubſiſtentia alias vicarias, utut ſubinde alienis locis, adornare ſicque defectum illum quomodocunque reſarcire contendit. Quidnî igitur medicus hanc quoqne naturae methodum ſpontaneam ſibi commendatam haberet, eamque prudenter imitaretur, in locum nempe haemorrhagiarum emanentium artificiales ſanguinis ventilationes ſubſtituendo vel ad ordinaria ſua excretionis loca denuo easdem revocando.

§. LXXXVI.

Abſit tamen hic omnis temeritas! Quod ſi enim reluctante temperamento, aetate, ſtatu plethorico aliisque circumſtantiis, fortioribus pellentibus negotium tam ſonticum adgreſſus fueris, metus eſt, ne orgaſmum, reſtrictiones & congeſtiones pertinaces ſanguinis verſus loca, excretioni tali minus commoda, aliaque mala cauſeris, eoq; ipſo fine ſperato excidas: Proindeque ſolerter expendendum prius eſt, an etiam natura excretioni tali artificiali faveat? An humores ſic ſatis fluxiles ac mobiles ſint, ut impulſioni & expulſioni medicamentorum obſecundent? An etiam viae ſufficienter patulae ſint, ut ſanguis impulſus exitum liberum invenire queat? Prudenter inſuper hic aucupanda eſt opportunitas: Cum notum ſit, nullo alio tempore menſes v. g. felicius revocari, quam in junioribus circa novilunium, in annoſioribus vero circa plenilunium. Neque negligenda hic circumſtantia *aetatis*; Irrationale enim artificum medicorum foret inſtitutum, ſi in

quinquagenaria fluxum menſtruum vel haemorrhagias narium in ſeniore revocare quis vellet.

§. LXXXVII.

Obſervatis vero riteque penſitatis cunctis hiſce circumſtantiis, non modo utile ſed & ſubinde abſolute neceſſarium eſt, ut haemorrhagiae alias conſuetae, diu ſopitae reſuſcitentur & ad ordinaria ſua evacuationum loca denuo invitentur, ne aliis gravioribus incommodis, malis atque pathematibus morboſis anſa ſuppeditetur, quod in menſium muliebrium ſubſiſtentia vel qualicunque ſaltem irregularitate nimis manifeſtum eſt.

§. LXXXVIII.

Optandum itaque foret, medicos talia remedia in promptu habere, quae tuto & citra inſigniorem orgaſticam ſanguinis commotionem effectum hunc exererent. Laudantur equidem in ſcholis medentium numeroſa *emmenagoga*, quibus ſpecifica virtus menſes ſuppreſſos revocandi tribuitur, uti ſunt ex regno vegetabili radices ariſtolochiae rotundae, leviſtici, rubiae tinctorum & bryoniae, herbae artemiſiae, ſabinae, pulegii, meliſſae, matricariae & marrubii albi, flores calendulae & cheiri, crocus, myrrha, camphora, ex regno animali & minerali, caſtoreum, hepar anguillae, borrax, ſuccinum & ex his praeparata, uti ſunt ſal volatile oleoſum Sylvii, eſſentia caſtorei, trifolii fibrini, ſpiritus C C. volatilis, eſſentia ſuccini, myrrhae, croci, ſuccini, elixir P. P. ſine acido, tinctura antimonii acris, tinctura martis helleborata *Wedelii*, extractum ſabinae, artemiſiae, hellebori nigri & caſtorei indeque paratae pilulae, nec non olea deſtillata, ſuccini v. g. ſabinae, cinnamomi &c. Verum cum haec omnia calidae ſint indolis, quae tantum abeſt, ut ſanguinem ad exitum diſponant, ut eundem potius vehementius impellendo exitum impeditiorem reddant: Hinc unicunque pronum eſt intelligere, negotium menſium jam ſatis impeditum, magis adhuc turbari quam promoveri.

§. LXXXIX.

§. LXXXIX.

Unde in praxin medicam, provide hoc in paſſu inſtituendam, haec redundare debet utilitas, ut reſtitutio menſium omni modo methodice inſtituatur, nempe pellentia praedicta remedia pro ſcopo emmenagogo prius in uſum non vocentur, quam remotis omnibus impedimentis, ultimo ſanguinis exitui per vias uterinas obicem objicientibus; Quapropter praemiſſa ventilatione ſanguinis univerſali in brachio adornata, ſubjungi poterit derivatoria in pede, in quem eundem finem non ſine ratione etiam frictiones inferiorum & pediluvia commendantur, clysmata quoque ano immittuntur & purgantia non admodum draſtica ejuſmodi patientibus praeſcribuntur, quibus omnibus demum, inſtante menſium tempore, emmenagoga ſubordinantur; Qua demum methodo haud raro medicus fine ſuo feliciter potitur & ejuſmodi foeminae fluxum ſuum menſtrualem reſtituit.

§. XC.

Similiter *haemorrhoides*, ſi vel juſto parcius fluant vel omnino ſuppreſſae fuerint, ſui revocationem expoſtulant, in iis nempe ſubjectis, quae jam antehac vel actuali fluxui vel ſaltem conatibus & motibus haemorrhoidalibus expoſita fuere; Quae enim in tota ſua vita nihil horum moliminum experta fuerunt, in iis temere ſtimulantibus fortioribus exſuſcitandae non ſunt haemorrhoides. Pollent vero efficacia hac haemorrhoidalem fluxum tam noviter ſuſcitandi, quam ſubſiſtentem revocandi remedia aloetica & helleborina, helleborus nempe niger vino infuſus, pilulae Francofurtenſes, Elixir P. P. ſine acido, crocus item & remedia, quae crocus ingreditur, una cum vinis dulcibus valde generoſis. Suam quoque conferunt ſymbolam venaeſectio in pede inſtituta, frictio modeſta locorum haemorrhoidalium & ſuccedens deinde hirudinum adplicatio, ſedulam quoque operam navando, ut alvus legitime aperta ſemper ſervetur, non neglectis quoq; pediluviis verſus horas noctis inſtitutis.

§. XCI,

§. XCI.

Nec raro revocationem ſui urget *fluxus lochialis*, ſi menſium more vel parcius ſuccedant vel penitus ſupprimantur, ſicque in periculo verſentur puerperae, ne ſtaſibus ſanguinis & inflammatoriis febribus anſa ſubminiſtretur, Quam etiam ob rationem ab omni orgaſtica vehementi ſanguinis commotione per pellentia fortiora abſtinendum, omnique potius ſtudio invigilandum eſt, ut ad conſuetum excretionis locum denuo invitetur ſanguis & modeſte ad evacuationem diſponatur; Cui effectui producendo famulantur inprimis pilulae *Stahlianae*, *Becherianae*, aliaeq; quae ad illarum imitationem a ſolertibus quibusdam Practicis elaboratae ſunt. Subinde etiam pro temperamentorum & ſubjectorum diſpoſitione remedia myrrhata & crocata locum inveniunt, non negligendo tamen etiam moderatas artuum inferiorum frictiones, pediluvia & pro re nata venaeſectiones in pedibus adornandas.

§. XCII.

Si ſanguis extravaſatus alicubi haeſerit, is, priusquam corrumpatur, eductionem ſui expoſtulat. Fit hoc in capite mediante trepanatione, in pectore per paracentheſin, & in aliis partibus mollioribus muſculoſo-cutaneis mediante ſimplici inciſione, ſi graviore contuſione adfectae fuerint, cum ipſarum fibrillarum vaſorumque laceratione atque laeſione, factaque inde repentina ſanguinis effuſione ac diffuſione, unde deinde tumores, haud raro in gangraenam abeuntes, exſurgunt. Qua vero ratione materia purulenta in apoſtematibus vel abſceſſibus educenda ſit, ne vel ſphacelus vel alia mala conſequantur, in chirurgicis tradi ſolet.

§. XCIII.

Ubicunque *ſecundinae*, id quod ſubinde etiam in partu naturali & ordinario, non admodum difficili, contingere conſvevit, in utero remanent, de tempeſtiva earundem excluſione cogitandum eſt, niſi ſtaſes inflammatorias, gangrae-

gangraenam uteri, ſphacelum mortemque ipſam expectare malit artifex. Quia vero motus ſpaſtici, quorum auxilio alias ſecundinae excluſio promoveri debebat, ſunt vagabundi, aliorſum directi: Hinc non ſine debita circumſpectione prudentique moderamine negotium tam ſontricum adgredi decet, ne graviora mala in miſeram talem puerperam deriventur. Proinde anomali ſpaſmi primum contemperandi & ad locum legitimum invitandi ſunt, quorum prius antiſpaſmodicis, poſterius vero pilulis *Stablianis*, venaeſectione in pede & pellentibus moderatioribus uterinis commode fiet.

§. XCIV.

Iisdem artificiis promovenda quoque eſt *foetus mortui excluſio*, ubique tamen ſollicite cavendo, ne pellentibus fortioribus motus nimium incitentur. In extremo neceſſitatis caſu ad auxilia chirurgica, nempe extractionem foetus confugiendum eſt; Quae tamen operatio, qua methodo & ordine adornanda ſit, in Chirurgicis ſolet explicari.

§. XCV.

Spectat huc etiam *molarum uterinarum excluſio*, quam tanto minus emmenagogis validioribus intempeſtive urgere licet, quo certius utplurimum immoderatae uteri haemorrhagiae cum praeſenti virium dejectione ſunt conjunctae; Praeſtat bonum hauſtum vini rhenani antiqui & generoſi ſubinde exhibere ejuſmodi foeminae, nec non juſcula croco pariter atque cinnamomo, ſcopo nempe analeptico, leviter imbuta, in quem eundem finem dari quoque poſſunt aquae deſtillatae ceraſorum nigrorum, florum aurantiorum, tiliae, liliorum convallium & alia talia. Si vero lenioribus pellentibus indulgere conſultum videatur, opportunitas prudenter aucupanda, & ejuſmodi remedia, uti ſunt eſſentia croci & myrrhae, vel elixir P. P. ſine acido, vel pilulae *Stablianae* &c. inſtantibus periodis menſtruis exhibenda ſunt, ut cum artificialibus ſuis methodis concurrentem & cooperantem naturam tanto effi-

cacius experiatur medicus. Temeraria Practicorum conamina per emetica, errhina atque ſternutatoria, ſperatum nedum tutum effectum non ubique exerunt.

§. XCVI.

Cum etiam *lumbricorum* pariter atque *calculorum* generatio non pauca, eaque ſat gravia pathemata cauſari ſoleat; In promptu quoque habent Practici remedia, quorum illa *anthelmintica*, haec vero *lithontriptica* vocant, & quorum *illa* vermibus exterminandis, *haec* vero calculis partim comminuendis, ſi credere fas eſt, partim vero expellendis dicata ſunt. Verum cum de utroque hoc evacuationis genere agi ſoleat in *Praxi ſpeciali:* Superfluum hoc loco erit, laborem iſtum anticipare. Quod idem etiam de *carminativis*, quibus flatus alicubi intercepti variasque moleſtias parientes ad exitum promoventur, intelligendum eſt, quod quippe argumentum *capite de flatulentia* in praxi itidem ſpeciali tractari hactenus conſvevit.

§. XCVII.

Quod vero rerum ſolidarum hinc inde deliteſcentium, v. g. ſpiculorum oſſeorum hinc inde abſcedentium, globulorum plumbeorum ſive majorum ſive minorum, telorum itidem, acicularum, ſpinarumq; infixarum &c. extractionem attinet, illam chirurgicis magis quam pharmacevticis auxiliis promoveri licet, ubique tamen commodum extractionis locum eligendo, tempus & opportunitatem agendi non negligendo & ſymptomatum quoque complicatorum prudentem ubique rationem habendo.

§. XCVIII.

Commode denique hic ſuum quoque locum inveniunt *Alexipharmaca* atque *Bezoardica*, talia nempe remedia, quae cauſis morborum virulentis ſunt oppoſita, quaeque veneni craſſioris vel miaſmatum ſaltem venenoſorum, intra corpus receptorum, expulſionem juvant atque promovent,

vent, vel ſaltem virulentam talem materiam probe ſubactam, enervatam & mitigatam ad ſucceſſivam evacuationem diſponunt. Fit hoc variis modis atque methodis: Vel enim ſubtilis iſta maligna admodum activa materia, per univerſam humorum maſſam diffuſa, ex centro verſus peripheriam transferri, ibique per poros cutis ſub tenuisſimorum halituum forma exterminari amat, quod praeſtant radices & herbae alexipharmaca virtute gaudentes, uti ſunt radices imperatoriae, diptamni, petaſitidis, contrayervae & angelicae, nec non herbae ſcordii, galegae & tincturae atque eſſentiae inde paratae, uti ſunt eſſentia alexipharmaca *Stahlii*, pimpinellae albae, ſcordii &c. Nimium enim volatilia atque ſpirituoſa, ſanguinem quippe nimis exagitantia, hic perpetuo exulare debent. Si ab ejuſmodi venenis nimia forte humorum reſolutio metuatur, ea praecaveri vel tolli poteſt acidis temperatioribus cum praecipitantibus & abſorbentibus combinatis. Venenis animalium reſiſtunt theriacalia, & craſſiora venena per os adſumpta, oleum amygdalarum dulcium vel olivarum in copia exhibitum, vel lac calidum copioſius hauſtum optime domat eorumque efficaciam infringit atque obtundit.

§. XCIX.

Subinde vero in morbis malignis atque contagioſis contingit, ut materia virulenta deſtinato naturae conſilio ejusque avtocratia a centro verſus circumferentiam expulſa retrocedat, ſicque partibus interioribus atque nobilioribus novum periculum imo quandoq; interitum comminetur: Quo proinde in caſu, quotienscunque contingit, nova eaque tempeſtiva expulſione opus eſt, ne corrumpendi potentia, qua ejusmodi malignae materiae gaudent, in actum ipſum cum pernicie aegrotantis deducatur.

§. C.

Ne quis vero de ipſius facti veritate dubitandi minimam inveniat occaſionem, ſpecimina talium retroceſſio-

num, quae a peripheria verſus centrum nunquam ſine periculo patientis inſtituuntur, in *variolis* atque *morbillis*, in *petechiis* aliisq; *exanthematibus malignis*, *purpura* tam *alba* quam *rubra*, imo in ipſis quoque *ulceribus venereis*, licet non cum tam eminente ac praeſente oeconomiae vitalis noxa, abunde conſpicere licet. Neque deficiunt in praxi exempla talium ſive *ſpontanearum retroceſſionum* ſive *temerariarum artificialium retropulſionum* in *achoribus infantum*, in *eryſipelate*, in *rheumatiſmis acrioribus*, in *adfectibus arthritico-podagricis*, imo in ſimplici tantum *ſcabie ſicca* & *ſudoribus particularibus manuum pedumque*, quales anomali adfectus plus minus periculoſum vel nocivum effectum habuere pediſſequum, quo plus vel minus ad acutiorem indolem adpropinquabant.

§. CI.

Hoc interim *expulſionis therapevticae* negotium omni modeſtia ſuſcipiendum, & ab omni fortiori impulſu & violentia abſtinendum eſt, tanto magis, cum partim indoles ejusmodi adfectuum valde ſenſibilium retroceſſioni obnoxiorum immoderatiorem talem commotionem non ferat, partim in majorem confuſionem illi adducantur, partim vero natura ipſa ſibi relicta retrogreſſam talem materiam ſponte denuo, ſimulque admodum placide expellat. Quae conſideratio ultima eum praecipue uſum in praxi exerere debet, ut, natura reluctante, artificialis talium materiarum ejectio nunquam ſuſcipiatur, niſi totius adfectus perverſionem metuere inde velit therapevta.

§. CII.

Ad quam proinde confuſionem ſolerter avertendam & tranquillam contra revocationem dictarum materiarum a centro ad peripheriam promovendam, non ſolummodo patientibus tranquilla continentia, ab omni inquieta jectigatione aliena, quae quippe ſine frigidiuſculae aurae admiſſione conſiſtere nequit, commendanda, ſed & ipſa corporis peripheria, praeſertim ſi ſub tonica vehementiori

ſtrictura

ſtrictura conſtituta eſſet, linteaminibus calidis complicatis fricanda eſt, eoque ſubſidio tentandum, an ad priſtinas ſuas ſedes materia retrogreſſa denuo invitari queat. Quid vero cucurbitularum adplicationes, ſetacea, veſicatoria &c. ad revocationem talem actu conferant, non ſimpliciter ex ſpeculationibus *a priori*, ſed ex praxi & obſervationibus clinicis aeſtimandum eſt.

§. CIII.

Neque vero hic etiam ars deſtituitur ſufficienti remediorum adparatu, quibus effectum tam ſalutarem obtineri liceat; In revocandis enim petechiis mixturae ſimplici S.C. eſſentiae ſcordii, alexipharmacae moderatiori &c. locus concedendus eſt. In variolis atque morbillis, ſi retroceſſerint, ſpecifica efficacia tribuitur ſeminibus aquilegiae atque raparum; In reſtituenda utraque purpura abſorbentia una cum eſſentia alexipharmaca, ſuccini & pimpinellae albae laudantur; Infuſa vero calida herbae theae imo & potum Caffée in purpura alba aliquoties admodum nociva fuiſſe deprehendi. Qua vero ratione achores infantum, ſcabies, manuum pedumque ſudores particulares, eryſipelatis aliarumque inflammationum, impuritatum ſive venerearum ſive ſcorbuticarum, ulcerationum variarum ſuperficialium, rhevmatico-arthriticarum congeſtionum vel adfectuum ſpaſmodicorum retroceſſiones ita therapevtice tractandae ſint, ut ſine ſonticis malis ad priſtina loca expellantur & revocentur, id in praxi ſpeciali prolixius exponi ſolet.

§. CIV.

Et cum haud raro in praxi quoque anniverſariae, ſolemnes, ſpontaneae, periodicae, & extraordinariae quidem, attamen omni modo vitales excretiones, uti ſunt vomitus vel diarrhoeae annuae, ſudores anniverſarii, coryzae atque tuſſes annuae & cum illis conjunctae copioſae ſeri mucidi evacuationes obſervari ſoleant, illaeque a Practicis vulgo vel parum attendantur, vel pro turbulentis

 & mor-

& morbidis perverſe aeſtimentur, atque adeo ſecundum hanc alienam conſiderandi rationem turbentur potius & variis modis confundantur, quam ita dirigantur, ut, qui etiam periodicis talibus evacuationibus intendebatur, ſalutaris ſcopus obtineatur: Hinc omni modo *theoretice* non tantum agnoſcendum eſt, excretiones tales deſtinato naturae conſilio in ſalutem corporis ſui adornari, ſed & *practice* cavendum eſt, ne vel turbentur vel praemature nimis ſupprimantur & cohibeantur, nec tamen etiam, ad quod alterum extremum non pauci Practicorum prolabuntur, poſitive impellantur vel motus ipſi exſtimulentur, qui quippe ſibi relicti, nec aliunde praepediti ſatis placide ad finem ſuum ejuſmodi excretionem deducent.

CAPUT TERTIUM.

De *Alteratione & Alterantibus.*

§. I.

Abſolvimus hucusque primam *methodi medendi generalis* claſſem, quae varii generis *evacuantia* ſub ſeſe comprehendit: Tranſeundum nobis nunc eſt ad alteram, quae *alterantia* complectitur; Ubi primo ſtatim in limine animadvertendum eſt, in perita actus hujus alteratorii directione plus utique poteſtatis vindicare ſibi poſſe therapevtam externum, quam internum, cujus quippe ultimi energia in motibus potius excretoriis adornandis, quam humorum alterationibus ſuſcipiendis conſiſtit. Deinde ſedulo quoque obſervandum eſt, ſcopum hunc alterativum ſubinde evacuatorio eſſe praeferendum, ſi nempe vel ſubjectum tenerius ſit atque ſenſibilius, quodque in motuum ſuorum vitalium ſucceſſu facile laedi atque turbari poſſit, vel morbus fuerit chronicus, qui lentius potius ſubigi, vel per vehementem crudorum humorum impulſionem exacerbari mavult. Denique alterationi ſoli nunquam

nunquam ita invigilandum, quin altero ſemper oculo ad evacuationem reſpiciatur: Quia omnis alteratio tandem ad futuram aliquam excretionem reſpicit, imo reſpicere debet.

§. II.

Eſt ergo *alteratio* nihil aliud, quam actus talis therapevticus, quo non modo humores qualitate peccantes ita corriguntur & immutantur, ut ad excretionem habiliores reddantur, ſed & viae impeditiores parteſque ſolideſcentes ita emendantur, ut humores liberum per illas tranſitum inveniant, & ipſi quoque motus ita alterentur, ut deficientes per analeptica atque nervina exſuſcitentur, excedentes vero cicurentur & ad juſtum moderamen reducantur.

§. III.

Cum itaque omnis alteratio vel correctionem humorum vel partium fibroſo-ſolideſcentium vel ipſorum quoque motuum emendationem reſpiciat: Ordine primum illae alterantium ſpecies exponendae ſunt, quae varia materiarum vitia concernunt: Ubi tamen pravus ille conceptus animis ſpeculatorum exulare penitus debet, quaſi nempe humores noxii alterantibus ita ſubigi, corrigi & emendari poſſent, ut, depoſita hac noxia qualitate, in corpore retineri & cum reliquis ſuum denuo circulum abſolvere valerent; Sed omnis alteratio, ut modo dictum, propter futuram evacuationem ſuſcipitur, ut nempe, ſi ſpiſſitudine nimia laboraverint humores, incidantur ac reſolvantur, ſi nimia tenuitate peccaverint, incraſſentur, ſi acrimonia irritante moleſti fuerint, edulcorentur, &, ſi nimia lubricitate vappida laboraverint, virtus quaedam balſamica iisdem reſtituatur.

§. IV.

Spiſſitudinem humorum, ſeri nempe, lymphae ipſiusque ſanguinis quod attinet, illa ſui reſolutionem expoſtulat, nullumque alium ob finem ab artifice ſuſcipitur, quam

quam ad debitam fluxilitatem atque mobilitatem dictis humoribus conciliandam, ut partes poroſo-fibroſas libere permeare ſuumque circulum repetere queant. Et militant ſub hac *Reſolventium* claſſe praeter digeſtiva, praeparantia & abſtergentia, etiam incidentia, attenuantia, antiſcorbutica, antivenerea, & ſano quoque ſenſu abſorbentia una cum diſcutientibus, carminativis, calefacientibus & aperientibus. Quid enim impedit, quo minus uno generali *Reſolventium* titulo ſingulas haſce remediorum ſpecies comprehendamus?

§. V.

Quod igitur *reſolventia* ſpeciatim ſpectat, illorum uſu intenditur fluidorum, ſpiſſitudine laborantium & progredi neſciorum, talis praeparatio, qua ſufficientem fluiditatem ac mobilitatem nacta per partes fibroſas ſufficienter patulas & apertas progrediantur, ſicque reliquum ſe & excretionum ſucceſſum tanto expeditiorem facilioremque reddant. Ac proinde in omnibus pertinacioribus humorum congeſtionibus, reſtagnationibus, infarctibus, oppletionibus viſcerum indeque natis tumoribus, ſive externas, ſive internas partes occupantibus, locum obtinent, ac proinde in cachexia, leucophlegmacia, anaſarca, tumoribus pedum oedematoſis, in infarctu lienis, hepatis & glandularum meſeraicarum aliisque primarum viarum vitiis, in febribus intermittentibus, haemorrhagiis ſuppreſſis, tranſpiratione impedita aliisque talibus caſibus indicantur.

§. VI.

Cum autem ſpiſſitudo iſta vel univerſam ſanguinis maſſam vel ſerum atque lympham ſeorſim adficiat, nec easdem habeat origines, ſed modo a frigore boreali, humores inſpiſſante & coagulante, modo ab inopia ſufficientis aquoſitatis ſeroſae, qua reliqui humores diluantur, modo vero à motus progreſſivi defectu dependeat: Sua ſponte conſequitur, pro diverſa harum circumſtantiarum indole, diverſis quoque modis eidem occurrendum eſſe.

§. VII.

§. VII.

Si univerſalior fuerit ſpiſſitudo, nempe grumoſa, per totam humorum maſſam diffuſa, cautio adhibenda eſt, ne calidioribus orgaſticis, ſpirituoſis ac ſalinis volatilibus remediis ſanguis nimium impellatur, ſicque congeſtionibus, infarctibus & ſtagnationibus anſa ſuppeditetur; Quae tanto praeſentius metuendae forent, niſi in corporibus plethoricorum quantitas ſanguinis prius ventilaretur, viſcera abſtergendo & modeſte laxando, a ſuis impuritatibus liberarentur ſicque humorum reſolutio majori ſecuritate hoc modo praeſtaretur, ſubjungendo inprimis uſum diluentium aquoſorum & ſufficientem corporis motum voluntarium commendando. Quae vero therapevtice magis effectum hunc reſolutorium ſanguinis praeſtant, ſunt radices angelicae, helenii, caryophyllatae, leviſtici, petaſitidis, imperatoriae, gentianae rubrae, galangae &c. nec non herbae centaurii minoris, carduibenedicti, ſcordii, hyſſopi, marrubii albi, pulegii, origani &c. ut & flores calendulae, ſambuci, ſtoechados arabicae, ſalviae, anthos, crocus orientalis, ſemina item quatuor calida majora, aquilegiae, cardui mariae & dauci, lignum ſaſſafras & Guajacum, gummi galbanum, ammoniacum, myrrha, camphora, & ex compoſitis eſſentia alexipharmaca, lignorum, liquor C. C. ſuccinatus, ſpiritus ſalis ammoniaci aniſatus &c.

§. VIII.

Quod ſi autem ſpiſſitudo illa magis lenteſcens ſeroſos & lymphaticos adficiat humores, tunc radices ari, calami aromatici, aſari, valerianae, dictamni albi, bardanae, ireos florentinae, herbae matricariae, capillorum veneris, chelidonii majoris, folia lauri, flores lavendulae, tanaceti, baccae lauri atque juniperi, ſemina aniſi, foeniculi, carvi, piper, ſquilla, ſuccinum, maſtix, olibanum, gummi ammoniacum & alia talia magis ex uſu erunt.

§. IX.

Verum haec omnia uſibus magis internis deſtinata ſunt; Cum autem ex ſtagnationibus, infarctibus, oppletionibus & ſtaſibus humorum non minus in variis partibus externis tumores & inflammationes, humorum reſolutione indigentes, oriantur, medicamentis quoque reſolventibus ſub variis formis exterius adplicitis opus eſt; Atque huc pertinent radices bryoniae, ſigilli ſalomonis, ireos florentinae, herbae chaerefolii, hyſſopi, pulegii, flores chamomillae, ſambuci, cyani, cheiri, ſemina foeniculi, carvi, dauci & nigellae, baccae lauri atque juniperi, ſuccinum, gummi ammoniacum, galbanum, bdellium, carannae & varia inde compoſita, uti ſunt emplaſtrum diaphoreticum Mynſichti, emplaſtrum oxycroceum, emplaſtrum de ſpermate ceti, de meliloto &c. Imo nec vinum calide exterius admotum ſua reſolvente efficacia deſtitutum eſt, ſicuti & interius exhibitum vinum rhenanum generoſum & antiquum eximiam reſolventem energiam exerere ſolet. Nec denique acidularum atque thermarum uſui tam externo quam interno ſua hic virtus reſolutoria deneganda eſt.

§. X.

Veneream ſpiſſitudinem, humoribus lymphatico-ſeroſis magis inhaerentem, ſpecifico effectu reſolvunt ita dicta antivenerea, uti ſunt lignum guajacum, ſaſſafras & juniperinum, radices ſarſaeparillae atque chinae, inprimis vero mercurius, ſive ſublimatus dulcis interne exhibitus ſive currens in ungventi formam redactus & articulis hinc inde inunctus; Verum de hac reſolutionis ſpecie jam ſuperius actum eſt.

§. XI.

Nunc vero etiam ad cauſas, a quibus ejuſmodi humorum ſpiſſitudo dependet, progrediendum eſt; Si enim ab inopia ſeri, reliquis humoribus ſufficienter non interagitati, procedat, quale vitium haud raro mulierculae, vitam ſedentariam agentes & parce nimis bibentes, imo & homines

homines penſitabundi, hypochondriaci & melancholici incurrunt, tunc *diluentia* aquoſa, quae hoc intuitu reſolventibus non injuria adnumerari merentur, in uſum vocanda ſunt, quorſum pertinent potus caffée, infuſum theae & veronicae, decoctum hordei & avenae, emulſiones amygdalatae, ſerum lactis & alia talia, quae particulis ſuis flexilibus humorum maſſam diluendo & inopiam ſeri reſarciendo efficaciter ſpiſſitudini ſimul obviam procedunt. Si frigus borealae ſpiſſitudini humorum & quaſi coagulationi anſam ſuppeditaverit, calore & motu corporis moderatiori vitium iſtud emendari poterit: Quae eadem quoque medicina locum obtinet, ſi a quocunque motus progreſſivi vitio atque defectu natales ſuos derivaverit.

§. XII.

Si denique ab acido, quod tamen haud raro praeter omnem ſuam culpam hic accuſatur, ortum ſuum habuerit humorum ſpiſſitudo, tunc abſorbentibus, inprimis teſtaceis, lapidibus nempe cancrorum, conchis praeparatis, teſtis ovorum, inprimis acido citri ſaturatis &c. ſuus hic locus denegandus non eſt; Ubi tamen credendum non eſt, abſorbendo ac praecipitando ſuum haec effectum exercere, cum potius tenacem ac viſcidam materiam in pulpoſam volubilem conſiſtentiam redigendo, mobilitati reſtituant & ſic ſeceſſioni & excretioni legitimae adaptent.

§. XIII.

Porro vero *Digeſtiva* huc quoque ſpectant, quae in impuritatibus mucoſo-viſcoſis primarum viarum, febribus tertianis & quartanis nec non in anorexia aliisque adfectibus potiſſimum indicantur. Sunt autem praecipua horum ſalinae proſapiae, quorſum referri merentur ſal digeſtivum *Sylvii*, ſal polychreſtum *Charras*, arcanum duplicatum, nitrum antimoniatum, tartarus vitriolatus, liquor terrae foliatae tartari, tartarus tartariſatus, ſal tartari, centaurii minoris, abſinthii, geniſtae, ononidis &c. Haec enim omnia

particulis ſuis ſalinis acutis partes ſpiſſas diſcontinuando, fluxilitatem ac mobilitatem ipſis denuo procurant. Reliqua, de quibus antea diximus, reſolventia partim acribus ſuis ſalino-ſulphureis & aromaticis particulis mucidos humores diffindunt quaſi atque reſolvunt, alia vero, uti volatilia atque ſpirituoſa non tam in ipſos humores, quam potius in vias atque fibras efficaciam ſuam exerunt, motum tonicum augendo & circularem quoque humorum eoipſo promovendo.

§. XIV.

Ab hiſce reipſa non differunt *abſtergentia*, niſi quod, praeterquam quod humores ſpiſſos aliquando ad motum diſponant habilioresque ad excretionem reddant, etiam ipſas vias ſimul ſtimulando adficiant, uti ſunt praeter gummi ammoniacum, galbanum & ſagapenum, antea allegata ſalina, nempe tartarus vitriolatus, arcanum duplicatum, ſal polychreſtum & alia talia, dummodo majori in doſi exhibeantur. *Abſtergentium* nomine ideo donata ſunt, quia impuritates ſalino-acres, hinc inde obhaereſcentes, viasque ſtimulantes abradendo abſtergunt ac removent, quod, cum ſine reſolutione fieri non poſſit, abunde patet, quo jure ad reſolventium claſſem illa reduxerimus. Neq; vero effectu ſimpliciter tantum alterante ſeſe commendant, ſed & ſcopo evacuandi laxantibus & clyſteribus admiſcentur; Notum enim eſt, quod gummoſa & reſinoſa largius exhibita, laxantem effectum exerant. Clyſterum vero reliquis ingredientibus ſal gemmae vel commune ſaltem ideo admiſceri ſolet, ut viſcidae, mucoſae impuritates, in inteſtinis huic inde obhaereſcentes abradantur, abſtergantur & ſic ad evacuationem ſimul diſponantur. De manna, myrobolanis, tamarindis, imo ipſo quoque melle notiſſimum eſt, quod interdum abſterſorium effectum poſt ſe relinquant, imo melli, myrrhae, ſarcocollae aliisque pulverulentis, ulceribus ſordidis inſperſis, notiſſima abſterſoria & mundificans efficacia denegari non poteſt. Et optandum profecto eſſet, quae ad abſtergendas ulcerationes pulmonum,

num, renum, hepatis, lienis aliorumque viſcerum internorum pari fiducia commendantur, aeque praeſentem poſt ſe effectum relinquerent.

§. XV.

Ad eandem hancce claſſem pertinent etiam *incidentia*, ſpecialiter ab *incidendo* ita dicta, quia acutis ſuis eminentiis atque ſpiculis materias immorigeras, immobiles & ſequi neſcias, nempe viſcidas, lentas, mucidasque incidendo, ad eam fluiditatem ac mobilitatem deducere dicuntur, ut reliquarum motui obſecundare queant. Ac proinde in vitiis lymphae ſerique, quando nimium mucidam ſpiſſescentiam acquiſivere, in cachexia, leucophlegmacia morbisque aliis chronicis, ex hoc fonte pullulantibus, nempe febribus intermittentibus, tuſſi & aſthmate humidis, in glandularum meſeraicarum infarctu, indeque nata atrophia, in ictero &c. locum ſuum inveniunt. Remedia vero, quae hoc incidendi effectu ſeſe commendare dicuntur, vix alia ſunt, quam ſalinae proſapiae, quae jam antea *digeſtivorum* & *praeparantium* nomine indicata fuere, uti prae reliquis ſunt ſal digeſtivum *Sylvii*, ſal polychreſtum, omnia remedia tartarea, nitrum depuratum, nitrum antimoniatum, lapis prunellae, ſalia item per incinerationem parata, qualia ſunt ſal abſinthii, centaurii minoris & cardui benedicti, &, quod uſui acidularum commodiſſime interponi poteſt, ſal epſonienſe vel ſimile aliud. Hiſce nonnulli adjungunt radices ſquilliae, helenii, armoraciae, herbas item hyſſopi, veronicae & centaurii minoris, baccas lauri & juniperi, ſemina aniſi, foeniculi & ſynapios &c. quae quippe omnia mucoſos viſcidosque humores, tam in primis viis quam in pectore collectos, ita incidere & reſolvere dicuntur, ut deinde tanto commodius vel per lenem laxationem evacuari vel per expectorationem vegetam rejici queant.

§. XVI.

Quandocunque ſpiſſitudini ſanguinis, ſeri lymphaeq; lenteſcenti admixtae & permixtae ſunt particulae acres,

 ſalinae,

ſalinae, atque adeo vera ac realis conſtitutio ſcorbutica praeſto eſt, tunc remedia, ſpecifico effectu *antiſcorbutica* dicenda, indicantur, huic nempe dyſcraſiae ſcorbuticae corrigendae ita propria atque ſpecifico effectu deſtinata, ut, ſi aliis humorum vitiis emendandis opponerentur, non modo nullum optatum, ſed & plane nocivum effectum eſſent productura. Ut proinde vera dyſcraſia ſcorbutica adeſſe, non autem ex Pathologiae falſae praeceptis ejusdem praeſentia forte praeſumi tantum debeat.

§. XVII.

Et cum proinde eorundem efficacia magis in alterando quam evacuando conſiſtat, praedictam nempe lenteſcentem humorum ſpiſſitudinem incidendo, attenuando & abſtergendo, manifeſtum eſt, *antiſcorbutica* ſub eadem *reſolventium* claſſe adhuc militare; Et hoc proinde nomine antiſcorbutica virtute illuſtria praedicantur armoracia & radices oxylapathi, ari & ſquillae, nec non herbae cochleariae, beccabungae, fumariae, trifolii fibrini, naſturtii, piperitidis, ſcordii, acetoſae atque acetoſellae cum thlaſpiorum ſpeciebus: Circa quorum omnium uſum tamen notandum eſt, quod magis in ſubſtantia quam ſub varia praeparatorum forma locum inveniant, eorundemque ſucceſſus & effectus ſalutares, motus corporis voluntarius promoveat atque ſecundet, non neglectis tamen omnino evacuantibus, per moderatam laxationem, diureſin atque diaphoreſin operantibus.

§. XVIII.

Neque dubitamus, eidem *reſolventium* ſeriei quoque *aperientia* adnumerare; Quanquam enim ſecundum vulgares *Mechanicorum* praefigurationes haec remediorum genera magis obſtructionibus viarum atque vaſorum ſubtilium opponi ac deſtinari ſoleant: Nihilominus tamen, cum ejuſmodi obſtructiones in corpore humano vivo longe rarioris ſint proventus, quam hucusq; ſpeculatores in animum

mum ſuum admiſerunt: Sua ſponte conſequitur, *aperientia* vulgo ſic dicta ſuum potius effectum exerere in ſpiſſitudine humorum, cum plethora tamen conjuncta, reſolvenda, propter quam quippe difficilius per partes & vaſa progrediuntur, atque ideo negotium ſe & excretorium turbant: Hinc enim ſtagnationes ſanguinis circa ramificationes venae portae verius, quam verae & reales obſtructiones, difficilior per hepar atque lienem progreſſus, indeque tandem mala hypochondriaca, ſplenetica &c. oriuntur.

§. XIX.

Ideo tamen penitus negare nolumus, ſubinde etiam vitium viarum, vaſorum atque partium poroſarum, nim s conſtrictarum, atque adeo liberum humoribus tranſitum denegantium, concurrere poſſe; Quas proinde ſi permeabiles denuo reddant haec remedia, nec hoc reſpectu *apertionis* efficacia denegari ipſis poteſt. Cum vero ſcopum iſtum alia ratione impetrare non liceat, quam humores ſpiſſitudine laborantes incidendo, attenuando ac reſolvendo, ut per vias dicto modo *tonice* ſtrictas tranſitum inveniant; Iterum conſequitur, non ſolis viis, ſed ipſis quoq; humoribus dicata eſſe *aperientia:* Quia inter fluida ac ſolida perpetua atque conſtans debet eſſe relatio atque proportio.

§. XX.

Id quod inſuper ex ipſa *aperientium* ſerie manifeſte liquet, ubi tanquam encomio hoc vere digna non ſolummodo illa laudantur, quae incidendo, abſtergendo ac reſolvendo humores operantur, ſed &, quae vel nimiam fibrarum ſtricturam tonicam demulcent atque contemperant vel etiam oppoſitam laxitatem denuo roborant vel confirmant. Inter haec ſelectiores ſunt radices caryophyllatae, carlinae, pimpinellae albae, imperatoriae atque helenii, deinde herbae abſinthii, fumariae, centaurii minoris, cochleariae, hyſſopi, pulegii, ſcordii & folia lauri, porro flores chamomillae & ſambuci, una cum croco, ſemina

petro-

petroſelini, ſynapios, carvi atque dauci, nec non aromatica cum gummi ammoniaco, ſagapeno, myrrha aliisque talibus.

§. XXI.

Conſultum tamen non eſt, effectum *apertionis* nimio cum impetu atque praecipiti & ſimultaneo quaſi actu urgere; Quia ſperatae *apertionis* loco partium potius infarctus, oppletiones, ſtagnationes atque ſtaſes nocivae esſent metuendae; Id quod inprimis remedia nimis calida, volatilia atque ſpirituoſa praeſtare conſueverunt. Deinde, cum experientia teſte, *apertionis* effectum nihil aeque intercipere ac praepedire videatur, quam plethora atque primarum viarum ſaburra ſeu variarum impuritatum collectio: Nihil quoque conſultius à therapevta agi vel ſuscipi poteſt, quam juſta horum obſtaculorum remotio, quorum *illud* venaeſectione vel quacunque alia ſanguinis ventilatione artificiali, *hoc* vero modeſta catharſi in effectum dare poteſt.

§. XXII.

Unde conſequitur: Aperientibus caute utendum esſe in ſtatu eminenter plethorico, indeque ortis congeſtionibus, reſtagnationibus & infarctibus viſcerum infimi praecipue ventris, eorundemque ſive ſcirrhoſa diſpoſitione ſive actuali ſcirrho ſanguineo; Et contra locum tantum illis relinquendum eſſe in vitiis ſeri, indeque ſurgentibus tumoribus oedematoſis pedum, in anaſarca, in cachexia, chloroſi & obſtructione menſium muliebrium, in malo hypochondriaco, ſplenetico & haemorrhoidali, nunquam tamen aliter, niſi praemiſſis ſemper praemittendis.

§. XXIII.

Nunc vero etiam de *carminativis* diſpicere aequum eſt; Et licet non ignoremus, haec remediorum genera a nonnullis atoniae ventriculi & inteſtinorum, ab aliis flatulentiae,

ab

ab aliis vero, quibus arctus quorundam infimi ventris pathematum nexus non eſt ignotus, quique in iisdem potius ſpaſmum & motum periſtalticum auctum quam quoquo modo debilitatum vel labefactatum criminantur, deſtinari: Juſtum tamen eſt, circa talium *carminativorum* diſpenſationem cum prudentia atque circumſpectione verſari, quam ejuſmodi pathematum exacerbationi & irritationi anſam ſubminiſtrare; Cum praecipue inter omnes conſtet, pleraque, quae famoſo *carminativorum* titulo hactenus propoſita ſunt, conſtare particulis acribus, ſulphureis, ſpirituoſis & orgaſticis, quibus non modo humorum maſſa in turgefactorium motum conjicitur, ſed & partium fibroſomembranoſarum tonus irritatur, inſolentior redditur & ad ſpaſticam indolem invitatur.

§. XXIV.

Hoc proinde intuitu nullius reos nos faciemus abſurditatis, ſi remedia nitroſa aliaque antiſpaſmodica *carminativis* accenſeamus; Quia ſpaſmum & periſtalſin inteſtinorum auctam demulcendo, flatulentiae, colicae flatulentae, cardialgiae, moleſtis ructibus, nauſeae, oppreſſoriis ventriculi moleſtiis &c. efficaciter medentur. Neque *carminativorum* titulo temere defraudanda ſunt *digeſtiva*, *praeparantia* & *abſtergentia ſalina*, quae quippe mucum inteſtinalem reſolvendo & ex primis viis abſtergendo & auferendo, cauſam ſimul materialem tollunt, ex qua flatulentia, colica, nauſea, cardialgia &c. pullulare potuiſſent. Ut proinde iterum tam manifeſtum, quam quod manifeſtiſſimum ſit, ad nullam aliam, quam *reſolventium* claſſem *carminativa* jure referenda eſſe.

§. XXV.

Id quod tanto adhuc clarius ipſa horumce remediorum ſeries oſtendit, quae quippe ſub *reſolventium* claſſe jam ſuperius commodum ſuum invenêre locum, ſuntque ex genere radicum gentiana rubra, helenium, pimpinella alba, angelica, carlina, imperatoria & leviſticum; Ex herba-

rum, florum & ſeminum &c. genere abſinthium, abrotanum, centaurium minus, mentha & meliſſa, flores anthos & chamomillae, ſemen foeniculi, cumini, carvi, dauci, ſileris montani, cortices item citri & aurantiorum, baccae lauri atque juniperi, & ex his paratae tincturae, eſſentiae, extracta & infuſa, uti ſunt eſſentia citri, corticum aurantiorum, galangae, helenii, abſinthii compoſita, eſſ. carminativa *Wedelii*, nec non externa quaedam, uti ſunt emplaſtrum carminativum cum emplaſtro de baccis lauri aequa portione permixtum & ventriculi regioni impoſitum.

§. XXVI.

Atque haec omnia, diverſis ſub formulis exhibita, in atonia ventriculi & inteſtinorum, in flatulentia, nempe ſimplici, quae cum qualicunque ſive menſium, ſive haemorrhoidum anomalia non colludat, in colicis item torminibus, quae ex flatuum incarceratione ortum ſuum traxerunt, in inflatione ventris tympanitica, in fluxibus alvinis, circa declinationem inprimis, materia jam maximam partem evacuata, in lienteria, doloribus poſt partum, hyperemeſi & hypercatharſi aliisque talibus caſibus, in quibus tonica fibrarum roboratione opus eſt, locum ſuum inveniunt: Ubi contra eorundem uſus in principio diarrhoearum atque dyſenteriarum, in paſſione hypochondriaca atque hyſterica, vomitu cruento, in obſtructionibus alvi ejusdemque nimia ſiccitate &c. omnino exulare debet.

§. XXVII.

Carminativis ideo ſubjungimus *calefacientia*, eaque *reſolventium* claſſi adnumeramus, quia probe novimus, talium remediorum auxilio non ſolummodo humores ipſos in juſta ſua fluiditate ac mobilitate conſervari, ſpiſſitudinemque praepediri, ſed & ipſas partes fibroſo-poroſas in ſua flexilitate juſtaque permeabilitate ita praemuniri, ut libero ſe & excretionum ſucceſſui nullum objiciatur praejudicium.

§. XXVIII.

§. XXVIII.

Abſit tamen, calefacientibus vulgo ita dictis, nervinis nempe, confortantibus, cordialibus, remediis nempe acribus, oleoſis deſtillatis, ſpirituoſis, ſulphureis, reſinoſis & volatilibus negotium tam ſonticum, caloris nempe vitalis reſtitutionem demandare; Quia ex eorundem uſu vel potius abuſu nil, niſi moleſti motus ſanguinis turgefactorii, congeſtiones, reſtagnationes, infarctus & ſtaſes oriuntur. Contra vero frictionibus modeſtis, linteaminibus calidis inſtitutis, ſemicupiis, pediluviis, infuſis calidis theae atque veronicae, vino rhenano antiquo & generoſo vel moderatis etiam alexipharmacis concalefactionis ſcopum longe ſecurius, quam praedictis orgaſticis obtinere integrum eſt.

§. XXIX.

Quare etiam ejuſmodi decoctorum vel infuſorum calidorum, diluente inprimis virtute ſeſe commendantium uſus potiſſimum obtinet in omni ſanguinis, lymphae ſerique ſpiſſitudine, conjuncta inprimis plethora, in diuturnis alvi obſtructionibus, in vitiis menſium atque haemorrhoidum aliarumque neceſſariarum ſe- & excretionum &c.

§. XXX.

Neque *humectantium*, quae pariter pro *reſolventium* ſpeciebus habere minime dubitamus, hic oblivisci decet, quia, licet primario partibus ſolideſcentibus fibroſis ita deſtinata ſint, ut earundem nimiam rigiditatem, duritiem, tonum auctum indeque reſultantem juſtae permeabilitatis defectum humectando emolliant; Negari tamen nequit, quod ſimul etiam materiis fluidis, minus mobilibus, ſuam fluxilitatem mobilitatemque ſartam tectamque conſervent vel amiſſam reſtituant: Quorſum jure etiam referimus ſicca quaedam, ſalina nempe concreta, quae inter nitrum potiſſimum eminet, quibus in humores corporis derivatis humectans proprietas merito vindicatur, qua humores

colliquando & reſolvendo fluxiles ac mobiles eosdem reddunt. Ubique tamen cautio adhibenda eſt, ne in ejusmodi *humectantium* uſu abuſus committatur, quia alias jure metuendum eſt, ne vel fluida corporis naturalia in vapidum ſtatum degenerent, vel ſolideſcentibus fibroſis nimia laxitas, debilitas, atonia inducatur, unde tandem cachexia, leucophlegmacia, anaſarca hydrops exurgere poteſt, imo haud raro ſolet.

§. XXXI.

Verum enim vero haec de ſpiſſitudinis nimiae reſolutione & *reſolventibus*, quaeque hoc genere continentur, nempe de *digeſtivis*, *praeparantibus*, *abſtergentibus*, *incidentibus*, *attenuantibus*, *antivenereis*, *antiſcorbuticis*, *abſorbentibus*, *diſcutientibus*, *aperientibus*, *carminativis*, *calefacientibus*, *humectantibus*, & ſi quae alia huc ſpectant remedia, dicta ſufficiant: Nunc vero ad vitium humorum ſpiſſitudini contrarium, nimiam nempe eorundem tenuitatem cum ſubtili acrimonia conjunctam tranſitum facimus, qualibus humorum vitiis *incraſſantia*, quaeque eadem quoque claſſe comprehenduntur, *edulcorantia*, *abſorbentia* atque *praecipitantia* & *temperantia &c.* deſtinata ſunt.

§. XXXII.

Per *incraſſantia* intelliguntur remedia alterantia, quibus humores tenues, non tamen ſimpliciter aquoſo-ſeroſi, ſed ſimul valde acres & ſubinde orgaſtici, ſalino-ſulphurei ad conſiſtentiam ſpiſſiuſculam reducuntur, ut hoc modo correcti tanto facilius deinde evacuari queant, ſicque tanto efficacius atque ſecurius praepediatur, ne in partes fibroſo-ſolideſcentes impacti ſtaſes roſivas poſt ſe relinquant. Ubi tamen per ſe patet, non nimis diu huic incraſſationi humorum indulgendum eſſe; Quia alias iterum metuendum foret, ne pulpoſa conſiſtentia in tenacitatem viſcoſam degeneraret, ſicque infarctus pariendo humorum excrementitiorum ſe- & excretionibus officeret.

§. XXXIII.

Poſſunt vero ad quatuor claſſes ſat commode revocari medi-

medicamenta, quae incraſſandi efficacia pollere dicuntur. Ad primam referenda ſunt, quae principio gelatinoſo, pingui atque mucilaginoſo conſtant, uti ſunt mucilago hordei, gelatina CC. juſculum pedum vervecinorum, radices malvae, biſmalvae, tuſſilaginis & liqueritiae, flores item verbaſci & liliorum alborum, nec non ſemina quatuor frigida majora pariter ac minora, uti & amygdalae dulces, nuclei pineorum & piſtaceae una cum emulſionibus inde paratis, pluraque alia, quae particulis ſuis oleoſis, pinguibus atque gelatinoſis materias tenues, acres nimisque volatiles inviſcant, obvolvunt & obducunt, quo minus irritantem ſuum effectum tam libere exercere queant.

§. XXXIV.

Ad *ſecundam* claſſem pertinent *inviſcantia* & *glutinoſa* ſeu concreta quaedam ſpiſſiuſcula, gummi nempe arabicum & tragacanthae, nec non ſpecies dia-tragacanthae frigidae, quae nempe partibus ſuis glutinoſis humores acres irretiunt, eorundemque commotionem ac reſolutionem nimiam praepediunt atque tollunt.

§. XXXV.

Ad *tertiam* claſſem reducimus *abſorbentia*, quae particulas acres ſuos intra poros recipiendo figunt, uti ſunt lapides cancrorum, conchae praeparatae, CC. uſtum, teſtae ovorum calcinatae, corallia rubra, mater perlarum & alia talia.

§. XXXVI.

Huc *quarto* ſpectant etiam *acida*, uti ſunt ſuccus citri, berberum atque cydoniorum nec non ſyrupus de acetoſitate citri, ſpiritus ſalis ac nitri dulces, imo nitrum ipſum, cryſtallus montana, clyſſus antimonii & ſulphur citrinum. Verum *adſtringentia auſtera*, quae a nonnullis huc etiam referuntur, uti ſunt radices tormentillae atque biſtortae, cortices granatorum, flores balauſtiorum &c. ea, ſi uſibus internis deſtinentur, minus nobis probantur, quia adſtrictoria ſua efficacia humores nimis figendo & quaſi coagulando

gulando intractabiles & immorigeros eosdem redddunt, quo minus deinde rite evacuari poſſint.

§. XXXVII.

Recte tamen a nonnullis huc referuntur *anodyna* & *opiata*, uti ſunt maſſa pilularum de cynogloſſa, diacodium montanum & alia hujuscemodi remedia, quae partim ad defluxionem catarrhalem ſuſpendendam, partim vero ad vim irritantem ac ſtimulantem obtundendam commendantur. Denique ſubordinanda ſunt congrua evacuantia, inprimis cholagoga, quae humores bilioſos, acres, tempeſtive educant, priusquam in acrimoniam rodentem vel cauſticam degenerent, de quibus tamen jam ſuperius inter evacuantia cholagoga mentio facta eſt.

§. XXXVIII.

Caeterum artificialis talis humorum incraſſatio locum obtinet non modo in raucedine faucium & brancho, ſed & ferina atque impetuoſa tuſſi, ubi inter motum excuſſorium & ipſam materiam exſcreatione rejiciendam, paucam nempe atque acrem, nulla vel exigua eſt proportio. Deinde ſuum quoque uſum exerit in diarrhoea bilioſa, cholera morbo aliisque fluxibus, a nimia ſeri acrimonia dependentibus, quae quippe vel eryſipelaceam vel profundiorem inflammationem primis viis inductura foret, niſi nimiae iſti tenuitati & acredini bilioſae efficaciter congruis alterantibus obviam procederetur; Quo in cenſu nitrum depuratum aliis ferme palmam praeripit, imo & cryſtallus montana una cum aliis terreis atque praecipitantibus, non neglectis tamen etiam inviſcantibus, gummi nempe arabico atque tragacanthae, imo ne ipſo quidem amylo inſuper habito, quanquam emulſiva atque dulcia, ficus nempe pingues, ſaccharum, jujubae, ſebeſten, glyzyrrhiza &c. ſuas quoque partes hic habeant, imo & cremori hordei atque avenae ſua non ſit deneganda efficacia.

§. XXXIX.

Praeterea vero ſuus incraſſantibus locus concedendus eſt in nimia ſanguinis humorumque tenuitate aquoſa inde-

indeque dependente fluxilitate & haemorrhagiis, impetu atque copia peccantibus, menſtruis nimiis, haemoptyſi &c. Ubi ne quidem negligenda eſt incraſſatio externa, quae ſubinde in fluxibus ſive ſanguinis ſive ſeri, vulneribus atque ulceribus complicata, neceſſaria eſt. Nec denique incraſſantibus carere facile licet in reſolutione humorum hectica & ſudoribus atque diarrhoeis colliquativis conjunctis, quibus quippe vitiis emulſiones amygdalatae, gelatinae & alia talia efficaciter opponuntur.

§. XL.

Speciem *incraſſantium* conſtituunt *edulcorantia*, quae tamen, ſi verum fateri liceat, non tam ex ipſa rei natura hauſta, quam tantummodo a Pathologis ſpeculatoribus variis imaginariis humorum vitiis, a quibus nempe, neglecta plethora & peccatis motuum, omnem morborum catervam derivare conſueverunt, oppoſita fuerunt, ab eo maxime tempore, quo *Pathologia ſalſa* caput extollere coepit, ubi proinde ſanguinem ex hypotheſi ſalſum, acrem, acidum, auſterum, lixivioſum, muriaticum ac proinde *ſapidum* edulcorare & quaſi *inſipidum* reddere adlaborant. Quod ſi autem eo ſenſu accipiatur hic actus edulcoratorius, quaſi nempe humores dicto artificio inſipidi facti in corpore tolerari ac retineri debeant, tunc unusquisque facile perſpicit, univerſam hanc operationem vanam eſſe atque inutilem, imo praeter curam palliativam nihil ſpondere: Quod ſi vero de variarum materiarum heterogenearum, ſanguinem, ſerum, lympham reliquosque hnmores coinquinantium abſterſione, abſorptione & ſequuta deinde repurgatoria mundificatione intelligatur, tunc utique in dyſcraſia humorum acri, in coryza acriori, in brancho, in ardore urinae, phthiſi, hectica, febribus bilioſis, rhevmatiſmis &c. remedia haec edulcorantia ſua inſigni utilitate non deſtituuntur, de quibus tamen prolixum ſermonem ideo non inſtituimus, quia jam ſub titulis *diluentium* & *humectantium*, *abſtergentium*, *praecipitantium* & *abſorbentium* propoſita fuerunt.

Abſorbentia ſpecialiter ita dicta quod attinet, in aprico pariter eſt, nimiae humorum aciditati, quam *Pathologiae ſalſae* adſertores hic & illic humoribus adfingunt, oppoſita illa eſſe, ad eam nempe imbibendam, reſorbendam & intra poros medicamentorum iſtorum terreorum recipiendam, ut hoc modo circumdata acida corroſivitas effectu rodente privetur ſicque tanto deinde ſecurius in corpore retineri atque tolerari queat. Et quamvis negari non poſſit, lapides & chelas cancrorum, conchas praeparatas, cryſtallum montanam, matrem perlarum, teſtas ovorum & alia talia virtutibus ſuis in praecipitandis humoribus acribus non deſtitui; Semper tamen eo quoque reſpicere decet, ut abſorbentibus talibus congrua evacuantia perite ſubordinentur: Quia alias ex nexibus terreorum corporum ſeſe denuo extricando, priorem noxiam qualitatem recuperant. Atque hoc modo etiam de *praecipitantibus* ratiocinandum eſt. *Temperantia* vero motibus magis exorbitantibus demulcendis, quam craſi & vitiis humorum corrigendis & alterandis deſtinata ſunt.

§. XLII.

Verum priusquam ad alterationem motuum, tam in humoribus quam in partibus fibroſo-ſolideſcentibus peccantium progrediamur, unius adhuc vitii humorum in qualitate, nimiae nimirum *lubricitatis vappidae*, omnis ſpirituaſcentiae expertis, mentio facienda eſt; Qualem quippe humorum ſtatum in morbis malignis atque contagioſis, in gangraena, cancro potiſſimum invaleſcente aliisque adfectibus tam internis quam externis obſervare ſolemus. Uti vero difficile eſt negotium, vinum vel acetum vappidum ad priſtinum integritatis ſtatum reducere: Ita pari difficultate conjuncta res eſt, putredinoſam corruptionem craſi humorum imminentem tam efficaciter avertere, quo minus invaleſcere vel plane in actum erumpere queat.

§. XLIII.

Praeoccupant autem & impediunt inteſtinam craſeos humorum diſſolutionem remedia ita dicta *balſamica*, quate-

quatenus corruptas atque corruptibiles partes per humores oberrantes extravertunt & per varia organa ſe- & excretoria eliminant, ſicque craſin eorundem ſalvam & incolumem conſervant. Pertinent huc remedia alexipharmaca temperatiora, uti ſunt radices angelicae, vincetoxici, pimpinellae albae atque ſcorzonerae nec non herbae ſcordii & cardui benedicti, fumariae atque cochleariae una cum eſſentiis tam ſimplicibus quam compoſitis inde paratis. Eadem virtute balſamica pollent quoque myrrhata, ſuccinata ac terebinthinata, magis tamen externo, quam interno uſu, nempe in ulceribus ac vulneribus: Quia interius exhibita humores nimis commovent ac proinde inteſtinam illam, ad quam jam ſua ſponte inclinant, humorum diſſolutionem atque putredinoſam corruptionem magis juvant ac promovent. Tanto vero magis ad hanc balſamicorum claſſem referenda ſunt balſama de Copayva & Peruvianum, & quidem tam externis quam internis uſibus deſtinanda.

§. XLIV.

Uti vero humores, quod prolixe hucusque diſcuſſum eſt, ſubinde alteratione indigent, ut in mixtionis ſuae integritate conſerventur: Ita non minus partes fibroſae, ſolidae pariter ac ſolideſcentes alterationem ſui nonnunquam requirunt, ut juſtam ſuam texturam atque ſtructuram conſervent vel recuperent. Hoc modo nimirum induratae & exſiccatae partes ſolidae corriguntur per *emollientia* & *humectantia*, ut juſta flexilitas denuo reducatur: Contra partes nimium emollitae emendantur per *roborantia*, tonica: Quae nimia laxitate ac permeabilitate laborant ac proinde variis humorum exundationibus patent, corrigendae ſunt per *adſtringentia* & vice verſa.

§. XLV.

Emollientia ab emolliendo, *humectantia* vero ab humectando denominationem ſuam acceperunt. *Illa* partibus fibroſis nimium induratis, *haec* vero exſiccatis ſunt dicata. *Illa* partes nimium tenſas rigidaque ſtrictura detentas ac

proinde liberum humorum tranſitum intercipientes leniunt, demulcent, relaxant flexilioreſque reddunt, ut humores vias iſtas denuo permeare queant: *Haec* vero nimium exſiccatis, ſtrictis atque inflexilibus ſufficientem humiditatem communicando ſimul mobiles atque flexiles, ſicque officio ſuo recte obeundo pares ac habiles reddunt. Id tantum ſedulo cavendum eſt, ne in horum remediorum uſu abuſus committatur, quia alias *emollientia* ſuſpectas laxitates & atoniam partibus inducunt, *humectantia* vero humorum infarctibus, ſtagnationibus atque ſtaſibus & conſequenter adfectuum cachecticorum, leucophlegmaticorum & oedematoſo-hydropicorum generationi anſam praebere poſſunt.

§. XLVI.

Ad ſeriem *emollientium* referuntur radices altheae & liliorum alborum, herba malvae, bismalvae, mercurialis, parietariae & brancae urſinae, flores chamomillae, verbaſci, altheae, meliloti & violariae, ſemina lini & foenu graeci, ficus item pingues & paſſulae majores minoreſque, ſperma ceti, lac, mel, oleum amygdalarum dulcium, lini & liliorum alborum, nec non compoſita varia, uti ſunt emplaſtrum diachylum ſimplex & compoſitum, emplaſtrum de meliloto, unguentum dialtheae compoſitum & alia talia; Ad *humectantia* vero pertinent externe balnea tam *naturalia* quam *artificialia*, & inunctiones, interne vero infuſa atque decocta calida, ſufficiens potus, thermae & acidulae, inprimis vero conveniens uſus remediorum nitroſorum.

§. XLVII.

Et ſicuti *emollientia* ſcopo maturandi ac ſuppurandi in variis tumoribus *externe* ſub fotuum, cataplaſmatum &c. forma adplicata eximiam ſpondent utilitatem; Ita *interne* in nimia alvi ſiccitate & teneſmo, in iſchuria ac dyſuria, in partu difficili aliiſque caſibus locum apprime inveniunt: *Humectantia* vero in demulcenda ſpaſmorum vehementia, in nimia alvi ſiccitate indeque nata obſtructione, in aeſtu

febrili,

ſebrili, in ſuppreſſa tranſpiratione humorum ſenſibili pariter ac inſenſibili &c. egregiam efficaciam exerunt.

§. XLVIII.

Uti vero *emollientibus adſtringentia*; Ita *humectantibus* oppoſita ſunt *exſiccantia*, de quibus nunc breviter adhuc dicendum eſt. Adſtringentium nomine illa veniunt remedia, quae primario in vias parteſque fibroſas & interſtitia ab illis relicta, ut & motus, ſecundario vero in ipſos quoq; humores operantur, illas nimis relaxatas nimiſque patulas conſtringendo, motus excretorios ſiſtendo ſicque humores affluentes intercipiendo & oeconomiam vitalem in varias anomalias conjiciendo. Unde ſponte conſequitur, *adſtringentibus* in praxi non niſi maxima cum circumſpectione utendum eſſe; Quia vias poroſque, per quos humoribus tranſeundum eſt, conſtringendo, ſtagnationibus atq; ſtaſibus humorum eorundemque incraſſationi anſam ſubminiſtrant, imo ſubinde plane periculoſas exundationes verſus alia loca, vel pernicioſas repreſſiones à peripheria verſus centrum excitant.

§. XLIX.

Non omnia tamen, quae *adſtringentium* titulo à materiae medicae ſcriptoribus exornantur, aequali gradu atque vehementia adſtrictorium ſuum effectum exerunt; Unde *repellentium* nomen iis datum eſt, quae materiae adfluxum inhibendo quaſi repellunt; Alia vero modeſtius tonum adficiendo eundem roborant, atque ideo *tonicorum* denominationem reportarunt atque ideo fortioribus *adſtringentibus* multis modis praeferenda ſunt, quia ſucceſſive, non ſimultaneo actu & repentino nimis effectu vim ſuam adſtrictoriam exerunt.

§. L.

Quemadmodum autem potentiora illa *adſtringentia* in ſubjectis eminenter plethoricis & vel moliminibus ſaltem

haemorrhagicis, vel nimio menſium, lochiorum vel haemorrhoidum fluxui expoſitis, in diarrhoeis atque dyſenteriis, cholera & vomitu bilioſo, in febribus intermittentibus legitimum ſuum decurſum ſervantibus, & earundem principio, in adfectibus hydropicis, in gonorrhoea virulenta & fluxu mulierum albo, ſumme nociva ſunt: Ita cum prudentia adhibita in haemorrhagiis violentioribus & quidem paſſivis, in febribus intermittentibus tertianis chronicis, materia febrili ſufficienter evacuata, atq; adeo ſolis tantum motibus febrilibus peccantibus, potiſſimum vero in luxationibus atque fracturis ſuum nihilominus locum inveniunt.

§. LI.

At *tonica* ſelectiora longe ſecurius in uſum vocantur, in exorbitantibus nempe haemorrhagiis, in ſudoribus habitualibus, aliisque adfectibus feroſis & chronicis, qui vel debilitatem toni vel atoniam viſcerum poſt ſe reliquerunt. Atque ex his medentium expectationi praeſentius aeque ac ſecurius ſatisfaciunt caſcarilla, crocus martis ſubtilis, eſſentia martis tartariſata, ſpecies de hyacintho, corallia rubra, eſſentia millefolii, caſcarillae & terrae catechu, confectio de hyacintho &c. *Repellendo* operatur ſulphur exterius adhibitum, ſiquidem non modo ſcabioſa inquinamenta cum aegrotantium damno efficaciter reprimit, ſed & oedemata pedum ad regreſſum verſus interiora diſponit; Quam etiam ob rationem thermarum uſus externus non aeque ſemper omnibus in ſubjectis tutus eſt. Eadem *repellente* efficacia pollent etiam nonnullae herbae, plantis pedum admotae, idemque de terris martialibus atque bolaribus, lithargyrio atque ſaturninis non amplius eſt ignotum.

§. LII.

Quae vero craſſo nimis atque ſenſibili modo adſtrictoriam ſuam energiam exerunt, ſunt radices tormentillae & biſtortae; Radices vero ſymphyti, herbae alchymillae, plantaginis, millefolii, flores balauſtiorum, & hyperici,

ſanguis

ſanguis item draconis, bolus armenae, terra catechu, corallia rubra, teſtae ovorum, crocus martis adſtringens, nec non compoſita varia, eſſ. nempe traumatica *Wedelii*, maſſa pilularum de cynogloſſa, ſyrupus de ſymphyto *Fernelii &c.* plus minus ſenſibiliter hunc ſuum adſtrictorium effectum producunt. Nihilominus haec omnia, non obſtantibus damnis, quae abuſus eorum poſt ſe reliquit, in uſus internos promiſcue hactenus vocata fuere: Externis vero uſibus magis deſtinata ſunt praeter radices, herbas, flores & terras bolares modo enarratas unguentum de lithargyrio, emplaſtrum ſaturninum album coctum, ſticticum *Crollii*, inprimis vero ſpiritus vini rectificatisſimus & aqua d'arquebuſade una cum paucis aliis ſelectioribus remediis.

§. LIII.

Caeterum cum adſtringentia remedia non eum ſolum ob finem a Practicis in uſum vocentur, ut tonum nimis debilitatum corroborent viaſque nimium laxatas atque patulas conſtringant, & humorum uberiorem adfluxum inhibeant atque intercipiant; Verum inſuper, ut haemorrhagiae *activae*, impetu & copia exorbitantes, ad juſtum moderamen revocentur, *paſſivae* vero exitium vulnerato portendentes omnino ſupprimantur: Hinc adhuc de ſanguine impetuoſius & copioſius fluente tempeſtive cohibendo ſermo nobis faciendus eſt.

§. LIV.

Occurrunt medentes exundantibus talibus ſanguinis fluxibus vel plethorae imminutione, vel impetus turgefactorii commoderatione, vel ipſorum vaſorum ſanguineorum tam arterioſorum quam venoſorum tempeſtiva occluſione. *Quantitati nimiae* conſulitur vel *poſitive*, nempe tempeſtiva venaeſectione & motus corporis laborioſi voluntarii indeque expectandae ſanguinis reſolutionis in ſerum & divaporationis per poros cutis ſucceſſurae commendatione, vel *privative* ciborum euchymorum ſubtractione.

Orgaſ-

Orgaſmus ſeu turgeſcentia humorum emendatur partim remediis nitroſis, acidis, abſorbentibus, praecipitantibus & emulſivis, partim modice incraſſantibus, decoctis nempe hordeaceis, ſero lactis, partim anodynis, quorſum inprimis maſſa pilularum de cynogloſſa pertinet. Viarum denique & vaſorum obturatio & occluſio partim adſtringentibus fortioribus, partim farinaceis inſperſis, partim ſpiritu vini rectificatiſſimo obtinetur. Vaſa punctim tantum laeſa per transverſum diſſecanda, deinde orificia eorundem vel ſpleniis, vel, ſi haec non ſufficiant compreſſioni obtinendae, digitis ita comprimi poſſunt, ut interea temporis curſum ſuum aliorſum ſanguis dirigere poſſit. Cauterii tam potentialis, quam actualis adplicatio non eſt omni modo ſecura; Quia non tantum portio ſanguinis priori intuitu ita condenſatur, ut ſubſiſtere & haud dubie corrumpi neceſſe habeat, verum etiam, quia vaſorum occluſio tanta cum conſtantia perpetrari nunquam poteſt, quin ſubinde denuo hient novaque ſanguinis eruptio ſuccedat.

§. LV.

Dum vero hic de fluxibus ſanguinis ſive *activis* ſive *paſſivis* excedentibus loquimur, minime omnium oblivisci decet, de reſtitutione ſanguinis deficientis nonnunquam cogitandum eſſe, niſi cachexiae, leucophlegmaciae vel adfectuum hydropicorum periculo exponere aegrotantes velimus. Quanquam enim verus talis ſanguinis defectus paulo rarius obſervetur; Subinde tamen ſubjecta talia, vel enormioribus haemorrhagiis exhauſta vel diuturna inedia quaſi confecta nobis occurrunt, quibus ars nova ſanguinis reparatione ſuccurrere debet, vix tamen aliter, quam vel languentes vires refocillando vel obſtacula, quae naturam in haematoſeos negotio morabantur, removendo.

§. LVI.

Cavendum tantum hic eſt à ſimultanea alimentorum nimis nutritivorum oblatione, quibus quippe langvens

natura

natura magis obruitur atque turbatur, quam erigitur & corroboratur. Longe promptius ſuum adſequetur ſcopum artifex, ſi ad fontes reſpexerit, a quibus ejuſmodi ingens ſanguinis defectus promanavit. Atque ſi proinde gravior animae paſſio, v. g. ingens animi moeror occaſionem dederit, fomes tempeſtive eidem ſubtrahendus erit. Si in profuſioribus haemorrhagiis perverſa tentamina adſtrictoria, quibus nimio plus Practici vulgo indulgere conſvevêrunt, anſam dederint, unde infarctus, oppletiones, ſtagnationes & ſtaſes humorum in viſceribus enatae ſunt, occurrendum eſt reſolventibus, abſtergentibus & aperientibus, ut circulus humorum talibus in partibus condigne reſtituatur. Et cum praeter enormiores haemorrhagias & diuturnam famem, etiam morbi primarum viarum, adpetitus, digeſtionis ac diſtributionis alimentorum negotium admodum turbantes, artificialem ſanguinis reſtitutionem efflagitent; Neceſſe eſt, ut dictae primae viae a ſordibus ſuis debite repurgentur, ſicque naturae occaſio ſuppeditetur, debito vigore & activitate chylificationi pariter ac ſanguificationi & materiae nutritiae aſſimilationi denuo incumbendi. Denique ad ipſum quoque negotium ſe-& excretorium reſpiciendum eſt, quo vel turbato vel quamcunque ob cauſam praepedito, nihil ſalubrius & ad reparationem ſanguinis ſecure obtinendam adcommodatius eſt, quam ordinarias ſe-& excretiones, inprimis vero alvinas priſtinae ſuae activitati reſtituere.

§. LVII.

Primo intuitu praeſtantiorem & efficaciorem opem pollicentur remedia moralia quam phyſica & pharmacevtica; Si tamen his aliquis etiam locus concedendus eſt, reliquis omnibus longiſſime praeferri meretur vinum rhenanum antiquum atque generoſum, cui panis ſaccharatus fuerit intinctus; Aquae deſtillatae cinnamomi cum vino, florum aurantiorum, tiliae atque liliorum convallium pariter quidem contemnendae non ſunt, ſed cum roborante vini virtute

tute comparari non merentur. Ad corpus undique perſpirabile reddendum *exterius* modeſtae frictiones & balnea calida, nec non moderatus voluntarii motus uſus & exercitia, *interius* vero potulenta tenuia atque humorum maſſam ſufficienter diluentia commendanda & exhibenda ſunt; Quibus quippe vaſorum atque viarum infarctus expediuntur, ſtricturae tonicae leniuntur, ſe - & excretiones promoventur, ipſaque humorum diſtributio aequabiliori ratione adminiſtratur. Si obſtipationes alvinae vel ſaltem ſegnities quaedam remoram objiciat, inteſtina partim clyſterum emollientium injectionibus eluenda, partim vero laxantibus ad officium ſuum revocanda ſunt. Atque his proinde impedimentis cunctis remotis, nihil impedit, quo minus alimentoſa (non tamen ſimultaneo ſed ſucceſſivo actu) exhiberi queant, quorſum inprimis emulſiones amygdalatae, juſcula pingvia, inprimis gallinacea, ova item ſorbilia, nec non decocta hordeacea & ſubinde juſcula ex ſuccolada praeparata &c. ſpectant. De clyſteribus vero nutrientibus ſuperius jam ſententiam noſtram diximus.

§. LVIII.

Adſtringentium, de quibus hactenus actum eſt, ſpecies ſunt *exſiccantia*, quae tamen *humectantibus* ſpecialius opponuntur, veniuntque eo nomine proprie talia medicamenta, quae nimiae partium humiditati, qualis in ſtatu cachectico, leucophlegmatico, anaſarcode & oedematoſo haud raro occurrit, reſorbendae & abſumendae dicata ſunt, quorſum non injuria praeter purgantia, diuretica, diaphoretica & ſudorifera interna, quae quippe ſaepius in uſum vocata effectum exſiccantem vere poſt ſe relinquunt, etiam externa terrea, abſorbentia, ad quam claſſem etiam *epulotica*, *cicatrizantia* & *occalleſcentia* pertinent, referenda ſunt, quae quippe variis in caſibus medico-chirurgicis, arcendo nempe nimio humorum ad partes laeſas adfluxu, indeque procedente nimia partium humectatione ſuam

utilita-

utilitatem exerunt. Id tantum ſollicite cavendum eſt, ne in abuſum trahantur exſiccantia, ſicque calloſae marginum indurationi in partibus laeſis, obſtructionibus & ariduris occaſio ſubminiſtretur. Tanto vero majori ſolertia vitanda ſunt exſiccantia interna, quae quippe negotium ſe & excretorium turbando, univerſam oeconomiam motuum vitalium in periculoſam anomaliam conjicere poſſent.

§. LIX.

Reſtant nunc in hoc medicamentorum cenſu *roborantia*, *nervina* atque *cardiaca*, de quibus brevibus adhuc dicendum eſt. *Nervina* dicuntur, quae tanquam ſubtili ac penetranti ſalino-oleoſo aromatico principio foeta & imbuta gratiſſimo ſapore & odore ſeſe commendant, atque nervos ſuaviter adficiendo ipſamque naturam, quodam quaſi languore torpentem, exſuſcitando motusque vitales neceſſarios exſtimulando, ſimul quoque corroborantem, analepticum atque cardiacum effectum poſt ſe relinquunt; Ut proinde ſub *nervinorum* claſſe ipſa quoque *analeptica*, *corroborantia* & *cardiaca* militent.

§. LX.

Cum vero pleraque, quae *nervinorum* nomine veniunt, calidioris, nempe ſalino-ſulphureae ſint indolis, cavendum eſt, ne iis in caſibus exhibeantur, ubi motus jam ſatis ſunt irritati atque in exceſſu peccant, v. g. in adfectibus ſpaſmodicis atque convulſivis, in palpitatione cordis, in plethora tam ſimplici quam commota, in congeſtionibus ſanguinis ad excretionem contendentibus, imo ipſis quoque immoderatioribus excretionibus: Quare potius in nimio naturae languore viriumque jactura, quae vel poſt acutos vel chronicos morbos relinquitur, in relaxatione tonica indeque procedentibus ſubluxationibus membrorum, in prolapſibus uvulae, tonſillarum, inteſtini recti, uteri aliarumque partium, in totali atonia, in fluxu urinae involuntario, in adfectibus lipothymicis, paralyticis & apoplecticis,

in veris luxationibus, contracturis & ariduris &c. uſum & adplicationem ſuam inveniunt.

§. LXI.

Spectant huc herbae, quas *coronarias* adpellant Botanici, uti ſunt majorana, thymus & ros marinus, nec non baſilicum ſeu ocymum, inprimis odore citri atque foeniculi, lavendula, ſatureja & hyſſopus; Quibus etiam jungenda betonica, ſerpillum, pulegium, origanum, marum verum, calamintha & polium montanum. Sua quoque gratia ſeſe commendant flores tiliae, liliorum convallium, citri, aurantiorum, cheiri, anthos, lavendulae, meliſſae, ſalviae, roſarum, tunicae ac primulae veris, crocus item orientalis & ſemina aniſi, foeniculi, cortices cinnamomi, citri & aurantiorum, lignum rhodium, ſantalinum inprimis citrinum, gummi Benzoë, ſtorax calamita, balſamum Peruvianum, moſchus, ambra atque Zibethum, quae tamen ultima, nimis nempe odorifera non omnia individua aeque bene ferre poſſunt, ac proinde in illorum commendatione prudenti diſcretione opus eſt.

§. LXII.

Inter *analeptica* primum ac principem quaſi locum vino rhenano antiquo & generoſo concedere nulli veremur, cui tamen ad latus jungimus omnia ea, quae grato odore, ſenſus ipſos reficiente, ſeſe commendant, uti ſunt aromatica pleraque, inter quae tamen cinnamomum eminet, crocus orientalis, flores atque cortices citri & aurantiorum, flores tiliae, acaciae & liliorum convallium. Ob ſimilem roborantem virtutem laudantur etiam ſpecies & confectio de hyacintho, aqua cinnamomi cum vino borraginata pariter ac cydoniata, aqua ceraſorum nigrorum, confortans Auguſtanorum, Anhaltina &c. Confectioni Alkermes, quantacunque etiam virtus analeptica eidem vulgo tribuatur, nihil ſingulare competit, quod ſolido experientiae teſtimonio confirmetur. Emulſivis ac diaetae admodum nutri-

nutrienti, ſi debita circumſpectione commendentur, ſua efficacia eo ſaltem caſu deneganda non eſt, ſi diuturno morbo vires admodum exhauſtae fuerint. Si taedio quodam vel ingrato pathemate adfectus fuerit animus, remedia moralia, quibus ille erigatur ac refocilletur, in revocandis viribus ſua quoque energia non deſtituuntur.

§. LXIII.

Quae vero *ſpecifice* cor, cerebrum, hepar, ſplen aliasque partes ac viſcera corroborare & grata analepſi reficere dicuntur, ac proinde famoſis *cardiacorum*, *cephalicorum*, *hepaticorum*, *ſpleneticorum &c.* titulis a materiae medicae ſcriptoribus proponi ſolent, ea lubentes ſilentio praetermittimus, quia adhuc ſub judice lis eſt, an etiam ſpecifica talia remedia dentur, quae hoc potius quam aliud viſcus confortent ſeu corroborent, & annon potius genericam roborantem efficaciam atque effectum poſſideant, qui deinde ſub generaliori motuum excitatorum diſpenſatione aeque huic quam alii viſceri ac parti communicetur.

§. LXIV.

Proinde deproperamus potius ad eam *alterationis* ſpeciem, quae motibus dicata eſt, quatenus vel excedentes & inſoleſcentes contemperandi & ad juſtam tranquillitatem reducendi, vel deficientes excitandi & exſtimulandi ſunt. Quia vero vitia illa motuum non ſolummodo partibus fibroſo-ſolideſcentibus, ſed & ſanguini aliiſque fluidis inhaerent; Hinc agemus primum de alteratione commotionum, quae in humoribus ſubinde exoriuntur, de exorbitantibus vel deficientibus motibus, qui partibus ſolideſcentibus inhaerent, deinceps acturi.

§. LXV.

Humores in orgaſmum ſeu turgefactoriam commotionem a variis cauſis concitantur, cui vitio tollendo inſerviunt remedia ita dicta *anti-orgaſtica*, qualia ſunt decocta

hordeacea, emulſiva diluentia, nitroſa cum praecipitantibus atque cinnabarinis.

§. LXVI.

Caeteroquin omnem motum, nempe ordinatum, non turbulentum vel in quamcunque anomaliam conjectum, ita comparatum eſſe decet in oeconomia vitali, ut, ob quamcunque demum cauſam ſuſceptus ad ſe- & excretionem impuritatum, atque adeo ad ſanguinis humorumque depurationem ſit directus, ea quidem proportione, ut neque nimium vegetus, neque tamen etiam nimis ſegnis ſit, eo tamen robore inſtructus, ut intentioni adſequendae, depurationi nempe humorum obtinendae, ſufficiat. Quia vero diverſa materiarum excernendarum conditio eſt, illaeque per quaevis promiſcue organa evacuari ſeſe non patiuntur, proximum eſt, ut iſta quoque excretio per convenientia perpetretur organa; eaque juſto atque conſtanti tenore & adſiduitate ita continuetur, ut vel ſine praematura deſertione vel diuturna atque pertinaci protractione juſte terminetur & ad ſuum finem ſine metu recurſus decurrat.

§. LXVII.

Ab hac norma aberratur & anomalia committitur, vel intuitu ipſius principii agentis, ſi vel nulla adſit intentio movendi, hoc eſt, ſe- & excernendi, vel ſaltem nulla juſta dicto in negotio ſervetur proportio, quod fit, dum vel nimia activitate impatiente vel contraria ſegnitie, tarditate & quaſi meticuloſitate illud proſequitur, accedente inprimis & anomaliam augente genio morbi anomalo, vel recidivam eodem patiente, vel viribus jam exhauſtis, vel vigore naturali ob aetatem jam fatiscente, vel concurrentibus animae paſſionibus, ira v. g. vel terrore: Quibus omnibus motuum aberrationibus ut legitime occurratur, non ſolummudo ipſius aegrotantis conſtitutio, morbi genius & cauſae, motus alterantes, cognitae atque perſpectae eſſe

eſſe debent, ſed & motus, ad ſe- & excretionem ſpectantes promovendi, tantum abeſt, ut directe oppugnandi ſint, exemplo febrium, diarrhoearum, ſudorum nimiorum &c. Praeſtat enim, partim diluentibus, partim anodynis motuum exceſſui atque impetui, etiam a cauſis moralibus v. g. iracunda vel impatiente indole, vel ab habituali aegrotantium diſpoſitione &c. ſuſcitato ita ſuccurrere, ut ad debitam ſuam proportionem atque moderationem revocentur.

§. LXVIII.

Subinde aberratur in electione debiti organi, per quod evacuatio fieri debet. Ita in morbis exanthematicis amant efflorefcentiae a centro verſus peripheriam promoveri, quae ſi aliena excretionis loca adfectent vel a circumferentia ad interiora regrediantur, internis tenerioribus viſceribus facile irreparabilem noxam inferre poſſunt. Ad quae damna tempeſtive praeoccupanda, excretiones ſpecificorum adminiſtratione eo ducendae ſunt, quorſum ſponte natura vergunt.

§. LXIX.

Quod ſi ipſis in motibus excretoriis nulla obſervetur conſtantia, ſed perpetua quaſi vacillatio, tunc, niſi neglectus regiminis debiti fuerit in culpa, vel ipſo plebis judicio raro alius quam funeſtus ſperandus eſt eventus, niſi aetas patientis faveat, vires & robur reaſſumat natura & novam denuo eamque generoſam excretionem moliatur. Si nimia peccent ſegnitie motus, & conjunctae ſint ingentes anxietates, dejectio virium, alienatio mentis &c. tunc aegri ſtatum identidem in ancipiti verſari, in proclivi eſt colligere, & conſiſtit maximam partem in diluentium, analepticorum & alexipharmacorum commendatione, quicquid therapeutice conferre hic poteſt artifex.

§. LXX.

In ipſo denique ſucceſſu atque terminatione morbi duplex

duplex occurrit aberratio, nempe ſi vel nimia ſegnitie vel contraria praecipitantia motus, ad iſtam morbi terminationem reſpicientes, laborent; Priori caſu remediis activis exſtimulantibus, poſteriori vero temperantibus & analepticis opus eſt.

§. LXXI.

Quod igitur *temperantia* ſpeciatim attinet, ſciendum eſt, non eo ſolum nomine talia dici, quod acredinem humorum & per eam ſuſcitatos motus ſpaſticos demulceant, ſed potiſſimum, quod motus vitales nimium auctos & exorbitantes contemperent & ad juſtum moderamen reducant. Atque adeo in vehementia dolorum, a ſpaſmis ſuſcitatorum, imo in ipſis quoque adfectibus ſpaſmodicis, in motibus nimiis congeſtoriis indeque pendentibus pathematibus catarrhalibus, rhevmaticis, quin ſubinde inflammatoriis, in orgaſticis ſanguinis commotionibus, in haemorrhagiis & incommodis ex turbatis haemorrhagiis procedentibus, in cholericis paſſionibus aliisque evacuationibus impetu & copia peccantibus locum habent. In hiſce enim omnibus caſibus motuum excedentium & exorbitantium contemperatione opus eſt.

§. LXXII.

Ejusmodi temperante virtute prae reliquis omnibus ſeſe commendant nitroſa, abſorbentia & praecipitantia, uti ſunt nitrum depuratum & antimoniatum, conchae praeparatae, tartarus vitriolatus, ſpecies de hyacintho, antimonium diaphoreticum, lapides cancrorum acido citri ſaturati, mater perlarum, emulſiones item ex ſeminibus quatuor frigidis majoribus & papavere albo, additis aquis deſtillatis florum ſambuci, papaveris erratici & cardui mariae &c.

§. LXXIII.

Quae vero ſpaſticos motus demulcendi ſpeciali virtute pollent, *anti-ſpaſmodicorum* titulo exornantur, ſuoque nomine

vere

vere digna ſunt nitroſa & cinnabarina cum abſorbentibus & digeſtivis, quique inde parari ſolent, pulveres antiſpaſmodici, quorum quippe in adfectibus ſpaſmodicis plane eximius eſt uſus.

§. LXXIV.

Huc etiam ſpectant *anodyna*, quaeque majori gradu & efficacia operantur, *narcotica* & *ſtupefacientia*. Non ignoramus equidem, quantus eorundem in praxi vulgari ſit abuſus, & quanta cum temeritate initiis febrium, adfectibus ſpaſmodico-arthriticis, nephriticis & haemorrhoidalibus, colicae flatulentae & ſpaſmodicae, ſalutaribus excretionibus alvinis, materia nondum ſatis evacuata &c. opponantur: Verum non minus quoque notum nobis eſt, nihil metuendum eſſe, dummodo non in ſtatu dictorum morborum, ſed in eorundem remiſſione vel declinatione exhibeantur, vires conſtiterint, corpus non admodum cacochymicum fuerit, alvus legitime aperta, & materia vel evacuata vel ſaltem turgeſcentia ejuſdem correcta fuerit. Atque adeo nihil impedit, quo minus in adfectibus admodum dolorificis, in excretionibus copia & impetu peccantibus, in motibus item febrilibus, materia jam ſatis emendata vel evacuata, in uſum vocari queant.

§. LXXV.

Non omnia tamen eodem gradu eademque efficacia, ſed quaedam remiſſius, quaedam ſenſibilius effectum ſuum producunt. Ad leniora referimus emulſiones ex ſemine papaveris albi paratas, ſyrupum papaveris rheados, cinnabarim tam nativam quam antimonialem, theriacam *Andromachi*, diaſcordium *Fracaſtorii*, maſſam pilularum de cynogloſſa, eſſentiam anodynam, pulverem anodynum *Ludovici*, tincturam croci & plura alia. Efficacius operatur laudanum opiatum, extractum opii, una cum aliis opiatis majori in doſi exhibitis. Somnum quoque placidum promovent pediluvia, verſus veſperam inprimis adminiſtrata

ſtrata, & vigilias moleſtas non ſemel emulſiones anodynae, verſus horas noctis exhibitae, cum emolumento ſuſtulerunt. Unguentum alabaſtrinum eodem ſcopo haud raro temporibus inungi ſuevit, an vero tuto id & ſine aegrotantium praejudicio factum ſemper ſit, admodum dubito. Externe ſcopo anodyno variis partibus adplicari ſolet emplaſtrum de meliloto, de baccis lauri, de hyoſcyamo, unguentum dialtheae compoſitum, oleum lumbricorum terreſtrium, vel ſub cataplaſmatis forma ſpecies ex radicibus altheae, liliorum alborum, herba malvae & brancae urſinae, floribus chamomillae, verbaſci, meliloti & ſambuci, ſemine lini atque foenu graeci, addito uno vel altero ovi vitello, croci orientalis momento omnibusque in lacte dulci vaccino decoctis.

§. LXXVI.

Aſt non modo motus excedentes alterantur & conſopiuntur *anodynis*; Sed idem quoque effectus perita *ſpecificorum* adminiſtratione obtineri poteſt. Cum autem ſingularis, quem poſt ſe relinquunt, effectus non tam materias, quam potius motus adficiat; Hinc *ſpecificorum* nomine talia intelliguntur remedia, quae in ſpecialibus morbis, quorum efficacia in motibus potiſſimum erroneis conſiſtit, ſpecificam exerunt energiam, praeſentem illis & efficacem medelam adferendo. Unde ſponte conſequitur: Nihil eximie praeſtare ſpecifica talibus in adfectibus, ubi non tam motuum correctione, quam materiarum noxiarum & impuritatum variarum evacuatione opus eſt. Conſequitur etiam, ſperato effectu eadem deſtitui, niſi perita dexteritate, corpore ſcilicet ſufficienter praeparato & a ſordibus ſuis prius liberato, in uſum vocentur. Sequitur denique: Nec promiſcue & indifferenter ſpecificis utendum, nec eorundem numerum nimis augendum & extendendum eſſe; Quia quam plurima pro *ſpecificis* vulgo venditantur, quae praeter genericum effectum, permultis aliis communem, nullum alium edunt.

§. LXXVII.

Itaque ſumma requiritur dexteritas & peritia practica in eo, qui in *ſpecificorum* adminiſtratione rite verſari cupit. Ante omnia indoles adfectus adcurate perſpecta ipſi eſſe debet; Quia talia a nonnullis laudantur *ſpecifica*, quae *idiopathicum* adfectum pleniſſime tollunt, *ſympathicum* ne quidem attingentia, exemplo epilepſiae &c. Deinde indifferenter & ſine perita temporis diſcretione exhibita *ſpecifica* nullum conſpicuum edunt effectum, atque adeo ſolidum experientiae teſtimonium ſolertem Practicum docere debet, an verſus paroxyſmum, ſub ſtatu vel declinatione, remedia talia exhibere debeat? Id vero jam antea quoque monitum eſt, fruſtra in uſum vocari *ſpecifica*, non praemiſſis prius univerſalioribus, i.e. corpore legitime non prius praeparato atque a ſuis impuritatibus liberato.

§. LXXVIII.

De curationibus *per tranſplantationem, ſympathiam* & *antipathiam* factis, de archealibus itidem, mumialibus atque magneticis curis meum merito ſuſpendo judicium, cum neque ſufficientia hactenus experimenta practica circa hanc rem inſtituta ſint, neque prius famoſae tales curationes in uſum vocari ſoleant, niſi irrita & fruſtranea deprehenſa methodo communi & ordinaria, nec denique ipſimet earundem Patroni atque defenſores negare audeant, ſiniſtros & priori malo longe deteriores reliquiſſe effectus, & quae ſunt ejus generis plura, quae de exiſtentia & vera efficacia ejuſmodi curationum peritum Practicum ambigere jubent. Caeterum, ſi quid praeſtarent, motuum potius, quam materiarum alteratione fieri debere, in proclivi eſt colligere.

§. LXXIX.

Denique motibus ipſa quoque conſuetudo nititur, cujus quippe variis in morbis eorundemque toleratione

& ipſo quoque ſolutionis modo non parva eſt efficacia; Ut vel hoc nomine *conſuetudinis* quoque in *medendi methodo generali* hic facienda ſit mentio. Denotat autem conſuetudo nihil aliud, quam ſingularem illam naturae, quatenus nempe circa actuum vitalium adminiſtrationem occupata eſt, activitatem & quaſi proclivitatem, repetitis actibus adquiſitam, cum peculiari quadam promptitudine illud denuo agendi, quod jam aliquoties perpetravit, accedente inprimis aptitudine ac diſpoſitione organorum, per quae hanc potius, quam aliam excretionis ſpeciem, molitur ipſoque actu inſtituit.

§. LXXX.

Hinc manifeſtum eſt, conſuetudinem verſari inprimis circa motus vitales, quatenus vel *intenſioni* vel *remiſſioni* obnoxii ſunt, & quidem non tam in ſtatu ordinario & *ſecundum*, ſed *praeter* naturam ſeſe habente, & quatenus vel humores ipſos vel partes tantum fibroſas adficiunt. *Prioris* exemplum eſt in haemorrhagiis tam ſpontaneis, quam inprimis artificialibus, quae ſtato utplurimum tempore recurrentes, varia non modo incommoda ſed & ſubinde plane pericula excitare ſolent, niſi repetita ſanguinis ventilatione conſuetudini mos geratur. *Poſterioris* vero exempla varia in vomitu atque diarrhoea, in epilepſia, paſſione colica atque hyſterica, quin ipſo quoque abortu conſpicere licet, in quibus quippe tanquam totidem ſpeciminibus vis conſuetudinis in revocandis motibus ſpaſticis adparet, quam ulterius vomitus atque purgationes artificiales evidenter confirmant, conſuetudine nempe ita tandem obfirmatae, ut, niſi annuo tempore repetantur, cardialgicis, vertiginoſis pathematibus aliisque incommodis tamdiu homines tales adficiant, donec conſuetudini, per vomitum vel diarrhoeam corpus a ſaburra humorum liberandi, denuo obtemperetur.

§. LXXXI.

Ut proinde ex hac tali *conſuetudinis* conſideratione tam

in artem *prognoſticam*, quam *praeſervatoriam* atque *curatoriam* non parva redundet utilitas. Quam ob cauſam ſequentes regulas obſervaſſe non poenitebit: Quod, quae conſuetudine ſemel invaluerunt, uno quaſi actu & impetu turbanda vel tollenda non ſint. Quod ſi quis certo evacuationis generi & ſtato inſuper tempore ſit adſuetus, aut abſolute conſuetudini iſti mos ſit gerendus, aut materia aliorſum invitanda, niſi graviora mala expectare velis. Quod morboſa ſaepe conſuetudo nullo alio medio efficacius mutetur, quam mutato ſolo vitae genere &c.

§. LXXXII.

Nunc vero colophonis loco paucis adhuc de motuum in defectu peccantium exſtimulatione per medicamenta *tonica* atque *nervina* agendum eſſet, qualem quippe ſtatum in tonicis partium relaxationibus, quin deſertionibus paralyticis & apoplecticis obſervare ſolemus: Verum cum jam ſuperius haec medicamenta variis ſub nominibus *confortantium* & *analepticorum*, *nervino-tonicorum*, *cephalicorum*, *cardiacorum &c.* propoſita fuerint, pedem hic figere, quam actum agere malumus.

INSTITUTIONUM
MEDICINAE
REFORMATARUM
PARS SEPTIMA
proponens
THERAPIAM INTERNAM TAM GENERALEM QUAM SPECIALEM ET SPECIALISSIMAM.

INSTITUTIONUM MEDICINAE REFORMATARUM PARS SEPTIMA

proponens

THERAPIAM TAM GENERALEM QUAM SPECIALEM ET SPECIALISSIMAM

CAPUT PRIMUM

adumbrans

Therapiam ſeu curationem morborum internorum generalem.

§. I.

Poſteaquam *parte praecedente* abſolvimus *methodum medendi generalem*, propius nunc ad ſcopum noſtrum accedimus, *therapiam* ipſam, quae omnium medicinae partium princeps eſt, ad quam reliquae omnes collineant, traditurі, eamque diverſo intuitu ut *generalem*, *ſpecialem* & *ſpecialiſſimam* conſideraturi. In *generali* practicum inſtituetur examen adfectionum morborum generalium, non ſolummodo quoad naturam atque differentiam ſubjectorum, reſpectu frequentiae vel infrequentiae aegrotandi, ſenſibilitatis naturae, ſexus, & aetatis, ſed & intuitu cauſarum morbificarum & praecipuarum morbi differentiarum. In *therapia ſpeciali* exhibebuntur indicationes curativae, verae morborum ſingularium indoli reſpondentes, ſecundum quas congrua inveniuntur remedia, morbis ita opponenda, ut ſalutaris conſequatur effectus & fundamentalis eorundem curatio. In *ſpecialiſſima* vero occurrunt individua, ſpecialibus morbis adfecta, quorum individualibus circumſtantiis certa & adpropriata medicamenta obviam procedunt. Vocari alias etiam conſuevit praxis *caſualis* ſeu *exemplaris*.

§. II.

§. II.

Quod igitur *therapiam* primum *generalem* attinet, integrum nobis erit, eandem hic ſequi methodum tractandi, quam in *hiſtoria morborum generali* ſuperius ſequuti fuimus. Nempe conſiderationi noſtrae omnium primo ſubmiſimus *ſubjectum aegrotationis*, eoque intuitu animadvertimus, omnem hominem ſeu ſingulos homines, non obſtante ſumma tam mixturae quam ipſius quoque texturae ac ſtructurae diſpoſitione ad corruptionem, in tota ſua vita rariſſime aegrotare, & longe adhuc rarius *multis*, iiſque *variis* & *ſpecie differentibus* morbis adfici: Unde non modo Pathologiae vulgaris, qua iſta aegrotandi proclivitas ita plerumque praefigurari ſolet, quaſi omnibus promiſcue hominibus, ſine diſcrimine ſexus, aetatis, anni temporum, vitae generis, temperamenti &c. multi iique varii adfectus morboſi facile & familiariter imo quotidie fere obtingere poſſint, falſitas manifeſte elucet: Sed & pro uſibus *therapevticis* clare inde colligi licet, Naturam ſibi ipſi (ſine ſubſidio artificiali externo) undiquaque ſufficere & idoneis inſtrumentis tam ad *craſin* humorum, quam ad *texturam ſtructuramque* ſolideſcentium ſua in integritate conſervandam eſſe inſtructam, ut a morborum inſultibus diu ac ſaepe tota vita corpus immune tutumque praeſtetur. Inde vero ulterius conſequetur, quod, cum non niſi pauci, quique inſuper certam adhuc inter ſeſe mutuo communionem & nexum foveant, morbi ſingulis hominibus obtingant, pauca tantum remedia illis opponenda inquiri debeant, & quidem talia, quae morbos eadem, qua natura ipſa autocratico ſuo concurſu illos ſuperare conſuevit, methodo eosdem tollant.

§. III.

Non obſtante tamen iſta *aegrotandi infrequentia perſonali*, ſuperius animadverſum eſt, ſexum *ſequiorem* prae *virili* & ſaepius & inſuper pluribus *numero* ac *ſpecie* morboſis adfectibus laborare, ſive ſtatum foeminarum menſtrualem, ſive

ſive conſenſum uteri cum aliis partibus atque viſceribus, ſive ſtatum graviditatis, partus, puerperii atque lactationis &c. perpendamus; Ubique enim pejora fœminas quam viros fata manere obſervabimus.

§. IV.

Nam quod primum ſtatum foeminarum menſtrualem attinet, notum eſt, quod non uno modo in ataxiam conjiciantur menſes, ſed vel penitus ſubſiſtant, vel ſaltem impeditius ſuccedant, vel inordinatius fluant, vel decolores ſint vel aliena loca adfectent, ex quibus & per quae erumpant &c. Quas irregularitates cunctas, inprimis vero inſufficientem eorundem ſucceſſum vel totalem ſuppreſſionem in plerisque corporis regionibus graviſſima conſequuntur pathemata, & quidem in & circa caput inſolentes ſeſe ſiſtunt cephalalgiae vel hemicraniae, vertigines & haemorrhagiae narium, in pectore ſpirandi difficultates cum anguſtiis praecordiorum, palpitationes cordis, haemoptyſes vel ſaltem pleuritides aut peripnevmoniae, in abdomine dolores ſpaſtici circa lumbos, os ſacrum & regionem pubis ſeſe exerentes, tormina ventris, nauſea, vomitus cruentus, imo pathemata hypochondriaco-hyſterica, quin in ipſis quoque artubus gravitates & laſſitudines membrorum, tumores oedematoſi pedum, quin cachexia, totum corporis habitum adficiens, quam tandem hydrops ſerius ocyus conſequitur: Quibus ſane adfectibus cunctis fruſtra medelam adferre tentabit medicus Practicus, niſi altero ſemper oculo ad reſtitutionem menſium reſpexerit, vel qualicunque eorundem anomaliae obicem poſuerit.

§. V.

Similiter in clavo hyſterico aliisque pathematibus ſpaſtico-hypochondriaco-hyſtericis, in quibus colluſio quaedam cum utero animadvertitur, omnis artificialis labor irritus erit atque fruſtraneus, niſi intentio curativa ad uterum primario dirigatur; Cui ſi debite prius proſpectum

fuerit, faciſius deinde atque efficacius conſenſualibus adfectibus occurri poteſt.

§. VI.

Quae porro incommoda miſeras mulierculas graviditatis tempore premant, noto notius eſt. Cumq; poſt conceptionem in plerisque menſes ſubſiſtere ſoleant, plethorae accumulatio, indeque procedentes cephalalgiae, ſubinde etiam effrenes haemorrhagiae ſive narium ſive uterinae conſequuntur, quibus omnibus rectius non occurritur, quam vel *externe* venaeſectione tempeſtiva, aliquoties pro re nata repetenda, qua etiam abortus metus efficaciter averruncari poteſt, vel *interne* remediis temperantibus, nitroſis, abſorbentibus atque cinnabarinis. In pertinaci alvi obſtructione, qua ſubinde etiam gravidae corripiuntur, pilulae *Stahlianae* vel *Becherianae* locum habent: In contraria laxitate vel diarrhoea moderatiora tonica, ſtomachica atque carminativa utramque implent paginam. Nauſeae atque vomitui, quae ſymptomata primis impraegnationis ſeptimanis plurimas foeminas miſere divexare ſolent, occurrunt digeſtiva & ſtomachica interne, emplaſtra vero, uti eſt emplaſtrum de baccis lauri cum carminativo debita proportione mixtum, externe ſatisfaciunt. Dolores lumborum, varices pedum atque crurum, tumores haemorrhoidum, teneſmus frequens, ſtranguria vel plane ſuppreſſio urinae, nec non tumores oedematoſi pedum non prius tolluntur ſolide, quam facto felici partu.

§. VII.

Tempus partus, tantoque magis ipſius puerperii ſuis non minus incommodis, difficultatibus, quin periculis circumſeptum eſt. Modo enim graviſſimi poſt partum dolores relinquuntur, modo lochialis flatulentia puerperis graves parit moleſtias, modo lochia ipſa vel penitus ſupprimuntur vel inſufficienter ſuccedunt vel immodica in quantitate cum deliquio animi promanant, modo ſecundinae retinentur, modo purpura ſive alba ſive rubra

in

in cutis ſuperficie emicat, modo febres inflammatoriae ſeſe ſiſtunt, modo diarrhoeae vires exhauriunt &c. Pro quarum omnium circumſtantiarum diverſo habitu, laborantibus mulierculis condigna Practicus ferre debet ſubſidia, doloribus nempe poſt partum & lochiali flatulentiae opponendo pulveres nitroſo-praecipitantes, eſſentiam citri, corticum aurantiorum atque Zedoariae, interponendo tamen etiam ſubinde vel uſum clyſterum vel pilularum *Stablianarum.* Lochia impetu & copia peccantia non quidem adſtringentibus temere cohibenda, ſed tonicis tantum modeſte coërcenda; Si vero vel inſufficienter fluant vel plane ſuppreſſa fuerint, tunc juſto ſuo ordini atq; ſucceſſui reſtituenda ſunt; Quibus omnibus uti & purpurae tam albae quam rubrae, febribus item inflammatoriis, diarrhoeae aliisque incommodis praxis ſpecialis abunde ſatisfaciet.

§. VIII.

Statum deniq; *lactantium foeminarum* quod concernit, is certe non pauciora ſecum vehit incommoda; In nonnullis enim papilla mammarum nimis parva & quaſi delitescens prius formanda eſt, in aliis dolorificas patitur fiſſuras, in aliis lactis defectum vel contrariam abundantiam, unde ſubinde ſpiſſitudo, ſtagnatio vel ſtaſis lactis, duri mammarum nodi & apoſtemata exurgunt, obſervarunt practici, alias exercet febris lactea cum horroribus, mammae in aliis occupantur inflammatione eryſipelacea vel profundius illa per totam mammarum ſubſtantiam diffunditur &c. In quibus omnibus rite tractandis ſummam practicus circumſpectionem adhibeat neceſſe eſt, niſi gravioribus ſive incommodis ſive malis mulctare malit mulieres. Papillarum proinde fiſſuris medentur ungventa atque linimenta, quae oleum cerae, ovorum & lini una cum myrrha ingreditur, inprimis ſi cum floribus verbaſci & calendulae nec non cum gemmis populi dicta olea fuerint ſubacta. Lactis defectum reſarciunt alimenta admodum nutrientia & emulſiva, nec non, quae carminativa virtute pollent, remedia, uti ſunt ſemina

cumini, nigellae, foeniculi & alia talia. Febri lacteae & inflammationi mammarum eryſipelaceae opponenda ſunt diapnoica atque diaphoretica. Stagnationem vel ſtaſin lactis reſolvunt interne alexipharmaca, externe vero emplaſtrum de ſpermate ceti largiter camphoratum *Mynſichti*; Vel ſi nullam ſperare liceat reſolutionem vel diſcuſſionem, in apoſtema ſeu abſceſſum maturantibus convertenda eſt materia ſtagnans, omnique modo impediendum, ne in lentam ulcerationem tranſeat abſceſſus. Si vitioſa qualitate, v. g. mucida ſpiſſitudine, vel acredineললbilioſa vel nimia aquoſitate ſeu tenuitate ſeroſa &c. laboraverit lac, convenientibus alterantibus vitia iſta corrigenda ſunt.

§. IX.

Verum ulterius jam non progredior; Id ſolummodo adhuc reſtitat, ut hominem cum homine comparemus; Qua in comparatione mutua facile diſpaleſcet, non modo illos, qui ſenſibilioris ſunt naturae animique effoeminatioris, facilius & ſaepius reliquis aegrotare, ſed &, qui frequentiores in eſculentis & potulentis tam ratione qualitatis quam potiſſimum ratione quantitatis committunt abuſus, quique otio inſuper craſſo dediti ſunt, immoderatioribus animae paſſionibus, irae v. g. & excandeſcentiae indulgent, & haereditariam à Parentibus ſuis diſpoſitionem ad certos quosdam morbos acceperunt, iisdem plane fatis ſubjici. Hiſce omnibus non tam ſubſidiis pharmacevticis, quam bonis tantum atque ſalutaribus conſiliis ſubveniendum eſt. Qui naturae ſunt ſenſibilioris, illorum quidem ſenſus ſtupefacientibus & narcoticis non eſt obtundendus, interea tamen roborandus, & contra omnes inſultus ita obfirmandus, ne à qualibet re innocente tam facile laedatur & alteretur. Adephagia, quae alias variorum morborum cauſa eſſe ſolet, ſollicite vitanda, aut, ſi jam cruditatum variarum collectioni anſam dederit, tempeſtive de earundem remotione primarumque viarum repurgatione cogi-

tandum

tandum eſt. Impetui pathematum animi fraena mature injicienda. Otioſa cum laborioſa vitae ratione eſt permutanda, &, ne diſpoſitio haereditaria in actum ipſum tranſeat, ſolerter vitanda ſunt media, quorum occaſione parentes morbos iſtos primum contraxerant. Qui annis jam ſunt provectiores & laborioſam, quam hactenus ſecuti ſunt, vitae rationem cum otio atque deſidia permutare cupiunt, illis hoc illorum inſtitutum omni modo diſſuadendum eſt; Quia, experientia teſte, ab eo tempore aegre habere incipiunt, qui ab omnibus morborum inſultibus hactenus vixerant immunes.

§. X.

Ex hoc autem dogmate de *aegrotandi infrequentia* id ulterius conſequitur; *Rariſſimas oportere eſſe cauſas, quae vero ac reali polleant influxu ad morbos excitandum:* Quanquam enim allegari poſſet, totum corpus animale tam reſpectu fluidarum quam ſolidarum & ſolideſcentium partium vi conſtitutionis ſuae materialis ad corruptionem intimam, nempe putredinoſam propendere: Innumerorum tamen hominum experientia comprobatum eſt, illam potentiam corrumpendi rariſſime in actualem corruptionem tranſire, exemplo manifeſtiſſimo ſphaceli. Neque multum attendi hic meretur *pathologia ſalſa*, quam *Humoriſtae* admodum crepant eidemque therapiam fere omnem ſuperſtruere ſolent: Quia in notiſſimo illo fere quotidiano acrium atque ſalinorum corporum abuſu nihilominus rariſſime ullum inde damnum vel noxam eximiam obſervare licet. Eodem modo cum cauſis externis, quas res non naturales medici vulgo vocant, comparatum eſt, quas omnes multis continuis annis temerarios in abuſus à plerisque ſine eminenti noxa aut ſaltem incommodo trahi poſſe, experientia quotidiana iterum teſtis eſt. Ex quibus cunctis pro uſibus therapevticis colligere poteſt ac debet Practicus, quod, licet in ipſam craſin humorum nullam directam ſibi vindicet poteſtatem ars medica, in ipſos tamen motus vitales & energiam motoriam tanto plus juris exercere poſſit,

ſe-& excretiones juvando, promovendo, moderando, ut hoc modo, extraverſis partibus corruptibilibus, mixtio ſua in integritate conſervari queat. De poteſtatibus ſalinis ſive corrigendis & alterandis ſive per congrua colatoria ſecernendis & evacuandis non admodum anxie laborare debet, quia noxae, quas inferre putantur, magis in animo ſpeculantium, quam in facto ipſo obſervantur. Tanto vero minus de rebus externis (exceptis tamen cauſis violentis) ſollicitum eſſe oportet; Praeterquam enim, quod ad excitandos morbos per ſe valde parum valeant, exuenda quoque eſt nimia teneritudo atque ſenſibilitas, durioribus animus eſt adſueſcendus, diaeta nimium ſollicita ac veluti ſcrupuloſa fugienda & injuriis externis quandoque dedita opera corpus exponendum, ne poſt hac tam facile ab illis laedatur.

§. XI.

Majori energia & influxu ad cauſandum morbos pollet *plethora*, inprimis commota, quae quippe orgaſmum inducit humoribus, quanquam ſibi quoque relicta non modo ſpiſſitudinem ſanguinis, ſed & difficilem ejus per partes progreſſum, hinc varias oppletiones, infarctus, ſtagnationes, ſtaſes, tandemque motuum perverſiones poſt ſe trahere poſſit imo ſoleat. Occurritur autem nimiae ſanguinis abundantiae vel ſincera evacuatione per Venaeſectionem vel ſcarificationem vel reſolutione in ſerum ejusq; divaporatione per poros cutis facta, vel derivatione ad organa urinaria, quae ſe-& excretioni ſeri urinoſi dicata ſunt. Humorum orgaſmus anti-orgaſticis eſt demulcendus & contemperandus, motus vero erronei, propter humorum ſtagnationes ſuſcepti, in ordinem redigendi vel impetu peccantes complacandi ac leniendi ſunt.

§. XII.

Proximum jam locum *therapia* morborum, *certas* in *aetates* cadentium, ſibi vindicat. Utile non modo eſt, ſed & apprime neceſſarium, noſſe Practicum, quibus quis morbis in

bis in praecedentibus aetatis ſuae periodis laboraverit, quibus etiamnum adficiatur, quibusve inpoſterum adhuc ſubjiciendus ſit. Quaelibet enim aetatis humanae periodus ſuos illi proprios & ſingulares morbos ſibi vindicat, qui proinde omnes peculiari directione opus habent.

§. XIII.

In prima eaque tenera aetate praeter *meconii* retentionem, torminoſos ventris dolores, diarrhoeas bilioſas vel contrarias obſtructiones alvinas, vomitus, cardiogmum &c. varia pathemata circa caput & pectus manifeſtare ſeſe ſolent, uti ſunt achores & cruſta lactea, parotides, interdum tamen etiam gravedinoſi, uti ſunt gravedo ipſa atque coryza, dolores capitis aeſtuoſi, haemorrhagiae, paſſiones dentium, difficulter inprimis erumpentium, raucedines, tuſſes, oppletiones pectoris quaſi aſthmaticae, aphthae, pavores nocturni, convulſiones & epilepſiae una cum motibus febrilibus ſubinde ſeſe exerentibus; Quae omnia congeſtionibus ſanguinis humorumque verſus caput, collum atque pectus nituntur.

§. XIV.

Huic *theoriae* ipſa quoque *therapia* adfectuum infantilium eſt adcommodanda. *Meconium*, diutius in tenellorum infantum corporibus retentum, vel ope coloſtri vel ſyrupi de cichoreo cum rhabarbaro vel ſyrupi roſarum ſolutivi adminiculo quantocyus eſt evacuandum, ne tormina ventris, clamores, inquietudines, cardiogmum, pavores, convulſiones & epilepſias aliaque pathemata pariat. *Diarrhoeas* atque *vomitus bilioſos* moderantur abſtergentia ſalina cum cryſtallo montana & rhabarbaro toſto. *Obſtructiones alvinas* expediviſſe juvabit clyſteribus vel melle ſquillitico; Quae eadem quoque remedia in vomitu conducunt. In achoribus & cruſta lactea interne confert eſſentia lignorum vel ſaſſafras, externe vero cremor lactis vel oleum ovorum. Parotides reſolventibus & diſcutientibus tam internis

ternis quam externis ſunt tractandae. In gravedine & coryza conducunt catarrhalia. Raucedini faucium opponendum eſt oleum amygdalarum dulcium cum ſyrupo Violarum permixtum. Verminoſis puerorum adfectibus occurritur anthelminticis. Febrilibus motibus, haemorrhagiis narium & doloribus capitis aeſtuoſis per diaphoretica fixa atque nitroſa conſulitur. In dentitione difficili ad ſymptomata conjuncta, obſtructiones nempe alvinas vel vomitum & diarrhoeam, dolores, febrim, convulſiones epilepticas &c. eſt reſpiciendum. Tuſſim & aſthmaticam pectoris oppletionem ſolantur ſcopo emetico ſyrupus florum perſicorum, vel catartico mercurius dulcis ad unum vel alterum granum exhibitus, vel reſolvente ſyrupus capillorum veneris, florum papaveris erratici & de althea. Convulſionibus & pavoribus nocturnis antiepileptica ſunt opponenda. Intertrigines denique pulverulentorum inſperſione curantur.

§. XV.

In juvenili aetate, quae puerili & adoleſcentiae ſuccedit, cum congeſtiones tam ſanguineae quam ſeroſae verſus pectoris regionem magis vergant, eoque reſpectu tuſſes cum humidae tum ſiccae admodum quandoque impetuoſae, haemoptyſes, pleuritides ſpuriae pariter ac verae, peripnevmoniae & pathemata hypochondriaca oriantur, cavendum eſt ab omni orgaſtica ſanguinis commotione, per vina generoſiora & aeſtuoſiora, venerem nimiam, iram & excandeſcentiam, motus corporis vehementiores &c. concitata, omnique modo curandum, ut congeſtiones divertantur atque à pectore avocentur. Specialium vero adfectuum therapiae ex ſpecialibus ſuis capitibus ſunt petendae.

§. XVI.

Virilis aetas & ſenectus tam vegetior quam provectior ſuos quoque quaelibet patitur manes. In virili viridi aetate ſiſtere ſeſe incipiunt haemorrhoides, eaeque ſubinde molientes, ſubinde fluentes, ſubinde coecae cum

ſuis

ſuis conſectariis, cum quibus etiam mala nephritica tam ſimplicia quam calculoſa, imo pathemata ſpaſtico-iſchiadica, gonagrica atque podagrica colludunt. Si haemorrhoides ſuis in ſucceſſibus turbentur vel plane ſupprimantur, mictus cruentus in nonnullis ſuccedit, vel pectoris mala, pleuritides nempe atque peripnevmoniae malo omine recrudeſcunt. Ab eadem turbatione vel ſuppreſſione haemorrhoidum in ſenibus mictus quoque cruentus, ſpaſmi habituales, gonagra, chiragra oriuntur. Eidem aetati aſthmata quoque, catarrhi ſuffocativi, paralyſes & apoplexiae, ipſisque provectioribus maraſmi ſunt familiares. Proinde hiſce in aetatibus conducunt potiſſimum ventilationes ſanguinis per venaeſectionem, ſcarificationem & hirudinum quoque adplicationem, ſi haemorrhoidarii fuerint ſenes. Haemorrhoides ſi vel plane defecerint vel ſaltem turbatae, reſtituendae. Excretiones alvinae juſto ſuo gaudeant ſucceſſu. Spiſſitudo ſanguinis partim motu, partim reſolventibus partimque diluentibus tollenda. Sero lenteſcenti & ſpiſſiuſculo occurrrendum eſt anti-catarrhalibus. Adfectibus flatulentis & colicis ſuccurrunt clyſteres emollientes & carminativi, laxantia itidem & mitiora purgantia. Succeſſum urinarum expediunt ſalia neutra, nitrum aliaque, quae abſtergendi mucumque reſolvendi potentia pollent. Adfectus denique catarrhales ſuffocativi, apoplectici, hemiplectici & paralytici ſpecialem ſibi competentem methodum expoſtulant.

§. XVII.

Sequitur therapia temperamentorum, quam pro eorundem varietate variam atque diverſam eſſe oportet. Et ſanguinei quidem cum ad plethoram admodum ſoleant eſſe proclives, atque hinc ad haemorrhagias, &, his non recte ſuccedentibus, ad adfectus congeſtorios atque ſpasmodicos diſponantur, indigent ſubinde ventilatione ſanguinis ſuperflui, non tam per Venaeſectionem ſemper, ſed ſaepius per ſcarificationem, vel, ſi ad haemorrhoides inclinent, ſanguiſugarum adplicationem. A remediis vo-

latilibus, ſpirituoſis & orgaſticis, ac proinde à ſudoriferis & quocunque violentiore corporis motu abſtinere penitus debent, moderata vero exercitia tantum abeſt, ut noceant, ut potius ad conſervandam ſanguinis fluxilitatem & avertendam contrariam ſpiſſitudinem ſint abſolute neceſſaria. Ad orgaſmum vero humorum, ad quem ſanguinei quoque proniores ſunt, contemperandum acidiuſcula cum diluentibus conveniunt.

§. XVIII.

In cholericis, vaſis amplioribus gaudentibus, plethora complicata non tam per ſcarificationem quam venaeſectionem potius ventilanda eſt; In humorum exagitatione nimia nitroſa cum diluentibus conducunt: A motu vero vehementiore tam animi quam corporis provide abſtinere debent. Cumque melancholici ad ſpiſſitudinem ſanguinis inclinent, admodum illis conferunt motus corporis voluntarii, cum remediis diluentibus atque nitroſis, in ſtatu plethorico etiam venaeſectiones ſaepius repetitae, quia alias in pathemata hypochondriaca, palpitationes cordis, melancholiam, infarctus, indurationes & ſcirrhos viſcerum, lienis potiſſimum atque hepatis incidere ſolent. Denique phlegmaticis motus corporis voluntarii, moderati tamen, ſunt ſuadendi, &, ne infarctibus, congeſtionibus & ſtaſibus ſeri, unde tandem adfectus cachectici, leucophlegmatici, oedematoſi, anaſarcodes oriuntur, occaſio ſubminiſtretur, evacuantibus phlegmagogis aliquis ſubinde locus eſt concedendus.

§. XIX.

Therapiae temperamentorum ſuccedit perita tractatio *morborum* ita dictorum *periodicorum*; Uti enim in ſtatu *ſecundum naturam* actus quidam naturales, uti ſunt dentitio infantum, pubertas & cum ea conjuncta facultas generandi in maſculino & concipiendi in foeminino ſexu, una cum menſtruorum ſtato pariter tempore in hoc erumpentium

tium ſucceſſu, periodice fieri obſervantur; Ita non minus in nonnullis morbis, febribus v. g. tertianis & quartanis, nonnullis haemorrhagiis &c. recurſum contingere animadvertimus, quem etiam in praxi omni conſideratione dignum eſſe cenſemus: Cum enim ejuſmodi adfectus periodici non tam materiarum ſive quantitate ſive qualitate nitantur, verum potius ipſorum motuum promptitudinem & recurſum facilem pro fundamento ſuo habeant atq; agnoſcant; Addiſcere inde poteſt imo debet practicus, non modo admodum difficilem *in genere* eſſe ejusmodi morborum *periodicorum* curationem, ſed & univerſa ſive *evacuantium* ſive *alterantium* cohorte parum vel nihil obtineri, niſi de motuum complacatione & contemperatione mature cogitetur, quem tamen ſcopum nullo modo narcoticis vel opiatis, ſed analepticis tam naturalibus quam moralibus peritus artifex obtinere ſtudebit, niſi in ſtatum cachecticum, hydropicum, vel hecticum, paralyticum, apoplecticum &c. ejusmodi patientem praecipitare malit. Notari vero inſuper meretur, quod major poteſtatis medicae efficacia in *praeſervatione* quam *fundamentali eradicatione* adfectuum horum *periodicorum* ſita ſit: Quia, licet mitigationem ſubinde admittant, a percuratione tamen ſunt tanto alieniores, quo magis diuturna mora & conſuetudine invaluere.

§. XX.

Non multum abſimilem *therapiam* ſibi vindicant *morbi habituales*, niſi haec forte intercedat differentia, quod habitus iſte morbidus non ſolis tantum motibus ſed & materia nitatur & abſolvatur. Materiae, quatenus eſt ſanguis, occurrendum eſt vel ſincera evacuatione per venaeſectionem, ſcarificationem, vel, pro temperamentorum diverſitate, hirudinum applicationem, vel reſolutione in ſerum factaque per poros cutis divaporatione; Quod ſi vero non tam ſanguis ſincerus, quam potius materia ſeroſo-lymphatica catarrhalis peccaverit, tunc potius modeſtae laxationes, vel etiam, pro re nata, fortiores purgationes

locum habent. Motibus ſi nitantur adfectus habituales, tunc pro circumſtantiarum ratione modo promovendi, modo vero contemperandi tandemque omnino conſopiendi ſunt; Qui ſcopi omnes quibus remediorum generibus obtinendi ſint, ſuperius jam ſatis indicatum eſt.

§. XXI.

Difficilem quoque curationem admittunt adfectus, qui diſpoſitione haereditaria nituntur; Quia non injuria metuendum eſt, ne iſta diſpoſitio ſerius ocyus in actum erumpat: Id quod tanto certius atque citius fiet, ſi infortunati tales homines forte fortuna in talem incidant medicum, qui nimis ſollicita, & plus, quam decet, operoſa medicamentorum oblatione ſucceſſum diſpoſitionis in actum ipſum tanto magis facilitat. Quicquid vero cum effectu hic agere poteſt peritus artifex, illud omne tam in tempeſtiva motuum cum animi tum corporis, quam ipſarum quoque cauſarum antecedentium praeoccupatione conſiſtit.

§. XXII.

Aeque difficiles, niſi forte difficiliores curatu ſunt *morbi corrupti*, ſive corruptio illa perverſae medicationi ſive immodeſto patientium regimini in acceptis referenda ſit. Non tamen ideo omnis omnino ſpes felicis reſtitutionis abjicienda eſt, dummodo ad primum eumque ſimplicem morbum prudens practicus reſpiciat eumque rite cognoſcere ſtudeat, gradum deinde corruptionis ſufficienter expendat omnemque induſtriam adhibeat, ut adfectus talis corruptus ad priſtinam ſuam ſimplicitatem reducatur. Proinde non modo perverſa materiae qualitas corrigenda & alteranda, ſed & motus, ſi ab illis corruptionis vitium dependeat, complacandi & anodynis, citra damnoſam tamen ſtupefactionem, ad tranquillitatem denuo componendi ac reducendi ſunt. Quo quis vero in reſtituendis ejusmodi adfectibus pollicitando parciorem ſeſe exhibuerit, eo

eo prudentior & in praxi clinica verſatior merito judicandus eſt.

§. XXIII.

Quod morbos *retrogrados*, quos etiam ſuperius *recurrentes* vocavimus, attinet, in illis non ſolummodo ad indolem morbi primitivi & cauſas retroceſſionis eſt reſpiciendum, ſed etiam damna aut ſaltem incommoda inde oriunda recte perpendenda ſunt. Priori intuitu conſiderandum eſt, an cum morbo acuto ſimulque maligno, an vero cum chronico vel chronicotero Practico res ſit? Illi enim promptam, hi vero non aeque praecipitem operam ſollicitant. Cauſae, quae *retroceſſionem* materiae induxerunt, quantocyus ſunt removendae; Et ſi quam maxime incommoda, quae ex retrogreſſa tali materia jure metuenda ſunt, omnino praeoccupari nequeant, minimum tamen eminentia damna, quantum posſibile, avertantur. Quia vero morbi, retroceſſioni ſubjecti, varii ſunt, nempe eryſipelas, podagra, maculae petechiales, bubones tam venerei quam peſtilentiales, tumores pedum oedematoſi, ſudores particulares alarum, plantarum in pedibus &c. Hinc etiam variam oportet eſſe curationem, nempe cuilibet adfectui, qui regreſſui obnoxius eſt, adcommodatam; Id quod praxis ſpecialis quemlibet ſuo tempore edocebit.

§. XXIV.

Morborum *rarorum* penſitatio poſſet quidem ad ſocordiam atque pigritiem ſeducere medicum, ut cogitaret; Rarum quoque oportere eſſe medicamentorum uſum, ſi tam raro homines aegrotarent, tam rarae eſſent cauſae, aegritudinem inducentes, tamque raro morbi plerique, in omni vita vel ſemel tantum hominem adficientes; Verum licet illud reipſa ſic ſeſe habere, omnino inficiandum non ſit: Eſt tamen ſollicite ſimul perpendendus modus, quo non ſanitas modo corporis illibata conſervatur, ſed & plerique morbi ſponte & ſine artificiali concurſu curantur.

Fit nempe illud beneficio motuum ſe- & excretoriorum, in ſtatu ſecundum naturam placide atque moderate ſuccedentium, in ſtatu vero praeter naturam proportionate auctorum; Quorum quippe ſubſidio quaevis corruptelae vel ex toto corpore vel ex nobilioribus ſaltem partibus extravertuntur, ſicque & craſis humorum & textura ſtructuraque viſcerum & partium integra atque inviolata praeſtatur.

§. XXV.

Ad quos fines commode obtinendum, non ſolum plethora moleſta atque praegravans per tempeſtivas ventilationes eſt tollenda, ſed & ſaburra humorum, primas vias obſidentium, tam per emetica quam catartica educenda, nunquam tamen ſine debita eorundem alteratione ſeu praeparatione ad motum: Quia, quod mobile prius redditum non eſt, motui difficulter obſecundare ſolet.

§. XXVI.

Praeterea morborum *metaſchematiſmus* omnem *therapevtae* conſiderationem expoſtulat; Quia notum eſt (eſſe ſaltem debet) permultos morbos, in alia ſchemata transmutatos, pejorem ut plurimum faciem induere. Quare omni conatu vitandum eſt, ne, quod quam plurimis modernorum Practicorum nimis quam ſolemne eſt, adfectus, utut levioris vel innocentioris viſi, ſuppreſſionem vel conſopitionem per adſtringentia, opiata, narcotica &c. ſuſcipiamus ſicque occaſionem ſubminiſtremus, ut alius priori longe deterior, alio ſaltem ſchemate, propullulet affectus: Quod quam miſere univerſam praxin confundat atque turbet, vel ſolo febrium, haemorrhagiarum vel motuum ſaltem haemorrhagicorum exemplis addiſcere ſatis licet.

§. XXVII.

Cum etiam morbi quidem *recidivis* ſint obnoxii, omni modo laborandum eſt Practico, ut reſtituantur, deinde vero poſt reſtitutionem legitime percurentur.

§. XXVIII.

De *morbis conſequentibus* id potiſſimum notandum eſt, quod difficillimae ſint curationis, id quod vel ſolo *tumorum oedematoſorum* exemplo ſatis patet, qui, ſi profundiores inprimis radices egerint, tam pertinaciter utplurimum curationi ſolidae reluctantur, ut ad optatum ſcopum raro omni ſuo molimine pervenire queat Practicus. Si tamen morbi tales adhuc valde ſint recentes, non admodum radicati vel inveterati, tunc adhuc aliqua curationis fundamentalis ſpes adfulget, ubi tamen vehementior exagitatio diſcuſſoria ſive externa ſive interna neutiquam in mentem venire debet; Quin potius illis mediis atque remediis jugi & conſtanti continuatione inſiſtendum erit, quae primario adfectui plene ac plane ſubjugando & eradicando inſerviunt.

§. XXIX.

Agmen claudat *morborum incurabilium* therapia, ubi non quidem ſermo nobis eſt de adfectibus, vix unquam ſolidam atque conſtantem curationem admittentibus; De his enim recte valet illud moralium Doctorum tritum: *Ubi nihil vales, ibi nihil velis:* Verum potius de illis hic loquimur, qui *brevioribus* quidem *intervallis*, ſed *gravioribus* utplurimum *exacerbationibus* recurrendo ſicque magis magisque inſoleſcendo, *medicam opem indies ferocius aſpernantur*: Licet enim, ejuſmodi morbos radicitus extirpare, in artis poteſtate ſitum non ſit, eidem tamen permiſſum eſt, tam frequentiam recurſus praeoccupare, quam vehementiam & ferociam eorundem mitigare, id quod in pathematibus hypochondriacis, hyſtericis, colicis, ſpaſticis, podagrico-arthriticis, gonagricis, iſchiadicis, nephriticis, calculoſis, phthiſicis, hecticis, aſciticis &c. toto die experiuntur Practici.

CAPUT

CAPUT SECUNDUM.

delineans

Therapiam ſeu curationem morborum ſingularium ſpecialem.

§. I.

Quemadmodum *ſpecialis therapiae* nomine intelleximus ſuperius illam & practicam quidem medicinae partem, qua modus monſtratur, ſingulares morbos remediis congruis curandi; Ita minime omnium hic noſtra fert intentio, ut ſingulorum illorum adfectuum ſpecialem curationem hic exponamus; Quod quippe anguſtos inſtitutionum cancellos vix permiſſuros eſſe, quilibet facile comprehendit; Verum tantummodo, ut eodem, quem in *hiſtoria morborum ſpeciali* ſervavimus, ordine, ex numeroſa illorum ſerie unum vel alterum ſeligeremus, atque in eo tanquam ſchemate quodam oſtenderemus, qua ratione reliquorum omnium ſpecialium adfectuum therapia ſuſcipienda & adornanda ſit?

§. II.

Uti vero in *hiſtoria morborum ſpeciali* ex tribus ſummis morborum generibus, quatenus vel excedentem quantitatem ſeu plethoram, vel vitioſam qualitatem ſeu cacochymiam, vel ataxias motuum, ſive in exceſſu ſive in defectu peccantium reſpiciunt, & quidem ex prima claſſe ſelegimus *haemorrhagiam narium* & *cephalalgiam*, ex altera *ſcabiem*, ex tertia vero *apoplexiam* & *epilepſiam*: Ita eadem quoq; ſerie hiſce in exemplis ruditer delineabimus modum, quo omnes reliqui ſingulares adfectus therapevtice tractandi ſint.

§. III.

Primum itaque exemplum vitiorum, quae plethorae ſuos debent natales, ſubminiſtrabit nobis *haemorrhagia narium*, & hac exitu ſuo fruſtrata, *cephalalgia*. *Haemorrhagiam narium* quod attinet, de *ſpontanea* ſolummodo hic nobis ſermo

ſermo eſt, cujus fundamentum eſt plethora, & quidem vel ab abuſu ſpirituoſorum & aromaticorum, fervido nimis veneris exercitio, pathetica animae commotione fortiore vel quacunque alia cauſa in orgaſmum concitata: Cui proinde utrique incommodo, plethorae aeque ac orgaſticae ejus commotioni ut conſulat natura, ſanguinem beneficio motuum tonicorum copioſius verſus caput & nares reſtringit, qui tandem vaſa perrumpens & congrua, nempe puerili aetate vel adoleſcentia, convenienti modo ac proportione, in congruo temperamento ſuccedens, non modo nullam noxam infert, ſed & non pauca congeſtoria vel translatoria pathemata plane praeoccupando, toti corpori ſalubritatem conciliat, eoque intuitu nullam ſui medelam expoſtulat.

§. IV.

Duobus autem modis evadere poteſt morboſa, nempe ſi vel impeditius & laborioſius ſuccedat, eoque ipſo varias moleſtas congeſtiones, cum tinnitu aurium, vertigine & ſenſu capitis gravedinoſo aliisque pravis conſectariis poſt ſe relinquat, vel ſi immoderatius & impetuoſius profluat, facilius ac ſaepius recurrat, viresque proſternat, idque inſuper in aetate incongrua.

§. V.

In *primo* caſu congeſtiones ſanguinis circa caput factae expediendae & obſtacula removenda ſunt, quae impediunt, quo minus facile & expedite ſanguis per nares erumpere queat.

§. VI.

In *poſteriore* vero caſu, haemorrhagia nempe narium nimia, effera & immoderata, duplex medicatio inſtituenda, altera nempe *privativa*, altera vero *poſitiva*. In *illa* provide cavendum eſt, ne narium haemorrhagia, utcunque inſolentior & immoderatior viſa, praemature adſtringentibus ſupprimatur atque cohibeatur, quod quippe, motibus inprimis congeſtoriis pertinaciter continuantibus, ſuc-

ceſſibus vertiginoſis, paralyticis & apoplecticis, quin inflammatoriis occaſionem ſuppeditare poſſet. Nec minus abſtinendum eſt ab intempeſtivo uſu refrigerantium, ſive naribus ſive hypochondrii dextri regioni ſive ſcroto admotorum, nec non à pulverulentorum terreorum & adſtringentium nimia nimisque profunda in nares immiſſione, à qua quippe perverſa tractandi ratione non raro effectus polypoſi narium ſubſecuti ſunt.

§. VII.

In curatione vero *poſitiva* aliter in *paroxyſmo*, aliter extra *eundem* gerere ſeſe debet artifex.

§. VIII.

In *paroxyſmo* motuum congeſtoriorum contemperationi ante omnia invigilare, deinde vero ſtudere debet, ut cauſae occaſionales, immoderatum talem ſanguinis fluxum vel confirmantes vel revocantes, removeantur, aequalis ſanguinis diſtributio per omnes partes atque regiones corporis promoveatur, & congrua diaeta cum conveniente regimine ejusmodi patientibus commendetur.

§. IX.

Motuum congeſtoriorum impetum atque ferociam efficaciter contemperant abſorbentia cum nitroſis atque cinnabarinis, additis tamen pro re nata etiam anodynis & in caſu neceſſitatis moderatis adſtringentibus atque tonicis. Quibus virtutibus pollent lapides cancrorum vel conchae praeparatae, lapis prunellae vel nitrum ſimpliciter depuratum, cinnabaris nativa vel antimonialis, maſſa pilularum de cynogloſſa vel laudanum opiatum, pulvis corticis caſcarillae, corallia rubra, ſpecies de hyacintho aliaq; talia. Notari vero hic meretur, omnem horumce remediorum ſucceſſum ex prudenti eorundem continuatione & quidem pulverum forma dependere. Mitigat tamen etiam motuum congeſtoriorum vehementiam & aequalem ſanguinis

guinis diſtributionem promovet eſſentia alexipharmaca *Stahlii.* Quod ſi ſuſpicio eſſet, haemorhagiam narium profuſiorem nimia ſanguinis fluxilitate ac tenuitate aquoſa vel acrimonia ſulphurea indeque procedente orgaſmo foveri, conducibile foret, aliquot guttulas ſpiritus nitri dulcis potui ordinario admiſcere, vel mixturam ſimplicem congrua doſi ordinare, emulſivis tamen etiam non neglectis. Externe, repudiatis fortioribus adſtringentibus, palmam reliquis praeripit ſpiritus vini rectificatiſſimus vel linteaminibus naribus admotus vel mediante ſyringa iisdem injectus; Quod experientia non ſemel mihi confirmavit. De ſympatheticis remediis eorundemque energia lubens taceo, quia pluribus adhuc experimentis ſucceſſus talis curationis, priusquam certi quippiam de eo ſtatuatur, comprobandus eſt.

§. X.

Extra paroxyſmum vero temporibus aequinoctialibus revulſorio ſcopo venaeſectio in pede vel hirudinum applicatio ad loca haemorrhoidalia celebrari, ſubinde vero etiam pediluvia commendari poſſent, frictionibus extremorum modeſtis ſimul quoque in ſubſidium vocatis. Cumq; ſubinde nimia alvi ſiccitas ejusdemque ſegnities vel obſtructio ferociori tali narium haemorrhagiae non parum faveat, omne ſtudium eo convertendum eſt, ut ſucceſſus alvinus vel clyſteribus emollientibus, vel ſuppoſitoriis, vel pilulis *Stahlianis* decenter ſollicitetur ac promoveatur.

§. XI.

Sedata talium artificiorum adminiculo narium haemorrhagia, praecavendum quoque eſt, ne tam facile & data quacunque frivola occaſione recrudeſcat. Quare diaeta ſollicite talibus obſervanda praeſcribi debet. Atque adeo omnia, orgaſmum humoribus inducentia, ſpirituoſa nempe, acria, vinoſa, fermenteſcibilia & aromatica, potulenta nimium lupulenta, recentia ſuisque adhuc faecibus onuſta ſedulo vitanda ſunt. In regimine ſic ſe

gerere debent patientes, ut ab omni laborioſiore corporis motu, inprimis equitatione & vectura, inebriatione, venere, ira aliisque impetuoſis animi motibus, nec non externa concalefactione nimia in hypocauſtis nimis humilibus nimiumque calefactis abſtineant, intempeſtivas tamen inferiorum refrigerationes ſimul ſtudioſe vitent, quae quippe vehementioribus humorum reſtrictionibus ab inferioribus verſus ſuperiora anſam ſubminiſtrare poſſunt, imo haud infrequenter ſolent. Qua vero ratione ſanguinis viriumq; defectus ſenſim ſit reſarciendus, ſuperius jam ſufficienter edocuimus.

§. XII.

Quod ſi talis narium haemorrhagia, pro naturae intentione, ad exitum ſuum non pertingat, tunc praeter alia mala & incommoda pertinaces tam ſanguinis quam ſeri congeſtiones circa caput format, unde deinde *cephalalgia* cum *ſanguinea* tum *ſeroſa* ortum ſuum derivat. Cephalalgia enim *ſanguinea* reipſa nihil aliud eſt, quam conatus haemorrhagicus, ad narium haemorrhagiam reſpiciens, atque dependens â reſtrictione & congeſtione ſanguinis verſus caput, mediante motu tonico facta, qui, cum exitu ſuo fruſtretur, hinc vel totum ſubinde caput, vel frontem tantum vel bregma, nonnunquam vero poſticam capitis partem dolore ſive premente, ſive lancinante, ſive pungente adficit; *Seroſa* vero licet congeſtione ſanguinis pari modo cum *ſanguinea* nitatur, eundemque cum illa habeat ſcopum atque finem, cum tamen in copioſam materiae ſeroſae evacuationem utplurimum in perſonis phlegmaticis non ſine euphoria ſolvatur: Hinc id nominis eidem imponere placuit Practicis.

§. XIII.

Intelligitur hinc facile, illos omnes peſſime ejusmodi patientibus conſulere, qui opiatis atque narcoticis acrem illum ſenſum obtundere, & dolores conſopire adnituntur, cum reipſa nihil agant aliud, quam quod motus tonicos, quorum tamen beneficiò ſanguis ad caput naresque eo fine reſtringebatur,

gebatur, ut excerneretur, ſicque plethora ventilaretur, enervent, ſupprimant atque cohibeant, ſicque, quantum in ipſis eſt, impediant, ne ſanguis ad plenam ſuam perruptionem pertingere queat. Aeque male iisdem proſpiciunt, qui vaſorum ſanguineorum veram & realem obſtructionem (quae tamen in corpore animali vivo oppido rara eſt) in animo habentes mera volatilia, ſpirituoſa, calida, oleoſa deſtillata, inprimis ſuccinata, cephalica atque nervina tam externa quam interna commendant, quae quippe vias pariter atque humores vehementius, quam par eſt, impellunt, ſicque congeſtiones in reſtagnationes & ſtaſes convertunt, atque ita dolores multis modis augent. Neque acu rem tangunt, qui vel ſpaſmos nervorum & membranarum cerebri vel contrariam atoniam vel flatus hic accuſant: Quia alias vel tonica vel carminativa vel antiſpaſmodica praeſentiorem poſt ſe effectum relinquerent, quem tamen raro obſervare ſolent medentes.

§. XIV.

Cum vero iſtae ſanguinis congeſtiones indeque nati dolores capitis vel ſucceſſiva diſcuſſione tandem ſolvantur, vel in haemorrhagiam narium, ad quam etiam contendunt, deſinant, vel ſaltem in copioſam ſeri evacuationem faceſſant, vel, ſi pejus res cedat, effluxu materiae purulentae ex naribus auribusque ſolvantur: Patet hinc, rationali modo in fundamentali poſitiva cephalalgiae ſanguineae curatione haſce indicationes eſſe attendendas; Congeſtiones nempe in capite factas eſſe diſcutiendas & reſolvendas; Orgaſmum humorum, ſi quis ſimul praeſens fuerit, eſſe contemperandum, aequalem ſanguinis diſtributionem eſſe promovendam, haemorrhagias conſuetas, v. g. narium, menſium, haemorrhoidum &c. ſuppreſſas eſſe revocandas, ſucceſſui alvino ejusdemque libertati proſpiciendum, dolores nimium inſoleſcentes mitigandos, & partes, quae diuturna humorum reſtagnatione vel ſtaſi tonum ſuum maximam partem amiſere, eſſe corroborandas ſicque efficaci-

ſicaciter impediendum, ne in poſterum ſimiles congeſtiones tam facile tamque frequenter admittant.

§. XV.

Omnibus hiſce indicationibus hoc modo ſatisfieri poteſt: Congeſtiones in capite factae diſſolvuntur & ſanguis aequabilius per reliquum corpus diſpenſatur perito uſu diaphoreticorum fixorum & eſſentiae alexipharmacae interne; Externe vero per epithemata ex herba verbenae & rutae, baccis juniperi, ſemine carvi, ſale toſto communi, pane ſecalino in exiguas miculas redacto parata, potiſſimum ſi aqua reginae hungariae conſpergantur vel ſpiritu vini camphorato irrorentur. Orgaſmus humorum conjunctus ſedatur ſaepe ſimplici potu Caffée copioſius hauſto, vel abſorbentibus, nitroſis, digeſtivis & cinnabarinis, addito ſubinde uno vel altero grano maſſae pilularum de cynogloſſa vel laudani opiati, ſi dolorum vehementiam ſimul conſopire & complacare animus ſit. Tonum auctum nimisque ſtrictum fibrarum expediunt antiſpaſmodica, relaxatum vero augent & corroborant tonica. Alvi libertas procuratur vel clyſteribus vel pilulis polychreſtis. Revulſionem ac derivationem humorum praeſtant Venaeſectio, ſcarificatio, hirudinnm adplicatio ad loca haemorrhoidalia, frictiones inferiorum, pediluvia, ſubinde etiam veſicatoria atque ſetacea nuchae admota. Caeterum, ſi vel venaeſectio & ſcarificatio neglecta vel haemorrhagiae ſpontanae ſuppreſſae fuerint in cauſa, quantocyus de earundem reſtitutione per congrua remedia cogitandum eſt.

§. XVI.

Eidem propemodum medicandi methodo inſiſtendum eſt in *cephalalgia ſeroſa*, niſi quod reſolventia atque diſcutientia poſitiva hic magis locum habeant, uti ſunt ſal volatile oleoſum *Sylvii*, ſal volatile oleoſum & aromaticum *le Mortii*, ſpiritus C. C. ſuccinatus, eſſentia ſuccini, pimpinellae albae, helenii, inprimis vero alexipharmaca *Stablii &c.*

§. XVII.

§. XVII.

Verum ad alteram jam claſſem morborum, vitioſam qualitatem humorum praeſupponentium,tranſeundum nobis eſt, & exemplo *ſcabiei* oſtendendum,qua ratione adfectuum morboſorum, ex cacochymia oriundorum, therapia ſuſcipienda ſit? Scabies autem, cum depravationem ſeri lymphaeq; cauſam agnoſcat, manifeſte teſtatur de ſalutari ſua indole; Quia non aliam ob cauſam inquinamentum hoc ab interioribus & nobilioribus partibus ad externas periphericas amandatur, quam ut maſſa humorum, cujus mixtura & conſiſtentia corruptela illa acri jam depravata & ad ulceroſam corruptionem diſpoſita eſt, repurgetur, priſtinaeque craſeωs integritati reſtituatur.

§. XVIII.

Non obſtante tamen hac ſua ſalubritate, perita indiget tractatione therapevtica, tam *humida* quam *ſicca*, utraque nempe benigna. Quod *privativam ſcabiei* attinet curationem, nunquam permittendum eſt, ut fatali reſtrictioni inquinamentorumſcabioſorum à peripheria verſus centrum anſa ſuppeditetur; Id quod per ungventa ♀rata aliaque repellentia prompte ſatis fieri poteſt & ſolet. Neque remedia acria, calida, ſpirituoſa, ſudorifera, ſanguinem humoresque poſitive impellentia negotium expediunt, ſicuti nec fortiores catharſes, humoribus inprimis ad ſe-& excretionem nondum ſatis praeparatis, ſunt proficuae, licet primas vias à ſordibus ſuis repurgare ideo nihil vetet. Neq; perſpicimus, quid Venaeſectio vel ſcarificatio aut etiam diuturnus uſus decoctorum ligneſcentium ad curationem ſcabiei conferre debeat? Salivationis vero mercurialis non ſolum nulla eſt utilitas vel neceſſitas, ſed etiam damna haud exigua improvidam illius adminiſtrationem conſequuntur.

§. XIX.

In *poſitiva* vero curatione omnis opera impendenda eſt, ut ſerum lymphaticum corruptum multisque inquinamentis

namentis ſalino-ſulphureis onuſtum, partim corrigatur, partim vero ad excretionem promoveatur, ſicque ſanguis denuo repurgetur, non neglectis tamen etiam abſtergentibus ac detergentibus externis, quae cutim denuo mundificent nitidamque reddant.

§. XX.

Correctionem humorum ſeroſo-lymphalium, praeter ſulphur & mercurium dulcem, & utrumque quidem interius exhibitum, nihil efficacius praeſtat: Sulphur enim partim corruptelas acres expellendo, partim vero craſin alterando, officium ſuum praeſtat: Mercurius vero humores interne liquat & ad exitum diſponit, idque tutiſſime, quicquid etiam de nociva ejusdem virtute ſpeculatores vulgo fabulentur. Hiſce etiam ſuccinum tam in ſubſtantia quam in tinctura, nec non quae depurandi ſanguinem virtute pollent, eſſentia alexipharmaca *Stahlii*, pimpinellae albae & tinctura antimonii tartariſata &c. adjungi poſſunt. Si cum ſubjectis eminentius phlegmaticis res fuerit, praedictis admiſceri quoque poſſunt eſſentiae lignorum vel ſolius L. ſaſſafras, nec non eſſentiae fumariae, ſcordii, ſpiritus item tartari & tinctura Bezoardica ſine acido.

§. XXI.

Scopo catartico ſufficit maſſa pillularum polychreſta vel de ſuccino *Cratonis* cum extracto panchymagogo *Crollii*, ſpeciatim vero mercurius dulcis ad pauca grana exhibitus: Scopo vero diaphoretico ac diuretico exhiberi poſſunt pulveres ex antimonio diaphoretico, lapidibus cancrorum acido citri ſaturatis, nec non floribus ſulphuris parati, eſſentia item alexipharmaca cum eſſentia pinpinellae albae, ſcordii vel ſuccini.

§. XXII.

His diebus aliquot continuis alternatim adhibitis, ſcabie interea nondum profligata, internis iſtis externa quoque jungenda ſunt, qualia ex ungvento albo camphorato, roſato vel pomato, ceruſſa lota, lythargyrio aureo, tutia praepara-

praeparata, camphora, ſaccharo ſaturni, myrrha, olibano, maſtiche, ſale volatili fuliginis vel viperarum, floribus ſulphuris &c. parari facile poſſunt. Quod ſi ſcabies, uti ſubinde ab imprudenti vulgo, ſubinde, quod dolendum, a Practicis artis fieri adſolet, temere retropulſa fuerit, tunc ad praecavenda periculoſa ſymptomata praedictae eſſentiae alexipharmacae ſunt commendandae, mercurius dulcis interne, non laxante ſeu purgante tantum ſed & alterante ſcopo exhibitus, ſuum itidem faciet officium, & inquinamentorum ſcabioſorum expulſionem denuo procurabunt pulveres, ex antimonio diaphoretico, conchis praeparatis & floribus ſulphuris parati. Febrilibus commotionibus nitroſa cum digeſtivis ſuccurrunt. Pruritum vero moleſtum lixivium alcalinum, quale ex ſolutione cinerum clavellatorum parari poteſt, eximie mitigat. Pueros ſcabioſos balneo aquae dulcis, cui furfures erant incocti, aliquoties cum ſucceſſu immerſimus.

§. XXIII.

Aſt non licet hiſce diutius immorari, ſed motuum adhuc vitioſorum, tam in defectu quam in exceſſu peccantium, therapiae ſubjungendae ſunt. *Prioris* in apoplexia, *poſterioris* vero in *epilepſia* ſpecimen occurrit.

§. XXIV.

Quemadmodum autem *apoplexia ſanguinea* evacuationes ſanguinis naturales, ſponte vel perverſis medicamentis ſuppreſſas vel artificiales neglectas, in ſtatu eminenter plethorico & aetate provectiori conſequitur: Ita excretiones ſeroſae, uti ſunt coryza, tusſis humida, ſudores particulares pedum, fonticuli, ulcera manantia &c. incongrue ſuppreſſae vel ſponte emanentes *apoplexiae ſeroſae* ortui viam pandunt; Idque vel minori ac leviori in gradu, ſi nempe in *apoplexia ſanguinea* intra ſola adhuc molimina haemorrhagica ſeu regurgitationes & congeſtiones ſanguinis verſus caput res ſubſtiterit, ad actualem vero ejus-

dem extravaſationem nondum devenerit, quod quippe in graviori & vehementiori apoplexiae ſanguineae gradu contingere tantum conſuevit: Unde etiam in ſectionibus cadaverum, tali morbo denatorum, utplurimum aliquot cochlearia ſanguinis extravaſati in cerebro reperiuntur, qui ſubinde etiam poſt mortem per infundibulum & nares evacuatur: Ubi contra in apoplexia ſeroſa copioſa tantum ſpuma circa os colligi ſolet.

§. XXV.

Quare, ut periculoſa talis congeſtio a capite avertatur & ſimul efficaciter praepediatur, ne vaſa cerebri perrumpere latiusque ſeſe diffundere ſanguis posſit, cavendum eſt, ne cum Practicorum vulgo ad temerarium uſum remediorum acrium, volatilium, ſpirituoſorum & oleoſorum acrium deſtillatorum deſcendamus, quia metuendum jure eſt, ne vel orgaſmum humorum jam praeſentem augeamus, vel congeſtionem eorundem ad caput invitemus ac provocemus, ſicque malum potius intendamus quam minuamus. Neque perſpicimus, quid a vomitoriorum uſu, potisſimum in apoplexia ſanguinea, boni atque ſalutaris ſucceſſus expectandum, qua quippe ſanguis tanto copioſius atque vehementius verſus caput reprimitur; Uti nec ſternutatoriorum nec odoriferorum oblationem adprobamus, quia illa caput enormius concutiendo offendunt, haec vero, potisſimum in non adſuetis & averſione talium rerum laborantibus heteroclitos motus excitant.

§. XXVI.

E contrario vero omnis opera impendenda eſt, ut non ſolum plethora in apoplexia ſanguinea mature ventiletur, ejusque orgaſmus complacetur, ſed & a capite derivetur & aequabilius per univerſum corpus ſanguis diſtribuatur, eoque ipſo vel actualis ejusdem effuſio intra cerebrum praecaveatur vel jam effuſus intra cerebri vaſa efficacius recipiatur & reſorbeatur: Vel, ſi in apoplexia ſeroſa

copioſius

copioſius ſerum intra cerebrum effuſum fuerit, ibidemque ſtagnaverit, motus pro humorum iſtorum diſcusſione & reſolutione neceſſarii reſuſcitentur ac denuo provocentur, partesque deinde tonico denuo robore inſtruantur, ne tam facile iterum eandem humorum ſtagnationem admittant, ſerum aliorſum invitetur & per congrua excretoria organa evacuetur; In utroque vero caſu ſtudioſe procuretur, ut conſuetae excretiones, potisſimum alvinae, juſto & conſtanti tenore ſuccedant, & anniverſariis evacuationibus, potisſimum misſionibus ſanguinis, debito tempore adminiſtrandis provide invigiletur.

§. XXVII.

Plethorae ventilationem in apoplexia ſanguinea praeſtat quidem Venaeſectio, in brachio vel pede inſtituta, ſed oportet illam largam eſſe & cauſae proportionatam. *Derivatoriam* enim quod attinet, in fronte vel venis raninis inſtitutam, illam quidem non omnino improbamus, ſedprius locum non habere adſerimus, quam evacuatoria, ad unicas aliquot in brachio adminiſtrata, fuerit praemiſſa. Si ex ſuppresſione haemorrhoidum natales ſuos derivaverit, illarum revocationi indulgendum eoque fine hirudines ad venas haemorrhoidales adplicandae. Si ex neglecta ſolemni Venaeſectione ortum traxerit adfectus talis apoplecticus, tunc temporibus aequinoctialibus ad antiquam conſuetudinem revertendum. Scarificatio narium Ægyptiaca in derivando ſanguine non minorem quoque utilitatem exhibet: Quod inter alia inde patet, quia tempeſtiva narium haemorrhagia, ſponte ſuperveniens, ad ſolutionem vel ſaltem mitigationem adfectus apoplectici non parum confert.

§. XXVIII.

Motum humorum orgaſticum ſimul praeſentem anti-orgaſtica, nitroſis, digeſtivis, ſuccinatis & cinnabarinis conſtantia compeſcunt. Laxantibus ſua quoque non eſt deneganda utilitas; Conveniunt tamen in ſanguineis

rhabarbarina potius atque ſennata, quam alia, uti contra aloëtica, ex Jalappa itidem & elleboro nigro parata, nec non extractum panchymagogum *Crollii* in ſubjectis phlegmaticis locum magis invenit. Si ventriculus muci ſpiſſioris ſaburra onuſtus regurgitationi humorum ſeroſo-mucoſorum verſus caput occaſionem dederit in phlegmaticis, a rationali methodo alienum non erit, emeticum propinare, non aeque tamen, quod poſitivam ſtimulationem ventriculo inducat, ſed nauſeam potius excitando ſerumque fundendo, excretioni anſam ſubminiſtret, quali ſingulari virtute ex commendatione *Langii* vitrioli ſal pollet, & ab *Ettmüllero* laudatum eſt aſarum.

§. XXIX.

Motus atque molimina congeſtoria verſus caput & cerebrum fortius, quam alias ad partes, vergentia, efficaciter revellunt, praeter frictiones pedum & cataplaſmata rubefacientia, ex radicibus pyrethri, ſinapi, pipere indico aliisque talibus parata plantiſque pedum admota, etiam clyſteres acres revellendi ſcopo adpliciti, quales ex corticibus L. Guajacini, herba majoranae, menthae, ſalviae, betonica, thymo, foliis lauri ejusque baccis parari ſolent, ſub finem tamen decoctionis addendo colocynthidem in nodulo ligatam, ſal gemmae, ſpiritum ſalis ammoniaci aliaque fortiter ſtimulantia. Ad excitandum aegrum naribus ejusdem admovetur ſpiritus ſalis ammoniaci cum calce viva deſtillatus, vel ſal volatile oleoſum *Sylvii*. Spiritus ſerpilli, aqua ſpirituoſa Anhaltina vel alia apoplectica vertici, temporibus atque fronti inungi poteſt. Chirurgica tentamina per fonticulos, veſicatoria atque ſetacea, quid ad ſummam rei, potisſimum in apoplexia ſanguinea, conferre debeant, vix perſpicimus, quin noxia eſſe, inde haud difficulter conjicimus, quod non majorem tantum humorum adfluxum ad caput excitent, ſed & liberum eorundem regreſſum intercipiant.

§. XXX.

Interea diſcusſio ſive ſanguinis ſive ſeri in capite quantocyus, quoad ejus fieri poteſt, inſtituenda, & partes adfectae legitime roborandae ſunt, ne de novo ad easdem partes regurgitantes humores tam facile congerantur. *Priori* ſcopo inſervit liquor CC. ſuccinatus, ſpiritus liliorum convallium per fermentationem paratus, eſſentia ambrae, tinctura regia *le Mortii*, balſamum vitae *Hoffmannianum*, eſſentia Zedoariae, &, pro juvanda aequali ſanguinis diſtributione, eſſentia alexipharmaca *Stahlii*. Illitio quoque cum praedicto balſamo circa verticem atque tempora inſtituta, nec non ſacculi cephalici, nervini atque diſcutientes omni ſua energia hic non deſtituuntur. Errhinis, ſubinde etiam ſternutatoriis, in apoplexia inprimis ſeroſa, aliquis etiam locus concedendus eſt. *Poſterior* vero ſcopus, nempe adfectarum partium tonus debilitatus reſtauratur remediis tonicis, uti ſunt ſal volatile oleoſum Sylvii, ſal volatile oleoſum & aromaticum *le Mortii*, Balſamum vitae *Hoffmannianum*, ad paucas guttulas exhibitum, eſſentia ſuccini, liquor CC. ſuccinatus & mixtura tonico-nervina *Stahlii*. Experimentum Gallorum, quo auxilio inſtrumenti complanatorii lotricum calefacti, capillis abraſis, verticem complanant, diſcuſſorium atque reſolutorium ſuum effectum, nondum ſatis comprobavit.

§. XXXI.

Reliqua, quae adhuc addenda forent, prolixitatis nimiae vitandae gratia, lubens omitto, & ad therapiam *epilepſiae*, in qua ſpecimen motuum tonicorum, ultra gradum & proportionem ordinariam auctorum ſiſtere placuit, me converto. Eſt enim epilepſia reipſa nihil aliud, quam motúum convulſivorum ſpecies, qua motus tonicus vitalis ad ultimam quaſi energiam in partibus muſculoſo-tendinoſis exacerbatur & intenditur, eum praecipue in finem, ut extremo hoc naturae conatu aliquid, quod eidem vel phyſice vel moraliter moleſtiam parit vel periculum minatur, è corpore excutiatur.

§. XXXII.

Habet autem epilepſia nonnunquam *ſymptomaticam*, nonnunquam vero *idiopathicam* rationem. *Illa* circa cauſas materiales, motuum nempe vitalium, inprimis ſe- & excretoriorum ſuppreſſiones verſatur: *Haec* vero cauſas magis morales praeſupponens, circa diverſas potius ideas alienas occupata eſt. *Illa* curatu facilior, *haec* autem difficilior eſt; *Illa* infantibus quam adultis familiarior & vel excretionibus difficulter ſuccedentibus, vel totali earundem ſuppreſſioni, vel denegatae excretioni rerum praeternaturalium, qualis eſt excretio lumbricorum, calculorum &c. ſupervenire ſolet. Subinde a matribus terrore inopinato perculſis in tenellos infantes tranſplantatur. Si adultiores epilepſia corripiantur, ſubeſt quidem utplurimum quoddam etiam praecedentium vitiorum, nonnunquam tamen iracundia praecedens & terror ſubitaneus anſam quoque praebent.

§. XXIII.

In therapia *epilepſiae ſymptomaticae* ante omnia cauſae, epilepticos motus provocantes, ſollicite explorandae ſunt, atque adeo ad praegreſſarum evacuationum ſolitarum ſtatum atque conditionem dextre reſpiciendum, & non modo alvinae, ſed & omnes reliquae ſe- & excretiones ſalutares promovendae ſunt, ut ſic materialibus objectis, propter quae motus tales vehementes ſuſcipiebantur, debito modo remotis, ipſi quoque motus deinde contemperari & conſopiri valeant. Atque adeo praepoſterum foret inſtitutum, ſi quis, ad vehementiam motuum compeſcendam, adſtringentium uſui prius, quam cauſa, motum ſuſcitante & provocante ſublata, invigilare vellet; Quod & ad abuſum narcoticorum & opiatorum pari ratione reſtringendum & adplicandum eſt. Si cui tandem ad ſpecificorum ant epilepticorum uſum & commendationem deſcendendi animus ſit, is nunquam alia ratione hoc ſuum inſtitutum proſequatur, quam electo juſto tempore juſtaque metho-

methodo adhibita: Quia, niſi hae circumſtantiae rite obſerventur, ſpecifica omnia in irritum recidunt.

§. XXXIV.

Si ergo in *epilepſia ſymptomatica* ad cauſas, propter quas ſuſcipitur, provide reſpiciatur, non unam, ſed variam, nempe pro varietate cauſarum, eſſe oportere, ſua ſponte conſequitur. Namque ſi in infantili aetate occaſione excretionum difficulter progredientium, cujuſcunque demum generis fuerint, oriatur, tunc id potiſſimum curandum eſt, ut quantocyus promoveantur vel quaecunque alia obſtacula removeantur. Si excrementa billioſa in inteſtinis obhaereſcant, ſyrupus de cichoreo cum rhabarbaro vel cryſtallus montana cum parca doſi auri fulminantis commendandus eſt. Si ex nimia ventriculi repletione exurgat, emetico e ſyrupo florum perſicorum parato, ſaburra tempeſtive ejicienda, vel ſi aliquamdiu jam ventriculo & inteſtinis inhaeſerit, laxante quodam educenda eſt. Si ex repreſſis achoribus vel retropulſa ſcabie origines ſuas hauſerit, eſſentia ſuccini vel pimpinellae albae vel alexipharmaca compoſita convenit. Si variolis circa eruptionis initia complicetur, pulveres abſorbentes atque diaphoretici, ex antimonio nempe diaphoretico, lapidibus cancrorum, matre perlarum &c. parati vel ope aquae deſtillatae florum tiliae, liliorum convallium vel ceraſorum nigrorum in mixturae formam facile convertendi locum obtinent. Si dentitionis difficultati ſuperveniat, proderit quidem modeſte laxare & mixturis diapnoicis, admixto pauxillo theriacae vulgaris vel coeleſtis, ſuccurrere, interea tamen inſultus tales epileptici efficacius non ſedabuntur, quam ſi dentes ex alveolis ſuis, perruptis gingivis, proruperint. Si pectoris cuidam oppletioni catarrhali complicati fuerint motus epileptici, expediendum eſt pectus mucoque ſuo liberandum reſolventibus, qualia ſunt ſperma ceti non rancidum, eſſentia ſuccini vel helenii, nec non ſyrupus de eryſimo *Lobelii*, ſyrupus capillorum veneris

veneris, de althea &c. Conducunt quoque laxantia, alvum modeſte ſubducentia, uti ſunt ſyrupus de cichoreo cum rhabarbaro, vel ſolutivus roſarum, non neglecto tamen etiam mercurio dulci, ad unum vel alterum granum exhibito. Quotiescunque propter lumbricos ſuſcipitur epilepſia, toties fructuoſius non ſuccurretur, quam vermibus per anthelmintica enectis & per mercurialia poſtea expulſis &c.

§. XXXV.

Similiter in adultis ad cauſas, epilepſiam hujus ſpeciei provocantes, provide ubique reſpiciendum eſt. In caſu namque nimiae ſanguinis ſpiſſitudinis, ſub ſtatu eminenter plethorico, quae quippe circumſtantia in foemellis hypochondriaco-hyſtericis potisſimum attendenda eſt, ſanguis non modo ventilandus, ſed & fluxilis ac mobilis reddendus eſt. Si menſes fuerint ſuppresſi vel quadam ſolummodo ataxia laboraverint, tunc revocationi eorundem quantocyus invigilandum vel qualicunque eorum irregularitati proſpiciendum. In materiae ſeminalis abundantia indeque orto orgaſmo, praeter remedia nitroſa, etiam laborioſi corporis motus & exercitia ſunt ſuadenda. Quae hyſtericorum pathematum occaſione epilepſiam incurrunt foeminae, illas nihil efficacius ſolatur, quam matrimonium cum Juvene robuſto & athletico contractum. Quotiens ex iracundia ortum traxit, totiens praemiſſa per rhabarbarina laxatione, pulveres nitroſi, cinnabarini, admixtis coralliis rubris, cryſtallo montana & ſimilibus exhibendi ſunt. In caſu terroris inopinati conveniunt ſpecies de hyacintho. In pavoribus infantum nocturnis cum aqua apoplectica *Langii* aliquot guttulae liquoris CC. ſuccinati exhiberi poſſunt, vel pulvis Marchionum antiepilepticus cum ſpecifico Cephalico DD. *Michaelis.* Si febribus acutis circa ſeptimum vel nonum diem motus epileptici ſuperveniant, plerumque res talium aegrotantium ſunt conclamatae. Difficulter parientes ſi convulſivi & epileptici motus corripiant, nihil eſt, quod praeſentium rerum

diſcri-

diſcrimine expedire illas posſit, quam partus felicis promotio. In ſuppresſione fluoris albi reſtitutio in integrum tentanda eſt. Si petechiae retrocedentes inſolentibus talibus motibus ortum dederint, expulſio earundem denuo tentanda eſt.

§. XXXVI.

Quoad alteram epilepſiae ſpeciem, quam *idiopathicam* vocavimus, notandum eſt, eam vix aliter tractari a Practicis, quam per *ſpecifica*, quorum quidem ingens numerus recenſeri vulgo ſolet, ſed maxima eorundem pars ſperatis ſuccesſibus prohdolor deſtituta eſſe deprehenditur. Id tamen obſervandum atque de methodo ſpecifica talia exhibendi tenendum eſt, quod, ſi effectu omni excidere non debeant, una vel altera hora ante paroxyſmum propinanda ſint; Quia alias, hac practica circumſtantia neglecta, nihil juvant. Quod ſi motus, utut cauſa materiali remota, quod ſubinde fieri ſolet, nihilominus pertinaciter aeque ac inſolenter continuent, tunc eorundem mitigationi & ſedationi incumbere Practicum, a vera medendi methodo non alienum erit.

§. XXXVII.

Plura ſpecialis praxeωs exempla ut hac vice addam, minus neceſſarium eſt, quia ex hiſce paucis cognoſci ſatis poteſt, qua ratione prudens Practicus, hiſtoriae morborum apprime gnarus, & ſufficienti theoretico adparatu inſtructus, in ſingularium quorumvis aliorum morborum curatione gerere ſeſe debeat.

CAPUT TERTIUM.
indicans
Praxin Specialiſſimam *ſeu* Exemplarem.

§. I.

Cum *therapia* ſeu *praxis clinica ſpecialisſima* reipſa nihil ſit aliud, quam habitus practicus ſeu prudentia, *therapiam ſpecialem* his, illis, iſtis individuis, his vel illis morbis laborantibus, adplicandi, & convenientia remedia harum vel illarum individualium circumſtantiarum reſpectu inveniendi & ſcientifice adcommodandi; Sua ſponte conſequitur, non tam in tradendis multis praeceptis, quam potius in variorum caſuum practico-clinicorum reſolutione eandem conſiſtere: Quam etiam ob rationem *praxis caſualis* ſeu *exemplaris* recte ſalutatur; Atque adeo *Collegio* ita dicto *Caſuali* eandem reſervari, aequitas poſtulat.

INSTITUTIONUM
MEDICINAE
REFORMATARUM
PARS OCTAVA
ſiſtens
SUCCINCTAM PRAESCRIBENDI FORMULAS REMEDIORUM METHODUM.

INSTITUTIONUM MEDICINAE REFORMATARUM PARS OCTAVA

ſiſtens

Succinctam praeſcribendi formulas remediorum methodum.

§. I.

Etiamſi *pharmacia*, tanquam pars medicinae *ſubſidiaria*, priſcis temporibus à ſolis medicis fuerit exercita, cum propter ſimplicem *materiae medicae* adparatum nullis officinis publicis opus eſſet: Succesſivis tamen temporibus factum fuit, ut, creſcente luxu, ſimul quoque res medicamentaria augeretur, atque ita, accedente inprimis pigritia atque ſuperbia ipſorum medicorum, *pharmacia* tandem à corpore medicinae ſepararetur & in *pharmacopoeos* ita dictos transferretur, qui tanquam peſſimi optimae artis uſurpatores ita tandem ſibi ſolis eandem vindicârunt, ut hodie ipſos medicos, diſpenſationem remediorum privatam ſuſcipientes vel ſolum commendantes, in jus vocare haud erubeſcant.

§. II.

Damna vero & incommoda, in univerſam rempublicam medicam inde redundantia, ejus ſunt indolis, ut remedium vix amplius admittant. Namque non ſolummodo impudentiſſimae iſti *pharmacopoeorum* empiriae per vulgarem illum *Receptiſmum* (ſit venia verbo barbaro) via planiſſima panditur, & innumerarum rerum, ad negotium medicamentarium pertinentium, cognitio utiliſſima negligitur, verum etiam fortunae miſerorum aegrotantium praeter neceſſitatem exhauriuntur, pauperes, rei pecunia-

riae inopia jam ſatis laborantes, ab omni propemodum ope medica excluduntur, innumeris iisque interdum valde exitialibus *pharmacopoeorum* hallucinationibus temere exponuntur, tandemque, pecunia citra fructum diſſipata, conſilii auxiliique omnis inopes veluti derelinquuntur.

§. III.

Quamvis itaque cordatiores Practici nihil magis habeant in votis, quam, ut, abrogato tandem taedioſiſſimo *receptiſmo*, ſeu conſuetudine mittendi formulas in *pharmacopolia*, antiqua medicinam exercendi methodus revocaretur, & neceſſitatibus aegrotantium per privatam remediorum fidorum & exploratorum diſpenſationem ſuccurreretur: Attamen, non obſtantibus ſummis in Rempublicam inde reſultantibus commodis, vix ulla ſpes adfulgere videtur, ut horum ſuorum votorum, utut maxime rationalium, participes reddantur. Quapropter cum in plerisque liberis civitatibus magiſtratus civilis conſtitutiones & decreta obſtent, quo minus hoc ſuo antiquiſſimo jure libere utantur medici: Hinc vel eam ob rationem neceſſarium eſt, ut *Collegia formularnm* (ceu vulgo vocari in Academiis ſolent) inſtituantur, ne juniores medici ad praxin adſpirantes, inconcinnas vel plane ineptas formulas in officinas publicas mittendo, iſtorum hominum, licet ut plurimum valde ignarorum, ludibrio temere exponantur.

§. IV.

Non eſt autem exiſtimandum, ſicuti permulti admodum perverſe ſibi perſuadent, artificium praeſcribendarum *formularum* conſiſtere in variorum ſimplicium incongrua conſarcinatione vel farragine, ſed potius in valde concinna eorundem, gradui praecipue & eventui morbi reſpondentium, coordinatione, & talium quidem rerum, quarum conſiſtentia ita inter ſeſe invicem conſpirat, ut non facile ſoloeciſmus aliquis hic committatur, & talia ſibi mutuo permiſceantur, quae ſua indole permiſceri

miſceri renuunt, nimia inſuper mole, ingrato & nauſeabundo ſive ſapore ſive odore patientibus creent moleſtiam.

§. V.

Unde per *compoſitionem medicamentorum extemporaneam* ſeu *formularum praeſcriptionem* talem intelligimus duorum vel plurium remediorum artificioſam commixtionem, ad certam aliquam formam finemque determinatam.

§. VI.

Et ſecundum hanc qualemcunque deſcriptionem neceſſarium omnino eſt, ut *formulam* quandam praeſcripturus, 1.) ὕλην ἰατρικὴν ſufficienter cognitam atque perſpectam habeat. 2.) Ut eorum, quae practicus conjungere invicem cupit, veram non tantum indolem, ſed & mutuam habitudinem atque relationem exacte exploratam habeat, ne vel ingratior inde oriatur adſpectus, vel plane ſperati effectus interceptio inde conſequatur: Id quod contingere maxime conſvevit, ſi vel acida alcalicis, vel reſinoſa aquoſis permiſceantur.

§. VII.

Hinc itaque *formulam* in officinas publicas miſſurum, ante omnia ſollicitum eſſe oportet: 1.) de *baſi*, cui reliqua ingredientia, tanquam juvantia inque eundem finem conſpirantia ſuperſtruantur, vel activitatem baſεως juvent atque promoveant, ſicuti hoc modo ſalina addi ſolent purgantibus vel olea deſtillata ad unam vel alteram guttulam pulveribus admiſcentur. 2.) Diſpiciendum, quaenam ingredientia *formulam* quandam magis confirment vel turbent? 3.) Quid unicuique *formulae*, nempe vel *fluidae* vel *ſolidae* vel *mediae* magis vel minus conveniat? Et 4.) in quonam vehiculo talis remedii forma omnium commodiſſime & ſine taedio intro adſumatur, vel an per ſe, ſine vehiculo, ſumi, convenientius ſit?

§. VIII.

§. VIII.

Praeterea & ante omnia *doſes* medicamentorum, tam *ſimplicium* quam *compoſitorum*, examuſſim ſibi notas & perſpectas reddere debet, qui in illorum ordinatione rite verſari cupit; Ubi conſiderandum, aliam *doſin* eſſe *ſummam*, quam conſcientioſus medicus non facile tranſcendit, aliam *mediam*, quae reliquarum omnium tutiſſima eſt, ac denique aliam *infimam*; Si enim peccari hic quam maxime liceret, id quod tamen non licet, ſatius tamen foret, in defectu potius, quam in exceſſu peccari.

§. IX.

Similiter juvat obſervaſſe, *doſin* aliam eſſe vel *abſolutam* vel *reſpectivam*; Circa hanc poſteriorem illud inprimis ſollicite tenendum eſt, ubique *aetatis*, *temperamenti* & totius *individualis conſtitutionis* rationem prudenter habendam eſſe.

§. X.

Ut proinde ſatis mirari nequeamus inconſulta illorum tentamina, qui *calculi Algebraici* ope remediorum doſes eruere conantur, cujus rei infelix, ni fallor, ſpecimen publico ante aliquot annos exhibuit *Theodorus Balthaſar* in *diatribe* de *doſibus medicamentorum, qua illae juxta medicinae practicae pariter ac matheſeως principia expenduntur*. Quamvis enim inficias non eamus, quantitatem medicamentorum utique *pondere*, *menſura* ac *numero* aeſtimandam ac determinandam eſſe: Admodum tamen abſonum & ἄπρακτον nobis eſſe videtur, veram remedii quantitatem, huic vel illi individuo ordinandam, operoſo tali calculo explorare velle; Suo caeteroquin loco artem optimam relinquentes.

§. XI.

Miſſis itaque hiſce, praxin potius confundentibus, quam juvantibus vel promoventibus, ad ſcopum noſtrum accedimus propius, eas tantum remediorum formulas enarraturi, quae hodieque inter Practicos artis ſunt uſitatae, & huc fere redeunt, ut ſint praeter *pulveres*, quorſum & *ſpecies*

ſpecies pertinent, vel *boli*, vel *electuaria* vel *eclegmata* vel *morſuli* & *rotulae*, vel *decocta* & *infuſa*, vel *emulſiones*, vel *clyſteres*, vel *balnea* & *pediluvia*, vel *potiones*, vel *mixturae*, vel *pilulae*, vel *cataplaſmata*, vel *epithemata*, vel *ungventa* & *linimenta*, vel *emplaſtra*, vel *collyria*, vel *gargariſmata*, vel aliae *injectiones*, in alia corporis loca factae &c.

§. XII.

Initium dicendi ſubminiſtrant *pulveres*, ſuntque medicamenta ſicca, ex pluribus aliis ſive *ſimplicibus* ſive *compoſitis* conſtantia, inque unum eundemque finem conſpirantia, idque pro uſibus tam *internis* quam *externis*.

§. XIII.

Commendant autem inprimis hanc remedii formulam paucitas, ſapor ſic ſatis tolerabilis, odor vel nullus vel ſaltem non admodum ingratus imo & amoenus ſubinde color. Quia tamen etiam ſpongioſae linguae & faucium poroſitati adhaerent, in liquidis facile ſubſident, & diuturniore interdum mora moleſtiam pariunt; Hinc permultis quoque admodum taedioſi ſunt pulveres: Ut vel cum nauſea ſumma & horripilatione adſumantur, vel, ſtatim ac adſumti fuêre, rejiciantur.

§. XIV.

Quae cum ita ſeſe habeant, non alia, niſi *animalia* & *mineralia*, quae nempe tota ſua ſubſtantia effectum ſuum praeſtant, pro hoc ſcopo ſunt eligenda. Nam, quod *vegetabilia* attinet, ea propter diffuſiorem molem, & quod activior eorum portio ſolutione facile ſeparari inde poſſit, non admodum commode pulverulenta tali forma vel praeſcribuntur vel asſumuntur. Taceo, quod in liquoribus, cum quibus vehiculi loco intro ſumuntur, derepente obturgeſcant, atque ita enormi mole adſumentibus moleſtiam creent ſimulque nauſeam, quae non raro tanta eſt, ut cardialgicas anxietates poſt ſe relinquat, a vehemen-

hementia ſua non prius remittentes, quam rejecti denuo fuerint. Hinc interdum, ut pulverulentorum talium adſumtio patientibus perſvadeatur, neceſſarium eſt, ejuſmodi pulveres vel ſaccharo permiſcere ac veluti palliare, vel mediante melle ac ſyrupis in bolos vel electuaria convertere, vel extracti cujusdam ope in pilulas redigere, vel, quod omnium convenientiſſimum eſt, cum aquis ſtillatitiis in potiones extemporaneas transformare &c. ut, praevia agitatione, intro ſumi commodius queant.

§. XV.

Reſpectu materiae, ex qua ejuſmodi pulveres parandi, notandum, quod eam ſubminiſtrent vel *ſimplicia* crudiora vel *praeparata*, ex magiſteriis, crocis, ſalibus & floribus, imo & interdum ſpeciebus officinalibus, unde demum pulveres oriuntur *decompoſiti*. Atque adeo pulveres omnes ſunt vel *Galenici*, vel *chymici*, vel *medii*, ex prioribus mixti, atque hi omnes vel *externis* vel *internis* uſibus ſubſerviunt.

§. XVI.

Regulae autem tam *generales* quam *ſpeciales*, in pulverum praeſcriptione ſedulo obſervandae, hae ſunt:

I.) Si viſcida, reſinae vel gummi pulverum compoſitionem ingrediantur, ex tempore nunquam rite ſuccedit negotium, ſed prius ſubigenda talia ſunt, donec mora quadam ſiccescendo in pulverem ſubtiliorem teri ſicque aliis permiſceri ſeſe patiantur.

II.) Ita etiam ♀ pulveribus immiſcere minus convenit, ſicuti plane incongruum eſt, pulveres abſorbentes potiunculis acidulis adjungere velle, quia ſub ipſa permixtione & adſumtione ſpumeſcunt ſicque ſine nauſea difficulter deglutiuntur.

III.) Similiter admodum foetentia, acria & amara ſub forma pulveris minus commode ordinantur; Quia parum gratiae, qua ſe commendent aegris, habent ejuſmodi remedia.

IV.)

IV.) Nimia quoque ingredientium farrago & confuſa contrariorum permixtio ſicuti indicat defectum judicii in praeſcribente: Ita valde quoque nauſeoſa eſt adſumenti.

V.) Similiter nihil quoque praeter neceſſitatem repetendum; uti v. g. fit, ſi pulveri Bezoärdico *Sennerti* Bezoär ſive orientale ſive occidentale denuo adderetur, vel, ſi ☿ diaphoreticum praeſcriberetur, eadem quoque formula bezoärdicum minerale reciperetur.

VI.) Neque in praeſcriptionibus pulverum talia ſibi mutuo permiſcenda ſunt, quae, contraria quippe virtute gaudentia ſeſe invicem invertunt. Exemplo eſſe poſſunt ⊕lata cum ⊕ſis, vel aluminoſa cum alcalicis, uti eſt ⊖ abſinthii cum magiſterio aluminis.

VII.) Moris quoque eſt, pulveribus unam vel alteram guttulam ☍ cujusdam ſtillatitii, v. g. cinnamomi, caryophyllorum vel alterius cujusdam admiſcere; Id quod tamen non fit alicujus neceſſitatis, ſed ſolius tantum elegantiae gratia, niſi forte ☍ illud cum pulvere ipſo in eundem finem conſpiret.

VIII.) Salia volatilia urinoſa formulis pulverulentis rarius admiſcentur, niſi ſtatim adſumantur; Alias enim fuga ſibi facile conſulunt; Inſipida vero omnibus promiſcue ſeſe combinari patiuntur: Salia autem fixa & ſalſa convenientius aromaticis & amaris permiſcentur.

IX.) Pulveres *emetici* & *catartici* ſingulis vicibus pro unica tantum doſi ſunt ordinandi, alterantes vero in duplo, triplo vel quadruplo praeſcribi poſſunt & aromatici deniq; ac praecipitantes, quorum uſus aliquamdiu continuandus, ad ℥j. vel ℥ij.

X.) In praeſcriptione pulverum doſes ita coordinare decet, ut major ſemper praecedat minorem, niſi forte pro delicatioribus ad gratiam ſaccharum admiſceatur, vel doſis ita exigua ſit, ut ſine additamento alterius commode ac tuto adſumi nequeat.

XI.) Quoad quantitatem pulverum praeſcribendorum adhuc notamus, eam non facile ʒj. tranſcendere debere.

Sufficere poſſet ℈j. vel gr. XXIV. pro una doſi. Neque facile exhibeantur aegrotantibus, niſi ipſis conſentientibus, praeſertim ſi ingratioribus, ex quibus parati ſunt, conſtent ingredientibus.

XII.) Variat denique modus remedia pulverulenta adſumendi; Fit enim id ut plurimum cum vehiculo, interdum tamen etiam ſine illo.

§. XVII.

Coeterum pulveres optime convenire judicantur, ſi conſtantem atque ſucceſſivum ab illis effectum medicus expectet, v. g. ſi vel abſorbendi ac praecipitandi vel roborandi intentio fuerit. At vero contraindicatur haec formula in vitiis deglutitionis, quamvis id tamen perpetuum non ſit, dummodo alcooliſati per trituram fuerint, vel cum vehiculo ſufficienti dati. Praeterea nocent quoque pulveres ſubjectis ſiccioribus, hypochondriaco-melancholicis &c. quae quippe mala, caeteris tamen paribus, communiter exacerbare ſolent.

§. XVIII.

Habent denique *pulveres* eminentem plane utilitatem variis in caſibus externis: Praeſcribuntur enim pulveres naribus intrudendi vel oculis inſufflandi; Commendantur praeterea ſtyptici, vulneribus recentibus, ad ſiſtendam haemorrhagiam inſpergendi; Similiter pro intertrigine infantum, itidemque inflammationibus eryſipelaceis adplicantur, imo & partibus quibusdam v. g. dentibus adfricantur: Unde pulveres dentifricii audiunt.

§. XIX.

Diffuſioris adparatus ſunt pulveres pectorales ac peptici, quales ex aromaticis, pectoralibus, ſtomachicis, ſaccharo vel liqueritia edulcorati ſaepius de die adſumuntur. Eodem quoque ſpectant pulveres officinales compoſiti, quos vulgo ſpecies adpellant, uti ſunt *ſpecies de hyacintho, diatragacanthae frigidae, dia-irews &c.*

§. XX.

§. XX.

Neque tandem excludendi inde ſunt pulveres groſſiores, quales pro variis uſibus externis aeque ac internis v. g. infuſis, decoctis, cataplaſmatibus, balneis, pediluviis, fotibus, cucuphis &c. à medicis praeſcribi & ex regno potiſſimum vegetabili peti ſolent. Ordo in praeſcribendis talibus pulveribus ſervandus talis eſt, ut primus locus radicibus, deinde herbis, foliis & comis, hinc ſummitatibus & floribus, porro ſeminibus tandemq; ultimus lignis, corticibus & aromatibus concedatur.

§. XXI.

Pulveres excipiunt *boli*, quo nomine intelligitur medicamentum ſpiſſioris conſiſtentiae, ex ſyrupo & pulveribus, debita proportione inter ſe mutuo mixtis conflatum, unica vice adſumendum. Et quamvis diffitendum non ſit, odioſum remedii genus eſſe; Sunt tamen, qui tenui nimiumque ſapido pulveri praeferre ſolent. Ad formam *electuarii* quam proxime accedit, & parvitate molis inprimis ſe commendat; Quapropter etiam doſis ordinaria ʒjj. non facile excedere debet, ſed ʒj. ſatis molis formare poteſt, ut unica vice deglutiatur.

§. XXII.

Duo igitur ſunt, quae ad conſtitutionem *boli* concurrunt, nempe *excipiens* & *baſis*. *Illius* vices ſubeunt quaevis molliora, ad unum tamen eundemque finem cum *baſi* collineantia, nimirum conſervae, ſyrupi, electuaria imo & extracta paulo ſpiſſiora. Ad *baſin* vero conſtituendam concurrunt potiſſimum pulveres, licet à quibusdam interdum etiam tincturae, eſſentiae, ♎ & olea deſtillata, rarius tamen, admiſceantur.

§. XXIII.

Proinde, ut confectioni *bolorum* undique ſatisfiat, ſequentes regulae tam *generales* quam *ſpeciales* ſunt notandae.

I.) In confectione *bolorum* maxime ad conſiſtentiam eſt reſpiciendum, ne vel juſto mollior ſit atque adeo diffluat,

nec tamen etiam durior, quam oportebat; Quia utroque hoc modo deglutitionem fruſtratur.

II.) Sicuti ingredientia *bolorum* copia & multitudine excedere non debent: Ita nec doſis eorundem nimia & exceſſiva ſit oportet. Atque adeo pondus ℥jß. vel ad ſummum ℥jj. ſuperare non debet. Viſcoſa quoque nimiumq; amara ſedulo vitanda ſunt.

III.) Si conſerva, confectioni *bolorum* adhibita, minus fuerit ſucculenta, tantillum ſyrupi convenientis admiſcendum eſt. Nimis vero ſucculenta ſi fuerit maſſa, tantum ſacchari addendum eſt, nempe quantum ad debitam conſiſtentiam ſufficit.

IV.) Conſervae ℥j. excipit pulveris ʒß. ad ℈jj. Rob vero ʒß. & pulveris ℈jj.

V.) Salia volatilia aeque ac fixa *bolis* non admodum congrue admiſceri, & per ſe clarum eſt & paullo ante jam notatum eſt.

VI.) Quaecunque per ſe ſub forma pulveris commode ſeſe exhiberi non patiuntur, ea, ut *boli* forma propinentur, ſatius eſt, exemplo ☿ialium.

§. XXIV.

Ad naturam *bolorum*, à quibus tamen *eclegmata* ſeu *linctus* differunt, *electuaria* accedunt, licet conſiſtentiam paullo molliorem, quam *boli* habeant. Antiquiſſimis jam temporibus haec remedii forma medicis frequentata fuit, & *opiatae* vel *confectionis* nomine venit. Ac proinde à *bolo* vix alia ratione diſcrepat *electuarium*, niſi quod hoc pluribus demum vicibus adſumendum ſit.

§. XXV.

Hinc itaque in *electuario* pariter conſideramus tam *excipiens* quam *baſin* ipſam. Ad *illud* referimus 1.) mel probe deſpumatum & clarificatum. 2.) ſuccos inſpiſſatos, v. g. rob ſambuci. 3.) Conſervas & 4.) extracta: *Hanc* vero pulveres tam ſubtiles quam ſpecies ſic dictae officinales conſtituunt. Licet interdum etiam, refracta tamen in doſi, liquida, v. g. tincturae, olea, elixiria &c. admiſceantur.

§. XXVI.

§. XXVI.

Ne tamen in *electuariorum extemporaneorum* (nam de his nobis hic tantum ſermo eſt) confectione contra genuinam componendi methodum quicquam peccetur, ſequentes iterum regulas *generales* pariter ac *ſpeciales* commendamus.

I.) In praeſcribendis *electuariis* primum ſemper locum occupent conſervae, alterum pulveres vel ſpecies, & poſtremum ſyrupi, qui etiam ordo temere turbandus vel invertendus non eſt.

II.) Ingredientia *Electuariorum* ordinarie ſunt pulveres, conſervae atque conditurae, dulcia vero, itidemque ſalia tam volatilia quam lixivioſa & media, nec non ſpiritus urinoſi, quantum id indicationes permittunt, exulare inde debent, quia partim fermentationem maſſae inducunt, partim etiam conſiſtentiam vitiant.

III.) Conſervarum ℥j. recipit conditurae ℥ß. & pulveris ʒij. ſi paullulum arenoſus ille fuerit, parum ſyrupi, nempe q. ſ. ad humectandum: Si vero molliores extiterint pulveres, ex iisdem *electuaria* parari poſſunt, aequale ſaltem pondus ſyrupi cujusdam vel mellis vel Roob admiſcendo.

IV.) Tota *electuarii* compoſitio haud facile excedat pondus ℥iv. vel ad ſummum ℥vj. interea tamen etiam ℥ij. pondere non ſit minor. Sumitur autem pro qualibet doſi plerumque ad quantitatem caſtaneae, quae ʒij. propemodum aequat; Vel quantitate ij. vel iij. cuſpidum cultri, id quod iterum ad ʒj. vel ij. pondus proxime accedit, aut ſaltem non multum ſuperat.

V.) Eſt quoque ipſius *excipientis* ſolers habenda ratio, prout vel magis vel minus liquidum illud eſt. Ad pulverem vegetabilem anatica vel paullo major proportio eſſe debet.

VI.) Artifices pharmacopoei etiam foliis auri vel argenti extrinſecus *electuaria* munire conſveverunt; Id quod tamen ad elegantiam magis & ſplendorem, quam neceſſitatem facit.

VII.)

VII. Obſervandum denique, *electuaria* non ſemper interne exhiberi, verum etiam externe variis corporis humani partibus admoveri. Sic v. g. theriaca vel ſola vel emplaſtro carminativo, de baccis lauri &c. commixta in dyſenteria, vomitu, cholera &c. utiliſſime adplicatur.

§. XXVII.

Convenit autem haec remedii formula omnibus illis in caſibus, ubi confortandum vel roborandum eſt, in omnibus itidem pectoris adfectibus, ubi ſyruporum vel mellis utilitas eſt, ac denique, ubi inclinatio & adpetitus patientis ſponte medicum ad eam invitat; Ut taceam, praeſervationis gratia eam quoq; à quibusdam ordinari: Contra eadem haec medicamenti formula ſedulo vitanda eſt in hypochondriacis & quartanariis, nec non in adfectibus primarum viarum flatulentis, in dyſentericis itidem aliisque fluxibus alvinis laborantibus, nec non in ſubjectis cholericis, foeminis hyſtericis &c:

§. XXVIII.

Hujus quoque loci ſunt *linctus* ſive *eclegmata*, quae *Arabibus* quondam Looch dicebantur. Quamvis autem hodieque non usque adeo recepti uſus ſint, niſi forte in infantibus vel aetate huic proxima, inque faucium & pulmonum adfectibus: Inter remedia tamen *Galenica* non usque adeo noſtris temporibus exolevit eorundem uſus, quin Practici in hunc usque diem ad hancce formulam ſnbinde recurrant. Conſiſtentia eorum multo fluidior eſt, quam *bolorum* & *electuariorum*; *Eclegma* enim *electuario* longe tenuius eſt; Undeetiam nonnullis *electuarium fluidum* audit; Ac proinde deſcribi poteſt, quod ſit remedium quidem ſyrupiforme, attamen ſyrupo ſpiſſius, ita quidem, ut ſuper longinqua diffluere queat, ad lingendum infantibus datum; Unde & nomen ſuum obtinuit.

§. XXIX.

Circa uſum linctuum antiqui hancce commendabant cautelam

cautelam, ut in adfectibus faucium, aſperae arteriae ipſorumq; pulmonum non niſi leniſſime deglutirentur, ſicque in tracheam ipſosque pulmones & pectus inſinuare ſeſe poſſent: At vero huic inſtituto non minus experientia quam ſana ratio refragatur, niſi quod huic non omnino contrariari videatur, in ſummarum faucium vitiis aliquid utique valere *eclegmata*, quatenus viſcidi quippiam illis allinitur, eoque ipſo adfectus temperatur, quamvis non ſemper cum ſperato effectu, propter inſufficientem proportionem, ubi proinde prudens injectio per ſyringam facta idem, imo ſaepius plus profecerit.

§. XXX.

Alias duplicis ſunt generis, nempe *officinalia* & *magiſtralia*. Ad *illa* referuntur looch ſanum & expertum, de farfara, de pulmone vulpis &c. *Haec* vero extemporanea compoſitione ex ſyrupis, looch, ſubtilibus pulveribus &c. elaborantur, vel ſpecies ſubtiles, v. g. laetificantes, liberantes, diatragacanthae &c. admiſcentur, ea quidem quantitate, ut ſub liquida conſiſtentia *eclegma* permaneat.

§. XXXI.

Materiam itaque *linctibus* ſubminiſtrant vel *looch* jam officinalia vel *ſyrupi* vel *extracta* vel *conſervae*. Haec vero omnia *recipientium* vicibus perfunguntur, quibus deinde pulveres, pro varia medentis intentione, ſunt admiſcendi; Circumſcribitur autem providus hujus remedii uſus his fere regulis:

I.) Cum *linctus* ſint remedia, aetati potiſſimum infantili dicata, abſtinendum ab acribus, aſperam arteriam moleſte adficientibus aliisque ingratum ſaporem praebentibus.

II.) Ad ℥j. ſyrupi recipitur ʒj. pulveris.

III.) Abſtinendum quoque ab iis, quae humoribus primarum viarum fermentationem facile inducunt, cum per ſe jam ſatis fermenteſcant. Exoſi hoc nomine ſunt flores ♀is dulcibus permixti.

IV.) In praeſcribendis *linctibus* ultra ℥jj vel jjj. unica vice adſcendere vix licet, quia eorundem uſus diutius continuatus nauſeam facile parit.

V.) Exhiberi plerumque ſolent in pyxide terrea latiori. Tempus maxime opportunum eſt vel matutinum vel veſpertinum, paulo longius à paſtu. Et modus adſumendi conſuetus eſt cum bacillo glyzyrrhizae.

§. XXXII.

Uſum denique *eclegmatum* quod concernit, non quidem negandum eſt, in raucedine faucium, tuſſi, phthiſi &c. demulcendo & acrimoniam humorum temperando ſuum praeſtare officium, & expectorationem eximie promovere: Attamen ſimul hic reticendum non eſt, quod, cum dulcibus potiſſimum conſtent, tonum ventriculi labefactando, adpetitum ſimul admodum proſternant. Imo nec adeo tuto exhibentur in catarrhis, cum febre conjunctis, multo vero minus in inflammationibus pectoris internis, in quibus quippe nocent potius, quam proſunt. Nec denique viris *hypochondriaca* vel foeminis *hyſterica paſſione* laborantibus admodum conducunt.

§. XXXIII.

Accedimus nunc ad *morſulos* & *rotulas*, quae duae remediorum formulae etſi gulae ac linguae delicatiorum admodum abblandiantur, ac proinde medicorum bellaria optimo jure adpellentur: Attamen parum hodieque uſitatae ſunt hae formulae, niſi forte vel ad uſum analepticum commendentur, vel delicatulorum guſtui adcommodare ſeſe cogatur Practicus. Caeterum eodem titulo comprehendimus tam *morſulos* quam *rotulas*, quia, licet quoad formam diſcrepent, quoad *ingredientia* tamen invicem conveniunt. *Morſuli* alias etiam *tabulae* ſeu *tabellae*, itidemque ab aliis *confectiones ſolidae* vocantur.

§. XXXIV.

Sunt autem *morſuli* ac *rotulae* medicamenta ſolida, ex

ſaccharo

ſaccharo ad debitam conſiſtentiam coƈto, cum ſpeciebus adpropriatis praeparata, & vel rotundam vel quadratam figuram exhibentia.

§. XXXV.

Ut adeo baſis horum medicamentorum ſit ſaccharum, poſt ſui diſſolutionem ad debitam conſiſtentiam coƈtum ac tandem clarificatum & cum adpropriatis ſpeciebus permixtum. Conſiſtit vero totum artificium harum confeƈtionum in legitima coƈtione ſacchari, qua proinde debita conſiſtentia vel proxime vel aƈtu obtenta, immiſcentur deinde ſpecies, ad ſcopum medicum direƈtae, ex radicibus, floribus, corticibus, aromatibus, ſeminibus &c. ea quidem proportione, ut ʒj. ſpecierum ad ℥j. ſacchari fere ſufficiat.

§. XXXVI.

Interim in praeſcribendis *morſulis* ac *rotulis* ſequentes adhuc cautelas obſervandas eſſe monemus.

I.) Pulverulenta, praecipue vero craſſiuſcula non aeque tolerat haec formula ut & ſalina ingredientia; A pulveribus enim nimium terreis tenacior, quam decebat, evadit conſiſtentia, à ſalibus vero nimis laxa, fluida ac mollis. Nihiloſecius tamen, quae ſub pulveris forma exhiberi ſeſe patiuntur, harum etiam formularum compoſitionem ingrediuntur; Et rurſus: Quae ſaccharo immiſceri poſſunt, ſimiliter *morſulis* atque *rotulis* materiem praebent.

II.) In *morſulorum* compoſitione, praeter pulveres, recipiuntur quoque *conditurae* atque *conſervae*, fruƈtus itidem recentes pinearum, piſtaceorum &c. Sacchari communiter quadruplum, ſubinde oƈtuplum, v. g. ad ℥j. ſacchari ſpecierum ʒj. recipitur. Similiter ſaccharo jam praeparato adjiciuntur quoque ambra, 🜄 ardentes & olea ſtillatitia, imo & varii vegetabilium flores, minutim conciſi ad gratiam coloris.

III.) In *morſulis* exaƈtior ingredientium comminutio non requiritur, ſed ſufficit, pulveres eſſe groſſiores: In *rotulis* vero exaƈtior eorundem ſubtiliſatio neceſſaria eſt, ut prom-

ptius colliqueſcant. Coeterum infra ℔. j. pondus parari nunquam debent.

IV.) Quamvis *rotulae* utplurimum ex ſuccis cum ſaccharo inſpiſſatis praeparentur: Succorum tamen loco quandoque etiam ▽ ſtillatitia vel decoctum cum ▽ recipitur, cui etiam pulveres minori in quantitate adjicere licet.

V.) In compoſitione *rotularum* recipitur triplum vel quadruplum ſacchari, reſpectu ſuccorum & liquidorum. Pondus autem ſingularum *rotularum* communiter ad ℈ß. l. j. adſcendit, & tota maſſa infra ℔ß. vix paratur.

VI.) Quoad ordinem ingredientium, talis in praeſcriptione *morſulorum* ac *rotularum* obſervatur, ut nempe primo loco pulveres vel ſpecies, alteri vero ſaccharum reſerventur.

VII.) Salia tam acida quam lixivioſa *rotularum* compoſitionem non facile ingrediantur, quia debitam conſiſtentiam turbant & neceſſariam partium cohaeſionem impediunt.

§. XXXVII.

Quod tandem uſum *morſulorum* atque *rotularum* attinet, certum eſt, non tam *curandi* quam *praeſervandi* ſcopo exhiberi, & id quidem delicatioribus tantum aliasque remediorum formulas nauſeantibus: Sunt enim verius gulae blandimenta quam medicamenta dicenda.

§. XXXVIII.

Progredimur ad *Decocta*, quae, ſicuti antiquiſſimam remediorum formulam nobis exhibent: Ita maximam partem ex vegetabilibus, & potiſſimum talibus, quae menſtruorum aqueorum ope extrahi ſeſe patiuntur, componi ſolent. Vocantur alias etiam *apozemata*, ſuntque nihil aliud, quam remedia fluida, ſed paullo diffuſiora, coctione moderata ex vegetabilibus, mediante aqua vel vino, vel, quod nonnulli veterum pro decoctis adhibebant, hydromelle parata. Spectant huc decocta illa ligneſcentia, quae in lue venerea, &, prout nonnullis placet, etiam in aliis morbis chronicis in uſum vocantur.

§. XXXIX.

§. XXXIX.

Patet hinc, primaria decoctorum ingredientia eſſe *vegetabilia* eorundemque partes, raro *animalia*, interdum tamen etiam *mineralia*, inter quae praecipua ſunt ☿ vivus & ♁ crudum, in petia tamen liganda, & quaedam illorum cum, quaedam vero ſine clave.

§. XXXX.

Regulae tam *generales* quam *ſpeciales* circa decoctorum praeparationem obſervandae, ſunt ſequentes:

I.) Ingredientia decoctorum non oportet eſſe nimium volatilia, qualia ſunt antiſcorbutica; Si tamen recipienda ſint, in vaſe clauſo ebullire tantum debent. Quae vero fixioris ſunt indolis, coctione diuturniore indigent, antequam recludantur; Vel adfuſo menſtruo conveniente ſubigenda prius ſunt, quam coctioni demandentur.

II.) Menſtrua, quorum ope decoctio peragitur, ſunt vel aqua communis, quae tamen haud raro per ſalina varii generis acuitur, vel vinum, ſi decoquenda fuerint reſinoſa, vel ſerum lactis, vel hydromel, vel aqua & vinum ſimul.

III.) In praeſcribendis *decoctorum* ingredientibus hic potiſſimum ordo ſervandus eſt, ut fixiora, quaeque diutius coquenda vel percoquenda ſunt, primo loco, quae vero tenuiora, ultimo loco reſerventur. Ut adeo cuncta eo ordine ac ſerie praeſcribenda ſint, quo praeparanda, ſicca tamen eadem magis quam humida ſeu recentia.

IV.) Multis modis ineptum eſt, in decocta recipere gummoſa vel reſinoſa vel etiam mucagine ac lentore alias conſpicua, prae coeteris metallica atque mineralia, quae quippe omnia menſtrui aquoſi ope difficillime ſolvuntur, & eſſentiales, quibus pollent, partes dimittunt.

V.) Obſervandi quoque pro hoc ſcopo ſunt decoctionis gradus; Primus eſt, ſi leviter ſaltem ebulliat *decoctum*; Secundus, ſi decoquatur; Ac tertius demnm gradus

eſt, ſi vel ad medietatem vel ad remanentiam tertiae partis fiat decoctio.

VI.) Juvat quoque in decoquendo certam ſervare proportionem: Unde tantum liquoris recipiendum, quantum extractioni ſufficit. Interdum vero hanc proportionem determinamus in pondere ad ℔j. vel ij. vel q. ſ. vel ad ſupereminentiam trium vel quatuor digitorum.

VII.) *Coctionem* ipſam praecedere debet legitima ſpecierum *praeparatio*, nempe pro re nata vel *conciſio* vel *contuſio*, ac per debitum temporis ſpatium *maceratio*. Sub ipſa vero *coctione* in olla operculo munita & circa commiſſuras probe lutata non ſolum ordo, ſed & tempus decoquendi legitime attendendum eſt. *Decoctione* facta, *colatura* eſt inſtituenda, qua *decoctum* à faeculentis partibus liberatum, limpidum evadit, tandemque *clarificatio* vel *ſubſidentia*, quibus iisdem mediis etiam *decocti* limpiditas obtinetur.

VIII.) In ſola ebullitione ea liquoris quantitas ſufficit, quam alias in parandis *infuſis* adhibere ſolemus: Quae vero diutius coquenda ſunt, decuplum, duodecuplum imo ultra efflagitant.

IX.) *Decocta* aeque ac infuſa tam colore quam etiam ſapore permultis ſeſe commendant: Hinc *apozematibus* tantum plerumque ſpirituum acidorum additur, quantum ad gratiam conciliandam ſufficit: Notari tamen meretur, in *decoctis* id facilius, quam in *infuſis* obtineri.

X.) Vegetabilia, ex quibus *decocta* ſunt paranda, non viridia, ſed ſicca eſſe oportet: Quia illa ingratum herbaceum praebent ſaporem.

XI.) Decocta non facile praeſcribenda ſunt ſenibus atq; pueris; Magis enim conveniunt juvenili vel mediae virili aetati.

§. XLI.

Ejuſmodi vero *decocta* eximium inprimis uſum & fructum exerunt in *morbis chronicis*, qualès ſunt lues venerea, paralyſis &c. nec non in pertinacioribus alvi obſtructionibus, in retentione menſium, in adfectibus pectoris, itidemq;

demque in febribus continuis & acutis, quorſum prae caeteris pertinet decoctum hordei, ſcorzonerae &c. Contra in aegris ita dictis teneris, in cachecticis ad hydropem inclinantibus, in diſpoſitione ventriculi & inteſtinorum flatulenta aliorumque viſcerum debilitatibus vel cautius iisdem mercandum, vel, quod conſultius, penitus abſtinendum eſt.

§. XLII.

Infuſorum eadem propemodum ac *decoctorum*, de quibus hucusque egimus, ratio eſt; Pariter enim ex certis ſpeciebus, ad ſcopum certum directis & cum certis liquoribus ceu totidem menſtruis infuſis, praeparantur, nullo alio fine, quam ut ex illis partes eſſentiales extrahantur. Atq; adeo eſt tale medicamenti liquidi genus, quod ſola tantum maceratione, citra omnem coctionem vel fermentationem, mediante menſtruo conveniente praeparatur, & vel alterandi vel purgandi vel alterandi purgandique ſcopo ſimul praeſcribitur. Differunt ſuo modo à vinis & cereviſiis medicatis, quamvis vina *Hippocratica* & *clareta* ſic dicta hujus quoque loci ſint.

§. XLIII.

Ingredientia *infuſorum* eadem plane ſunt ac *decoctorum*, niſi quod fixiora *decoctioni*, volatilia vero *infuſioni* ſint utiq; aptiora: Hinc pleraque magis ex *vegetabilibus*, quam *animalibus* aut *mineralibus* depromuntur, licet haec poſtrema, ad hunc ſcopum, penitus inepta non eſſe, ſatis conſtet.

§. XLIV.

Requirunt itaque *infuſa* talia ſubjecta, quae, menſtruo convenienti immiſſa ſuam, quam habent, efficaciam in illud facile atque ſufficienter dimittant. Et ſicuti ad extractionem talem rite peragendam proportionatum requiritur tempus: Ita tandem repetita imbibiti humoris expreſſio, eidemq; ſuccedens clarificatio omni modo neceſſaria eſt. Proportio in praeſcriptione ſpecierum talis ſervanda

eſt,

eſt, ut pro menſura una vini, nempe Gallici antiqui vel Rhenani radicum ℥j. vel ℥jß. herbarum collective ſumtarum manip. vel ij. flor. pug. vj. Sem. ʒij. vel iij. purgantium ʒvj. vel ℥j. ac denique aromatum ʒij. vel iij. recipiantur.

§. XLIV.

Quamvis autem, ut jam ante notavimus, inter *infuſa* atque *decocta* non adeo magna ſit differentia, praeparatio tamen eorundem ſine cautelis nunquam ſuſcipienda eſt. Regulae ergo hunc in finem obſervandae ſunt ſequentes:

I.) Quaecunque draſtice operantur, uti ſunt ♁lia & ☿ialia &c. atque adeo tuto nec in ſubſtantia nec in decocto exhiberi licet, ea commodiſſime *infuſi* forma dantur. Id quod ſpeciatim de *infuſis emeticis* intelligendum eſt, quae ex ♁ialibus ſpeciatim parari ad ℥j. conſveverunt.

II.) Etſi autem *mineralia* quaedam per ſe infundantur *ſine clave*, alia tamen *clave opus* habent, exemplo ♂lium, quae additionis ♀ indigent.

III.) Ad extractionem talium facilitandam adduntur vel cryſtalli vel cremor ♀ vel ♀ ⊖latus, arcanum itidem ♀ aliaque talia.

IV.) Reſinoſa, uti ſunt radix jalappae, infuſa quidem ingrediuntur, ſed oportet menſtrua eſſe paullo activiora; Alias enim reſinoſa & gummoſa talia concreta non ſolvunt.

V.) Liquores menſtruales, quorum ope fieri debet *infuſio*, ſunt vel vinum, vel cereviſia vel ▽ mulſa, rariſſime aqua pura, quae quippe *decoctis* quam infuſis convenientior eſt.

VI.) *Infuſa alterantia* ad menſ. ij. *purgantia* vero vix ad menſ. j. praeſcribuntur: Pro una autem doſi duae ſaltem ℥. recipiuntur.

VII.) In praeſcribendis *infuſis* eundem exquiſitum ingredientium ordinem, qualem in *decoctis* obſervandum eſſe diximus, ſervare non eſt opus: Interea folia herbarum (ſennae foliis exceptis) & flores ad man. j. vel ij. ligna, cortices, radi-

radices atque fructus ad ℥j. vel ij. ac ſemina deniq; acrio-ra atque aromatica vel ⊖ia ad ʒj. vel ij. praeſcribi ſolent.

VIII.) Ratione temporis commodum eſt, ut in aeſtate pauca tantum in quantitate *infuſa* praeparentur: Id quod tamen non impedit, quo minus ſpecies ipſae ſufficienti in quantitate præſcribantur, unica nempe vice dimidiam vel tertiam earundem partem infundendo. Denique memorandum eſt, nonnullas ſpecies per ſe, nonnullas vero ſyndoni rubrae incluſas infuſioni committi.

§. XLV.

Poſtremo circa uſum *infuſorum* adhuc obſervari meretur, quod adplicationum ſuam magis in *chronicis* & *chronicoteris* quam *acutis* adfectibus inveniant. Laxant praeterea alvum & ſaburram humorum, ſine vehementi commotione, ſenſim ſubducunt, ſi nempe, id quod fieri à practicis ſolet, *alterantibus* ſimul *purgantes* ſpecies additae fuerint.

§. XLVI.

Sequuntur *emulſiones*, quae ſunt extractiones lactiformes, mediante ▽ ſimplici vel deſtillata ex ſeminibus vel nucleis pingvibus paratae, & magis quidem pro interno quam externo uſu. Quae ex amygdalis dulcibus praeparantur, ſpeciale nomen einer Mandelmilch ſibi vindicant: Quae vero ex aliis ſeminibus vel fructibus extrahitur, ſimpliciter tantum Milch vocari adſolet.

§. XLVII.

Ad *emulſionis* vero conſtitutionem non modo *baſis*, ſed & *excipiens* requiritur. *Illam* ſubminiſtrant omnia ſemina & nuclei albicantes ſimulque pingves, recentes tamen, non vetuſtate temporis rancidi facti, deinde ſemina, nulla mucilagine imbuta, ut ſunt ſemina cydoniorum & Pſyllii, nec calida vel aromatica, uti ſunt foeniculi & aniſi aliaque ſemina. *Excipientis* vero vices ſuſtinent omnes aquae ſtillatitiae vel etiam aqua communis calida.

§. XLVIII.

His omnibus debite inter ſe mutuo mixtis, & mediante tritura in *emulſionem* redactis, liquor exurgit lacteus, ſaccharo deinde ad gratiam edulcorandus. Ut vero omnia rite ſuccedant ſequentes iterum regulae ac monita probe tenenda ſunt.

I.) Ad *emulſiones* parandas inepta ſunt, praeter ſuperius notata, etiam *acida*, nec non ea omnia, quae colorem alienum inducunt, vel colorem lacteum turbant aut plane praecipitant *emulſionem:* Cavendum quoque, ne vel ⌒ ⊡ſi vel aquae c· vino deſtillatae, vel tincturae aut eſſentiae in hanc formam recipiantur.

II.) Similiter etiam, quae ingrati ſaporis vel odoris ſunt, *emulſionem* non ingrediantur: Unde improprie dicta *emulſio* dici tantum meretur, ſi purgandi ſcopo ex reſina jalappae vel ſcammonii liquor talis lacteus paretur.

III.) Proportio in parandis *emulſionibus* talis eſt: Ad ſeminum ʒß. requiritur ▽ae ℥j. & ſacchari tantundem, ad gratiam conciliandam. Si pulveres admiſceantur, ad *emulſionis* ℥j. requiritur pulveris ℈j.

IV.) Cavendum, ne *emulſiones* infra ℥iij. vel iv. nec tamen etiam ultra ℥vj. vel viij. unica vice parentur; Ubi tamen *emulſiones* amygdalatae ſunt excipiendae, quas ad ℔j. vel ij. parari, nihil vetat.

§. XLIX.

Virtutes earundem ſunt *analepticae*, ſedant dolores, medentur ſtranguriae nimiisque vigiliis; Unde etiam in febribus continuis & acutis haud raro in uſum vocantur: Cavendum tamen, ne nimia & intemperata earum ingurgitatione ventriculo & inteſtinis laxitas nimia inducatur, ſicque flatulentiae aliisque malis inde pendentibus via ſternatur.

§. L.

Ad *decoctorum* claſſem merito etiam referimus *clyſteres*, uſitatiſſimum quidem hodie remedii genus, quodque neceſſitas pariter atque utilitas ſatis commendavit practicis,

quod

quod tamen medicus quidam Italus peccatis ſodomiticis ridicule adnumerare non dubitavit. Eſt vero, hac diffamatione non obſtante, optimus tutiſſimusque alvum per clyſmata reſerandi modus omnibus iis in caſibus, in quibus purgantia vel laxantia *ἄνω* exhiberi non licet, v. g. in febribus aliisque morbis acutis, cum pertinaciſſimis ſaepae alvi obſtructionibus ſtipatis. Intelligimus autem per *clyſma* ejuſmodi medicamentum fluidum, quod, mediante ſyringa, ano injectum inteſtina craſſa eluendi atque à ſordibus ſuis liberandi poteſtate pollet.

§. LI.

Materiam, uti decoctis, ita etiam *clyſteribus* ſubminiſtrant *vegetabilia*, ex radicibus, herbis, floribus atque ſeminibus conſtantia, & vel emolliendi vel fortius ſtimulandi, vel carminativa vel anodyna &c. virtute gaudentia: Unde Practici varias, pro vària medentium intentione ac ſcopo, ſpecies atque differentias *clyſterum* enumerare ſolent, ita quidem, ut alii ſint *emollientes*, alii *laxantes* vel *purgantes*, alii *carminativi*, alii *anodyni*, alii *ſtimulantes*, quibus nonnulli etiam *nutrientes* addunt, de quorum tamen exiſtentia alii adhuc dubitant, cum eorundem effectum experientia nondum ſatis comprobaverit. Ex *animalibus* pauciſſima ſunt, quae *clyſmata* ingrediuntur, niſi forte lac, vitellos ovorum, mel, ☐ aliasque tales animalium partes excipere velis. Ex *mineralibus* longe pauciora *clyſteribus* inſerviunt, niſi ⊖ commune, ⏀, ⊖ gemmae aliaque excipias.

§. LII.

Sicuti vero nomine, ita etiam ingredientibus diſcrepant clyſteres. Si enim emolliendi fuerit intentio, radices altheae, lil. albor. fol. malv. betae, mercurialis & brancae urſinae, nec non flor. chamom. & meliloti, ſemina itidem lini ac foenu graeci ſuum praeſtabunt officium, ſi vel aquae communi vel lacti dulci incoquantur. Si *purgandi* animus fuerit, ex iisdem ingredientibus, additis foliis

ſennae vel rhabarbaro aliisque, parari licet, poſt colaturam tamen electuarium dia-catholicum vel diaprunum laxativum admiſcendo. *Adſtringentibus* & *confortantibus* materiam praebent rad. biſtort. ac tormentill. cort. granat. bacc. myrth. fol. plantag. & caud. equin. nec non fl. balauſt. & ros. rubrarum, quibus in vino rubello decoctis maſtiches vel boli armen. momentum addi poteſt. *Carminativi* in adfectibus potiſſimum colicis, hyſtericis, haemorrhoidalibus &c. uſum ſuum habent, & ex herb. majoran. melisſ. menth. origani, flor. chamom. & melil. ſemin. foenic. carv. dauc. nec non ex bacc. lauri atque juniperi &c. componuntur, quibus poſt decoctionem ∘ deſtill. anis. vel carv. ad guttulas aliquot admiſceri ſolet.

§. LIII.

Anodynos quod attinet *clyſteres*, conveniunt illi maximam partem ratione ingredientium cum *emollientibus*, quibus tamen poſt decoctionem philonium romanum vel mihridatium vel theriac. vet: ad ℥j. vel ij. admiſcere integrum eſt. *Detergentes* & *mundificantes*, quales in dyſenteria aliisque alvinis fluxibus ſuam ſubinde utilitatem exerunt, ex agrimonia, roſis rubris, centaurio minore, hordeo, lupinis contritis &c. parantur, quibus poſt decoctionem & colaturam ſaccharum vel mel roſatum adjungitur. Pro *conſolidante* & *traumatico* ſcopo hypericum, ſanicula, alchymilla, plantago &c. recipiuntur & poſt colaturam bals. 🜍 aniſatum vel terebinthinatum additur. *Vellicantes* ac *ſtimulantes* aegris excitandis ſerviunt, atque ex L. ſaſſafr. guajac. cort. tamariſc. herb. meliſs. ſerpill. thym. fl. lavend. &c. praeparantur, quibus in vino albo gallico decoctis ac deinde colatis ⊖ gemmae, card. bened. vel ſimile aliud, ſtimuli loco, addi poſt. De *nutrientibus* jam paullo ſuperius ſententiam noſtram diximus, cum ſtructura *valvulae Bauhinianae* vaſorumque lacteorum vel defectus vel inſufficiens numerus aliaeque rationes plures aliud credere nos jubeant.

§. LIV.

§. LIV.

Quamvis autem, quibus ingredientibus variae iſtae clyſterum ſpecies conſtare debeant, ſatis ſuperque perſpectum nobis ſit; Illorum tamen praeſcriptio non ſine debita circumſpectione ſuſcipienda eſt; Quamobrem ſequentes iterum regulae tam *generales* quam *ſpeciales* probe iterum tenendae & obſervandae ſunt.

I.) In praeſcribendis clyſterum ingredientibus idem, quem in *decoctorum* praeſcriptione ſervandum eſſe diximus, ordo tenendus eſt, ita quidem, ut primo loco radices, deinde herbae & folia, hinc flores tandemque ſemina ſibi mutuo ſubordinentur.

II.) Quantitas clyſmatum pro adultis ſit ℔j. vel ʒß. in pueris vero ℥iv. vel v. ſufficiunt. Meretur tamen in genere adhuc notari, quod pro varia medentis intentione ipſa quoque clyſmatum quantitas variare merito debeat; Minorem, ſi ſcopus anodynus vel vulnerarius & conſolidans, majorem vero, ſi purgans ille fuerit, proculdubio eſſe oportet clyſteris quantitatem.

III.) Contingit haud raro & in praxi clinica frequenter obſervatur, clyſterem, rite licet injectum, tamen ſubſiſtere: Quo in caſu juvat eundem provocare vel ⊡am tepidam hominis ſani injiciendo, vel ▽ tepidae ⊖ commune vel gemmae, ſtimuli loco, admiſcendo: Hoc enim artificio, qui antea redire renuebat, mox ſecundum medentis vota revertitur.

IV.) Obſervandum praeterea, omnes clyſteres calide, quantum ferre poteſt aeger, eſſe injiciendos, non attendendo veterum exceptiones de *clyſmatibus* actu frigidis, qualia illi in dyſenteria commendabant; Quo tamen temerario auſu nihil poteſt eſſe nocentius, cum omnis actualis refrigeratio hoc in adfectu damnoſiſſimum plerumque effectum poſt ſe relinquere ſoleat. Calorem interim oportet eſſe moderatum, qualis ſummis labris vel oculo clauſo tolerari à ſano poteſt.

§. LV.

Hujus vero remedii uſus eſt usque adeo univerſalis, ut nulla fere aetas, nullus ſexus, nullumque temperamentum ſit, cui non, felici ut plurimum cum ſucceſſu, adminiſtrare illud liceat. Sive ergo laxandum, ſive purgandum, ſive flatus diſcutiendi ac reſolvendi, ſive dolores ſedandi, ſive impuritates inteſtinorum craſſorum abſtergendae, ſive ſtimulandum, & humores verſus ſuperiora congeſti, ad inferiora per *revulſionem* vel *derivationem* invitandi, utrobique adplicationem ſuam *clyſteres* inveniunt.

§. LVI.

Porro *balneorum* quoque tam *univerſalium* quam *particularium*, tam *naturalium* quam *artificialium* & *medicatorum*, inprimis *pediluviorum* ſumma non minus utilitas quam necesſitas eſt; Neque vero ulli dubitationi locus eſt, quin pariter ad decoctorum claſſem pertineant. Sunt enim *balnea* nihil aliud, quam *decocta*, magis vel minus diffuſa, pro immergendo vel toto corpore vel aliqua ſaltem ejus parte, eum praecipue in finem inſtituta, ut vel ſordibus & impuritatibus craſſioribus abſtergendis & abluendis, vel aliis ſpecialibus medentium intentionibus, ſcopis ac finibus inſerviant.

§. LVII.

Ingredientia *balneorum* pro indicatiorum curativarum diverſitate variant, prout nempe vel *emolliendi*, vel *roborandi*, *derivandi* vel *revellendi* &c. intentio eſt. Inſerviunt autem huic ſcopo maximam iterum partem *vegetabilia*, inter quae chamomilla ſive vulgaris ſive romana una cum herbis quibusdam nervinis atque tonicis principatum quaſi tenet. *Animalia* enim & partes animalium incongrue admodum hûc referuntur, niſi forte formicarum ovula &c. excipere inde placeat. Ex *mineralibus* vero ſubinde, in defectu *balneorum naturalium*, 🜍, ⦶, ○, ⊕ aliaque talia in uſum vocantur. Si enim acidulas artificialiter imitari licet, quidnî etiam balnea naturalia?

§. LVIII.

§. LVIII.

Cum vero ratione *doſεως* vix abuſus vel error notabilis committi queat, exquiſita quoque regularum exactiorum obſervatione vix opus erit, dummodo id ſollicite attendatur, *inſeſſus* matutino, *pediluvia* vero veſpertino magis tempore locum habere. Liquorem ipſum nec nimis calidum nec nimis frigidum eſſe oportet.

§. LIX.

Sicuti autem *pediluvia* in mitigandis doloribus capitis, in procurando placido ſomno &c. utiliſſima eſſe deprehenduntur: Ita contra *capitiluvia* in adfectibus catarrhalibus, vitiis ſcri ſcabioſisque capitis adfectibus nocentiſſima ſunt. *Balnea*, quae diximus, *univerſalia*, praeterquam, quod tonum partium periphericarum vel confortent vel laxiorem efficiant, etiam tranſpirationem tam ſenſibilem quam inſenſibilem egregie promovent, dolores colicos atque nephriticos mitigant, nec non in reſolutione membrorum paralytica, in atrophia, in contractura, in tremore artuum, arthritide itidem tam vaga quam fixa, ut & in facilitando partu ſatis eximie ſeſe gerunt. Non minus in translationibus menſium atque haemorrhoidum ad genuina ſua excretionum loca revocandis virtutem ſuam exerunt. At vero peſtis aliorumque morborum malignorum *epidemice* graſſantium tempore ſumme ſunt nociva.

§. LX.

Ordo jam ad *potionum extemporanearum* praeſcriptionem nos invitat, utpote quarum familiariſſimus ac fere quotidianus uſus in praxi eſſe ſolet. Et, ut ſtatim pateat, qua ratione à *decoctis* & *infuſis* differant, ſupponendum eſt, *potionum* nomine intelligi medicamentum liquidum, conſtans maximam partem aquis ſtillatitiis, quibus tamen etiam pulveres convenientes, tincturae, ♎, ſyrupi aliaque permiſcentur, idque tam *alterandi* quam *purgandi* ſcopo.

§. LXI.

§. LXI.

Quod cum ita ſeſe habeat, & haec remedii formula permultis gratia ſua ſeſe commendet: Paucae tamen obſervandae ſunt regulae, quibus earundem provida praeſcriptio circumſcribitur.

I.) In concinnandis *potionibus* cavendum, ne acida alcalinis vel talia ſibi mutuo permiſceantur, quae ſeſe invicem deſtruunt vel tertium quoddam ex mutuo ſuo concurſu gignunt: Talia potius inter ſe invicem confundenda ſunt, quae non modo amice inter ſeſe, ſed & in eundem effectum conſpirant.

II.) Proportio ingredientium haec eſt: Ad ſingulas ℥as ▽rum deſtillatarum recipitur pulveris ℈j. & ſyrupi ʒj. ſucci vero ʒij. ∽ ʒj ⊖ fixi ℥ß. & ∴ deſtill. gutt. iv. vel v.

III.) Si *potio* pro unica tantum doſi praeſcribenda ſit, requirit ▽ae ℥j. pro pluribus autem ℥vj. vel octo ſufficiunt. Aſſumuntur plerumque cochleatim. Quae unico hauſtu ſumuntur *potiones*, ſunt vel *diaphoreticae*, vel *emeticae* vel *purgantes*: Quae vero *ſucceſſive* hauriuntur, in illis non tam *evacuandi* quam *alterandi* intentio eſt; Et hae ad ℥viij. in febribus acutis & continuis, in variolis & morbilis aliisque exanthematicis adfectibus ſummo cum fructu à Practicis quotidie in uſum vocantur.

§. LXII.

Sub *potionum* claſſe merito etiam *julepi* ſeu *julapia*, antiquis admodum frequentata remedia comprehenduntur. Suntque medicamenta admodum grata, quae non ſolum odore ſed & ſapore dulci vel acidulo grato delicatioribus ſeſe commendant, quamvis, ſi, quod res eſt, fatendum, reficiendi magis, quam curandi fine à medicis praeſcribi ſoleant.

§. LXIII.

Componuntur ex aquis ſtillatitiis appropriatis, cum ſyrupis vel ſuccis acidulis, citri, berberum, ribium &c. commiſcendis, & quidem ſequentibus ſub cautelis, regulis atque monitis.

I.) Cum

I.) Cum *julapia*, ceu paullo ante dictum eſt, non tam *purgandi*, imo ne quidem *alterandi*, ſed reficiendi & refocillandi ſitimque & aeſtum reſtingvendi cauſa in febribus acutis atque continuis praeſcribantur: Hinc ingredientia omnia gratiſſima eſſe, imo & colore vinum rubellum aemulari oportet.

II.) Proportio ingredientium haec eſſe poteſt: Ad aquae deſtillatae analepticae, ſuccis fructuum vel ſyrupis permiſcendae ℔j. addi ſolet ſyrupi ℥j. vel ℥jß. vel ad ſummum ℥ij. Vel ad partes iij. aquae recipiuntur partes ij. ſacchari.

III.) Si vero acidulus expetatur *julepus*, aliquot guttulae ♉︎⊖, ⊕, ♆, ⊕ philoſophice parati, clyſſus itidem ♂ii aliaque talia, & pro intendendo colore tincturam roſarum, pap. rheados, fl. tunicae &c. addere poſſumus.

IV.) Ordinantur communiter ad ℔j. vel ij. ut, pro circumſtantiarum ratione, copioſius adſumi queant.

§. LXIV.

Pergimus ad *mixturas*, nempe *liquidas*, ubi duo, tria vel plura liquida ex tincturis, eſſentiis, ♉︎-ibus, elixiriis &c. ſubinde etiam oleis ſtillatitiis, non intimum quidem connubium ſubeuntibus, ſed ſuperficietenus tantum agitatione invicem coëuntibus ſibi mutuo permiſcentur, indeque tertium quoddam exurgit, quod *mixturam vocamus*. Ubi proinde, ne coloris gratia turbetur, ſtudioſe cavendum eſt, ne talia inter ſe mutuo confundantur, quae vel ſeſe invicem praecipitare vel prorſus motum fermentativum introducere poſſunt. Ita v. g. ſi eſſentia quaedam parum reſinoſa cum aquis permiſceatur, ſtatim mixtura turbatur; Quia per quietem aliquid, leviſſimi ſedimenti forma, ſubſidet, id quod tamen, mutua coagitatione iterum reliquis intertexitur, ſicque junctim adſumi ſeſe patitur.

§. LXV.

Diſcrepant ab *elixiriis*, quae licet ex pluribus pariter ſpeciebus, in unum tandem concreſcentibus conſtent, ſit

tamen conjunctio iſta per modum artificioſae digeſtionis, in *mixturis* vero extemporanea tantum confuſione opus eſt.

§. LXVI.

Ubi ſubtilia oleoſa cum aquoſis commiſcenda ſunt, meminiſſe oportet, *immediate* id factu impoſſibile eſſe, *mediate* vero per ⊖ia aut 🜍 ardentes ſic ſatis quidem difficile, poſſibile tamen eſſe. Media haec ſunt *emulſiones* & *ſaccharum:* Ita enim cum *emulſionibus* v. g. diſſolvuntur & ſubiguntur tam olea deſtillata & camphora, quam ipſa concreta tenaciora & reſinoſa, v. g. jalappa, ſcammonium &c. Talis namque reſina ſollicite primum ſubigitur cum amygdalis dulcibus, addendo ſucceſſive plures, deinde vero, ut moris eſt, ſub continua tritura ſubminiſtrando paullatim proportionatam quantitatem aquae ſimplicis vel deſtillatae, tandemque leniter exprimendo ac tranſcolando.

§. LXVII.

Nunc ad *pilularum* compoſitionem extemporaneam dicendorum ſeries nos deducit, quarum quippe uſus maxime familiaris eſt in mixtis odioſi ſaporis, amaris v. g. vel acribus, foetidis, reſinoſis & ☿ibus &c. in quibus omnibus ea minimum valet commoditas, ut una deglutitione veluti in ſicca atque inſipida forma per oeſophagum ad ventriculum tranſmitti queat, id quod alioquin diuturno moleſto ſapore fauces obſideret adſumptionemque fruſtraretur. Eſt itaque haec remedii formula iis admodum conveniens, qui pulveres averſantur: Ita enim ingratus ille ſapor occultari quodammodo poteſt. Vocari alias etiam *catapotia* conſueverunt.

§. LXVIII.

Ut vero *pilularem* hanc formam adquirat medicamentum, neceſſe eſt, ut in promptu ſit maſſa, cui haec forma pro artificis arbitrio imprimi queat. Itaque excipientis vices ſubeunt inprimis *viſcida,* quorſum omnia *gummoſa* ac

reſinoſa

reſinoſa pertinent, imo & extracta vegetabilium, uti ſunt extr. abſinth. cent. min. gent. rubr. card. bened. fumariae aliaque plura. Hinc eſt, quod antiquitus primarium *pilularum* ingrediens fuerit alöe, quam, ſi exhibere, ex neceſſitate judicaverint practici, tunc pro adverſiſſimo illius ſapore auferendo & *pilulari* forma inducenda alöen in uſum vocarunt. Suſtinent tamen etiam *excipientis* locum maſſae *pilularum* nonnullae, quae jam *officinales* ſunt, & in pharmacopoliis praeparatae proſtant: Ad excipiendum vero pertinent pulveres tam *vegetabilium* quam *animalium* ac *mineralium*, quae ſcil. vel acerbo, vel amaro, vel alio ingrato ſapore moleſta vel foetore nauſeoſa, vel dentibus adhaereſcendo inimica ſunt.

§. LXIX.

Itaque haec remediorum formula, ſi quae ulla alia, in praeparante ſummam requirit circumſpectionem; Itaque ſequentes iterum hic regulae ſunt animadvertendae:

I.) Ingredientium ea ſit proportio, ut maſſa *pilularis* neque nimis *dura* neque nimis *mollis* ſit, ſed *mediae* velut *conſiſtentiae*, quamvis utrumque hoc vitium facile emendari ſeſe patiatur. Additio olei hic juvat, ⊖ia vero admixta nocent formamque turbant.

II.) *Pilulas* prae aliis commodis, quibus gaudent, commendat inprimis molis exiguitas; Unde easdem in *maximas*, *medias* & *minimas* diſtingvimus. *Maximae* vix ultra gr. jj. *mediae* ultra gr. j. & minimae ultra gr. ß. vix pendeant. In determinanda doſi ad indolem & virtutes ingredientium probe attendendum eſt; Id quod praxis ſolertior unumquemque facile edocebit.

III.) Quare, miſſis ſegnioribus & medicamenti molem, non autem virtutem augentibus, ex ſolis penetrantioribus & efficacioribus extractis, reſinis & pulveribus, mole quidem exiguis, efficacibus tamen, formam hanc pilularum non tam conſarcinare quam concinnare decet.

IV.) Inter ea, quae formam hanc potiſſimum ſibi vindicant, communiter etiam ☿ dulcis connumeratur, à cujus

quippe uſu, ſub pulverulenta forma, varia incommoda atque pericula circa dentes aeque ac fauces metuere ſolent Practici. Quid alii experti fuerint, ſuo merito loco relinquo: Mihi quicquam inde ſiniſtri obſervare nunquam licuit, etiamſi plus centies ☿ium dulcem, aliis tamen ingredientibus, v. g. anthelminticis permixtum infantibus, lumbricis divexatis, exhibuerim. Minus dextre elaboratum h. e. ſufficienter non ſublimatum cauſari talia poſſe, non nego.

V.) Si ſapor, odor colorve ingratus admodum ſit, occultari haec omnia licet inaurando, deargentando, vel certos pulveres, v. g. liqueritiae, adſpergendo.

VI.) Ex reſinis quam optime parantur *pilulae*, aliquot guttulas tincturae, eſſentiae vel olei cujusdam adſpergendo: Sola vero extracta, ſcil. molliora, formam pilularum non facile ſuppeditant, niſi ulterius inſpiſſentur. Itaque reſinoſa non incongrue cum pulverulentis ſociari ſeſe patiuntur.

VII.) Si pro unica tantum doſi praeſcribantur pilulae, ultra gr. XVI. vel ℈j. non facile adſcendat artifex. Ex quovis vero maſſae pilularis grano una vel duae parari debent pilulae. Sunt tamen hic iterum varii medentis ſcopi atque fines probe conſiderandi.

VIII.) Tempus adſumendi *pilulas*, pro intentionum curativarum diverſitate, variat. *Purgantes* mane, ſubinde tamen etiam veſperi, *hypnoticae* vero veſperi, *febrifugae* ante paroxyſmum, & *alterantes* denique quovis alio tempore commode propinari poſſunt.

§. LXX.

Quamvis itaque, ut jam monitum eſt, varium in uſum praeſcribi à practicis ſoleant *catapotia*, & alias uſitatiſſimum quidem ſit, *purgandi* ſcopo illa exhibere: Nihil tamen vetat, quo minus varia quoque ingredientia alia, *alterandi* fine admiſceantur. Notandum inſuper, rarius infantibus ac ſenibus, hecticis, phthiſicis, tabidis, debilibus,

bilibus, gravidis, puerperis &c. exhibendas eſſe *pilulas*, purgandi inprimis intentione, niſi forte in puerperis lochia ſubſiſtentia revocare velit practicus.

§. LXXI.

Atque hae ſunt primariae medicamentorum *internorum* formulae, quae practicis hodie ſunt uſitatae. Ad *externorum* varias formas nunc tranſeundum eſt, quorſum *cataplaſmata*, *epithemata*, *emplaſtra*, *ungventa*, *linimenta* &c. ſpectant.

§. LXXII.

Et quod proinde *cataplaſmata* primum attinet, de illis ſuperius, ubi de *decoctis* egimus, ſimiliter agere & potuiſſemus & forte debuiſſemus. Eſt enim revera nihil aliud *cataplaſma*, quam *decocti* ſpecies, atque adeo medicamentum externum, molle, pultiforme proindeque inter *topica* non poſtremum ſibi locum vindicat. Qua vero ratione ab *epithematis*, *unguentis*, *linimentis*, *emplaſtris*, itemque *bolis* & *electuariis* diſcrepet, id ex cujuslibet horum medicaminum forma ac differentia ſpecifica aeſtimandum ac dijudicandum eſt.

§. LXXIII.

Materiam *cataplaſmatis* praebent in genere omnia *mucilaginoſa*, *gummoſa* atque *mollia*, quae nempe liquorum convenientium acceſſione in mucaginem facile convertuntur, aut coctione mediante conſiſtentiam illam *pultiformem* demum adquirunt. Speciatim vero illam conſtituunt radices, herbae, fructus ac ſemina, quae ſufficienti ▽ae quantitati immiſſa, *coctionisque* ope tandem ſibi mutuo unita pulmenti formam induunt, quod deinde variis C. H. partibus adplicitum, vel humores ſtagnantes coquit & maturat vel jam ſatis praeparatos ad exitum diſponit.

§. LXXIV.

Modus *cataplaſmata* talia parandi duplex eſt; Vel enim aquae calefactae *vegetabilia* praedicta leviter comminuta,

ſucceſſive committuntur, ſicque informam pultis percoquuntur, vel ſpecies groſſiori modo conſciſſae mediante coctione in *pultiformem* conſiſtentiam rediguntur, deinde vero per ſetaceum trajiciuntur, ut craſſiores ac faeculentae partes, comminutioni exactiori non obedientes, inde removeantur. Quae tamen omnia ſub ſequentium regularum ſollicita obſervatione obtineri demum licet.

I.) Cavendum ante omnia eſt, ne nimia in quantitate ſpecies pro cataplaſmatibus praeſcribantur; Hinc ultra ℔j. vel jß. non facile una vice adſcendat; Ob frequentem tamen repetitionem non facile minorem praedicta eſſe oportet.

II.) Proportio ad concinnandam *cataplaſmatis* formam haec eſt: Ad ingredientium ℔j. requiritur liquoris ℔ß. & oleorum ℥ij. Liquores vero pro indicationum curativarum diverſitate varios eſſe oportet, nempe vel aquam ſimplicem vel deſtillatam, vel lac vaccinum, caprillum vel ovillum, vel vinum vel acetum &c. quam diverſitatem non ipſius modo adfectus indoles, ſed & ipſarum partium laborantium ſitus ac reliqua habitudo facile determinabunt.

III.) Pleraque *cataplaſmata* calide debitoque ordine ſunt adplicanda, &, quia facile frigeſcunt, ſaepius repetenda, & mediante linteo duplicato partibus imponenda, id quod potiſſimum de maturantibus, anodynis, diſcutientibus ac reſolventibus intelligendum eſt.

§. LXXV.

Ex quibus omnibus clare liquet, hanc remedii formulam in omnis generis tumoribus durioribus eximiam exerere utilitatem, ſive ad illius diſcuſſionem & reſolutionem, ſive ejusdem maturationem per ſuppurationem natura inclinet. Eo ipſo vero, dum humores maturat ac ſubigit, tandemque cutim rumpit, ad ipſorum quoque dolorum mitigationem non parum confert.

§. LXXVI.

Cataplaſmatis immediate ſubjungimus *epithemata*, quippe quae ab illis in eo tantum differunt, quod liquida ſint & cum linteaminibus in liquores intinctis vel veſicae incluſa partibus applicentur; Vel etiam ſpecies inſuuntur ſacculis, liquoribus deinde convenientibus irrorantur, ſicque tandem partibus admoventur. Sunt igitur epithemata proprie talia medicamenta, nempe humido-fluida, quae, pro variis medentium intentionibus ac ſcopis curativis, his vel illis partibus imponuntur.

§. LXXVII.

Ingredientia, ex quibus *epithemata* componuntur, ſunt vel aquae ſimplices vel ſtillatitiae, vel lac, acetum, vinum, vel vinum & aqua invicem permixta, quod communiter *oxycratum* vocant vel acetum & olea, unde *oxyrrhodina* parantur &c. Vel ſinguli hi liquores cum pulveribus vel ſpeciebus vegetabilium permiſcentur, in iisdem leviter coquuntur, atque ita calide tandem imponuntur. Horum interim ingredientium talem oportet eſſe proportionem, ut ad aquarum ℔j. ſpecierum ʒij. & aceti ℥ß. recipiatur.

§. LXXVIII.

Licet autem ejuſmodi epithemata egregium variis in caſibus praeſtent praeſidium, v. g. in mitigandis doloribus inflammatoriis pleuriticis, calculoſo-nephriticis, non minus quoque in contuſionibus capitis aliarumque partium arceant gangraenam & praeſervent à putredine: Caute tamen cum actu frigidis in eryſipelate faciei aliarumque partium inflammationibus, in arthritide itidem fixa, in febribus malignis & exanthematicis, morbillis atq; variolis nec non in moliminibus naturae criticis &c. iisdem mercandum eſt; Quia omnibus hiſce modis ac mediis humores à peripheria verſus centrum cum periculo ac damno aegrotantium repelluntur.

§. LXXIX.

§. LXXIX.

Proprius hic eſt locus dicendi paucula de *collyriis*, quippe quae natura ſua nihil ſunt aliud, quam *epithemata* ſpecialia ſeu *topica*, oculis ſpeciatim dicata, pro variis eorundem vitiis atque adfectibus emendandis.

§. LXXX.

Adplicantur plerumque ſub forma *liquida*, interdum tamen etiam *ſicca* vel *media*; *Illa* ſub pulverum tenuiſſimorum forma oculis inſufflantur: Haec vero ungventi vel linimenti forma iisdem admoventur. Ex variis aquis *ophthalmicis*, vulgo ſic dictis, uti ſunt ▽ euphraſiae, chelid. maj. roſar. pallid. ſolani &c. conſtant, quibus deinde pulveres ſubtiliſſimi ex tutia, ſief albo, momento camphorae vel croci &c. adduntur. Haec omnia, agitatione inter ſe mutuo coëuntia deinde cum linteaminibus puris vel oculis adfectis tepide adplicantur, vel diductis palpebris oculo inſtillantur.

§. LXXXI.

Cum vero oculus ſit organon admodum tenerum & exquiſiti ſenſus capax: Hinc non ſine prudenti conſilio atque circumſpectione *collyriorum* adplicatio eſt ſuſcipienda: Itaque ſequentes rurſus regulae provide ſunt obſervandae:

I.) Quamvis alias oleoſa atque pinguia oculis valde ſint nociva: Nonnullae tamen pinguedines ſunt, quae non ſine ſucceſſu ac eximio fructu oculis admoventur, uti ſunt axungia aſciae piſcis & pinguedo viperarum, quae utraque quo recentior, eo melior; Quo vero vetuſtior, eo acrior & ad uſum ineptior; Quia inflammationem in oculis poſt ſe trahunt.

II.) Nimis acria, acida aut facile aceſcentia *collyria* non facile ingrediantur; Quia humorum adfluxum ad oculos excitando vel inflammationem in illis cauſſantur vel jam praeſentem augent.

III.)

III.) Collyria ultra ℥j. vel jj. non facile ſunt praeſcribenda, pulveres vero in tenuiſſimum & impalpabilem pollinem tritos eſſe oportet, & per aquam admodum diffuſos: Hinc ad ℥jj. aquarum recipimus pulveris ʒj.

§. LXXXII.

Uſum *collyriorum* quod ſpectat, oculis in inflammatione aliiſque eorundem vitiis dicata ſunt. Non tamen ſunt unius ejusdemque generis, ſed pro indicationum diverſitate admodum differunt. Leniori exſiccatione & adſtrictione ſi opus fuerit, pulveres vel ex tutia, cadmia, pompholyge, nihili albo &c. parantur. Pro abſtergente ac leniter corroſivo uſu ex ſaccharo ♄ni, ☿io dulci, croco metallorum &c. componi poſſunt. Omnes vero, quantum poſſibile, ſubtiliſſime tritos ac laevigatos eſſe oportet, quia ſub hac etiam conſiſtentia moleſte oculum adficiendo, premendo ac vellicando adfluxum humorum provocant eoque ipſo inflammationem inducunt.

§. LXXXIII.

Sequuntur in remediorum formulis *unguenta*, quorum quidem non pauca in officinis jam parata proſtant, interea tamen multa etiam in uſum medentium praeſentem ex tempore parari ſolent. Eſt vero pariter medicamentum ex oleoſis maximam partem paratum, quod leni adfrictu variis C. H. partibus, pro variis nempe ſcopis ac finibus, adplicitum his vel iſtis uſibus deſtinatur. Eſtque proinde unguentum mediae veluti conſiſtentiae, inter *olea* nempe *cocta* & *emplaſtra*; Si tamen paullo fluidius fuerit, *linimentum* dicitur, atque, ſi paullo mollius, *unguentum* vocatur proprie ita dictum; ſi aliquanto durius, ad *emplaſtri* indolem accedit, eodem tamen mollius adhuc eſt.

§. LXXXIV.

Rarius equidem occurrit caſus, ut unguentum ex tempore veniat praeſcribendum: Interea tamen noſſe oportet ingredientia, ex quibus componuntur; Atque haec proinde ſunt axungiae ſeu pinguedines & medullae animalium, v. g. pinguedo canum, porcina, humana, anſerum,

anatum, caponum, caſtorei, muris montani, medulla cruris vitulini ac cervi imo butyrum ipſum non ſalitum. His adduntur tum pulveres ſubtiles ex radicibus, herbis &c. tum aquae, boli, lithargyrium, ceruſſa; Frequenter etiam ingrediuntur ſucci, cum modico vini lento igne ad conſiſtentiam decoquendo. Imo & nonnunquam *unguenta*, in officinis jam proſtantia, cum oleis, axungiis atque pulveribus convenientibus ex tempore permiſcentur, ſicque *unguenta extemporanea* parantur.

§. LXXXV.

Ne vero contra modum procedendi quicquam peccetur vel impingatur, paucae hae regulae adhuc tenendae ſunt.

I.) In praeſcribendis *unguentis* primus ſemper locus oleis vel pinguedinibus vel *unguentis officinalibus* eſt concedendus; Haec enim *excipientium* vices gerunt, quibus deinde longe facilius reliqua pulverulenta in vel concorporari poſſunt.

II.) Similiter pulveres craſſiores oleis difficulter conjunguntur; Quare ſuccos vel extracta vegetabilium recipere ſatius eſt.

III.) In *unguentis* ☿ialibus parandis omnis labor vanus eſt atque irritus, niſi ☿ prius extinguatur; Id quod fit vel ſaliva vel pauxillo terebinthinae cypriae.

IV.) *Linimentum* in *unguentum* converti facile poteſt per proportionatam additionem cerae, quae quippe conſiſtentiam ac veluti corporaturam, ſi ita loqui liceat, praebet.

V.) Proportio in parandis *unguentis* haec obſervari communiter ſolet: Nempe ad ℥j. olei recipiuntur cerae ʒjj. pulverum vero ʒj. Caeterum unica vice ultra ℥j. vel jj. *unguenta* non ſunt praeſcribenda.

§. LXXXVI.

Quamvis autem *unguenti* formula in eo utique ſeſe commendet, quod volubilis ſit, non pulverulenta vel craſſa: Caute tamen cum iisdem procedendum eſt, quia in haemorrhoidibus v. g. coecis, inflammationibus eryſipelaceis

aeque

aeque ac phlegmonodeis, cancro &c. ſumme noxia ſunt, ubi contra laudabilem exerunt efficaciam, ſi vel emolliendum, vel materia, ſtagnatione vel ſtaſi alicubi detenta maturanda, vel partes tono ſuo privatae roborandae &c. fuerint.

§. LXXXVII.

Ab *unguentis* gradu tantum differunt *linimenta*, & raro in officinis jam parata proſtant; Atque adeo pleraque extemporaneae tantum compoſitionis ſunt, variiſque in caſibus utiliter adhibentur. Fiunt autem vel ſimpliciter ex oleis infuſis, expreſſis & modico deſtillatorum, vel ex modico *unguenti* cum talibus oleis, vel ex oleis expreſſis, parum ſevi vel cerae admiſcendo; Unde talium additamentorum ope in ſpiſſiorem *unguenti* conſiſtentiam haud difficulter convertuntur.

§. LXXXVIII.

Obſoletiora hodie ſunt ea linimenta, quae ab antiquis praeparabantur, ex remediis quippe ſegnioribus minuſque efficacibus conſtantia; Cum potius ingredientibus & admodum penetrantibus, nempe oleis deſtillatis, qualia ſunt *linimenta* nervina, anticolica, carminativa & hyſterica &c. conſtare debeant. Ita v. g. *unguentis nervinis* oleum expresſum laurinum, pinguedo humana, caſtorei, vulpis, muris montani &c. ∴ ſpicae, lavendulae &c. additur; Imo his conſiſtentiam non incommodam praebet ſapo venetus. Unguento nephritico ∴ ſcorpionum, amygdal. amararum; Et *emollienti* medulla & ſevum animalium; Tandemque *anodyno* ∴ expreſſum hyoſcyami, & *vulnerario* ∴ hyperici, ovorum &c. admiſcetur.

§. LXXXIX.

Utraque, nempe tam *unguenta* quam *linimenta* conſiſtentia ſua ſuperant *emplaſtra*, quorum tot tamque variae in officinis publicis compoſitiones proſtant, ut illis ipſis ſufficientiſſime ſcopum ſuum adſequi valeat medicus, ac proinde extemporanea talium praeſcriptione opus vix habeat.

§. XC.

Ad eandem claſſem pertinent etiam *cerata*, ideo ſic di-

ćta, quod ceram pro excipiente habent & *emplaſtra* veluti *molliora* ſunt. Deinde huc quoque pertinent *dropaces* ſeu *picationes*, quae ſunt *emplaſtra picata*, ac denique *ſparadrapa*, quae ſunt linteamina, *emplaſtris liquidis* imbuta. *Emplaſtrum* vero proprie ſic dictum eſt medicamen externum, craſſius, ſub moderata mollitie, quod corio vel linteamini ſuperinductum, pro variis artificis intentionibus ac ſcopis, variis C. H. partibus adplicari poteſt.

§. XCI.

Materiam *emplaſtris* ſuppeditant non gummoſa ſolum ac reſinoſa, ſed & alia tenaci principio gaudentia concreta, olea quoque & pulveres, ex quibus omnibus, debito modo inter ſe conjunctis, *emplaſtra* exurgunt, quorum praecipuae proprietates ſunt, imo eſſe debent, ut nec nimium tenacia, nec tamen nimis mollia ſint. Conſiſtentiam enim emplaſtrorum non ſolum lentam atque tenacem, ſed & tractabilem eſſe oportet. Tenacitatem *emplaſtris* largiuntur gummoſa pariter ac reſinoſa corpora v. g. gum. ✻, galban. bdell. ſagapenum &c. Tractabilitatem vero eamque durabilem, ne tam cito indureſcant vel exſiccentur, ab oleis, pro fundamento ſuo vel ol. olivarum vel terebinthinam vel pinguedines animalium fluidiores habentibus, nanciſcuntur.

§. XCII.

Licet autem, quod paullo ante jam monitum eſt, pleraque *emplaſtra* hodie in praxi medica aeque ac chirurgica uſitata, in pharmacopoliis proſtent: Dantur tamen caſus, in quibus extemporanea talis forma emplaſtica deſideratur. Parantur autem talia ſequentibus ſub cautelis atque regulis:

I.) Corpora gummoſa, *emplaſtris* immiſcenda, aceto prius ſunt diſſolvenda: Acetum enim, praecipue copioſum ac forte, minus promptam reddit eorundem exſiccationem, idque tanto magis, ſi ſub finem decoctionis non nihil pulveris cujusdam abſorbentis addatur, unde quippe conſiſtentia ſubdeliqueſcens enaſcitur.

II.) In

II.) In formulis *emplaſtrorum* praeſcribendis uſus cerae locum tantum habet, ad tractabilitatem compoſito inducendam. Juvat tamen etiam ac ſuo modo tractabilitatem *emplaſtrorum* promovet admixtio extra ignem per malaxationem tantum camphorae & oleorum, tam coctorum quam expreſſorum.

III.) Proportio ingredientium in compoſitione *emplaſtrorum* talis eſt: Ad partem j. pulveris recipitur duplum cerae, duplum olei, quamvis cera fere indeterminate addi ſoleat, nempe q. ſ. Vix autem ad praeſentem uſum infra ℥ß. vel ultra ℥jj. praeſcribitur.

§. XCIII.

Uſus *emplaſtrorum* uti externus tantum eſt: Ita in variis quoque adfectibus externis deſideratam opem praeſtat. Speciatim vero adhibentur *emplaſtra* in vulneribus atque ulceribus, quae ſcilicet non modo ab aëris externi injuriis defendunt, ſed & conſolidationem praeſtant ac promovent. Imponuntur inſuper varii generis tumoribus, ea nimirum intentione, ut vel humorum infarctus, ſtagnatio vel ſtaſis diſcutiatur, vel ſi hoc impetrare integrum non ſit, ad maturationem & ſuppurationem humores ſtagnantes deducantur.

§. XCIV.

Ordo nunc ad *gargariſmata* nos deducit, tales nempe remediorum formulas, quae gulae ac faucibus dicata inque praxi tam medica quam chirurgica frequentiſſima ſunt. Eſt vero *gargarisma* medicamentum fluidum, ex aquis vel ſimplici vel deſtillatis plantarum vel lacte dulci paratum, quod vel in ore ſimpliciter tantum detinetur, vel circa fauces gargarizando agitatur.

§. XCV.

Conveniunt quidem in eo omnia *gargariſmata*, quod aqua conſtent & pulveribus vegetabilium vel ſyrupis, melle roſato ſimilibuſque aliis. Differunt tamen ratione indicationum curativarum, quo intuitu alia vel *diſcutientia* & *reſolventia*, vel *anodyna* ac *lenientia*, vel *adſtringentia* ac *repellentia*, vel *abſtergentia* ac *mundificantia ſunt*.

§. XCVI.

Gargariſmata reſolventia ſunt, quae humores ſtagnantes reſolvunt atque diſcutiunt, & in tumoribus glandularum ſalivalium, uvulae tonſillarumque locum ſuum inveniunt, paranturque ex foliis ſalviae, betonicae, majoranae, meliſſae, hyſſopi, floribus ſtoechados & paſſulis tam majoribus quam minoribus, in quorum omnium decocto tandem oxymellis ſquillitici ℥j. vel jj. ſolvuntur.

§. XCVII.

Refrigerantia & *incraſſantia* in inflammatione faucium, praeſertim in initio praeſcribuntur, paranturque ex ∇ roſar. plantag. brunellae &c. cui lap. prunell ʒjj. ijj. vel plures ad ℥j. vel jj. adjiciuntur, tandemque ſyrupi papav. rhead. vel alterius convenientis ℥ß. vel j. adduntur.

§. XCVIII.

Gargariſmata anodyna vel ex ſolo lacte dulci, vel ex emulſione amygdalarum dulcium, in qua ſyrupi violacei ℥j. vel altera fuerit diſſoluta, vel etiam ex decocto hordei, in quo ſyrupus diamori vel nympheae fuerit ſolutus, parantur.

§. XCIX.

Adſtringentia ſeu *repellentia* in defluxionibus humorum ad fauces ſiſtendis atque cohibendis, locum quidem habent, at vero in principio tantum, non in progreſſu, tanto vero minus in ſtatu. Praeparantur ex radicibus biſtortae atque tormentillae, floribus roſarum rubrarum atque balauſtiorum, foliis myrthi aliiſque talibus, quae deinde in ▽ fabrorum ferrariorum decoquuntur tandemque ſyrupi myrthini momentum additur, indeque *gargariſma adſtringens* exurgit.

§. C.

Obſervandum vero de cunctis hiſce gargariſmatum ſpeciebus; 1) Eorum materiam non eſſe deglutiendam, ſed, facta ſufficiente oris collutione, denuo exſpuendam. 2) Eadem modo calida modo frigida eſſe uſurpanda, quatenus vel reſolvendi & abſtergendi vel refrigerandi ac repellendi intentio eſt. 3.) Liquores hoſce, pro circumſtantiarum habitudine, ſi nempe patiens gargarizationem minus bene ferat, mediante ſyringa, ſubinde etiam in fauces injiciendos eſſe.

§. CI.

Huc etiam pertinent variae liquorum injectiones in varias C. H. cavitates factae, nempe in cavitatem pectoris in empyemate, poſt factam nempe paracenteſin, in urethram in hyperſarcoſi, gonorrhoeae virulentae quandoque ſuperveniente, in uterum in ſecundinarum retentione uterique ſuppuratione, in aures, in oculos, in ulcera ſinuoſa & fiſtulas &c. ubi cunctis hiſce in caſibus, pro indicationum diverſitate, neceſſarium eſt, formulas remediorum, cuivis adfectui competentes praeſcribere.

§. CII.

Antequam remediorum formulis finem imponamus, paucis adhuc de *errhinis*, *ſternutatoriis* & *ſalivantibus* ſeu *maſticatoriis* agendum eſt. Quae vero *errhina* antiquis audiebant, ea hodie *naſalia* dicere conſueverunt remedia; Praejudicium enim eſt veterum, quod *errhinorum* ope per nares cerebrum expurgari poſſe crediderint; Quandoquidem vis eorundem ultra glandulas naſales, membranas & vaſa proxima multo latius ſeſe extendit.

§. CIII.

Verſantur autem ſub triplici differentia; Alia enim formam habent *liquidam*, alia *mollem* & alia *ſolidam*. *Liquida* vel ex ſuccis expreſſis plantarum, vel ex herbis cum vino decoctis, & cum melle, ſyrupis, pulveribus &c. junctis parantur, uſumque ſuum in catarrhis narium, in ozoena aliiſque narium adfectibus ulceroſis exhibent.

§. CIV.

§. CIV.

Mollia ex variis pulveribus, cum oleis, melle vel ſuccis plantarum permixtis inque mollioris *ungventi* formam redactis praeparantur; Quae deinde naribus illinuntur vel cum goſſypio iisdem immittuntur.

§. CV.

Solida denique *errhina* vel in forma pulveris, vel cum turundis immittuntur in nares, ſi prius ſyrupo quodam excipiantur, habentque uſum ſuum vel in haemorrhagiis narium earumque ulceribus, polypo aliiſque caſibus.

§. CVI.

Ab hiſce omnibus gradu differunt *ſternutatoria*; *Illa* enim, nempe *errhina* ſine ſternutatione, *haec* vero cum ipſa effectum ſuum exerunt. Atque adeo tales ſunt remediorum formulae, quae in nares immiſſa aut ſpiſſius ſerum ibi congeſtum & ſtagnans incidunt, attenuant atque reſolvunt, deinde vero reſolutum ad excretionem diſponunt, non ex longinquo, ex cerebro ſaltem illud advocando, ſed & ex glandulis proximis, ſub tunica pituitaria ſitis.

§. CVII.

Uſus *ſternutatoriorum* multifariam ſeſe exerit, non ſolummodo, uti dictum, in muco narium reſolvendo & educendo, in ſenſu olfactus hebetiore reſuſcitando, in aegris ſoporoſis excitandis &c. ſed & in partu difficili promovendo & ſecundinis retentis expellendis multiſque aliis in caſibus. Nihiloſecius hodiernus eorundem abuſus ſollicite vitandus, cauteque cum illis mercandum eſt, ne vehementiore totius corporis ac potiſſimum capitis concuſſione facta, in adfectibus catarrhalibus defluxio verſus pulmones imo plane catarrhus ſuffocativus, in morbis vero ſoporoſis apoplexia excitetur. Suſpecta quoque ſunt in vertigine, in ſuffuſionibus & inflammationibus oculorum, in haemorrhagiis narium aliiſque adfectibus. Caeterum abuſus hic à nonnemine pica narium vocatur.

§. CVIII.

Coeterum ſub duplici etiam forma ſeſe ſiſtunt, nempe *liquida* & *ſicca*. *Haec* ex pulveribus acribus, una cum aëre attractis aut inſufflatis, nempe ex nicotianae, vel betonicae & ſalviae foliis ſiccatis, vel ex radicibus iridis florentinae vel ſolis vel pluribus ſibi mutuo permixtis parantur. Sub forma *fluida* vero ex aquis deſtillatis cum praedictis pulveribus conjunctis vel ex certorum vegetabilium ſuccis componuntur, atque deinde vel cum goſſypio naribus immittuntur, vel mediante tubulo iisdem inſufflantur.

§. CIX.

Agmen inter remediorum formulas claudunt *maſticatoria*, quae antiquis *apoplegmatiſmi* dicebantur, recentioribus vero *ſalivantia* audiunt. Suntque remedia, quae ore maſticata vi pollent ſalivam ſpiſſiorem reſolvendi, ac deinde per os evacuandi, proindeque in adfectibus catarrhalibus & infarctibus capitis ſeroſis commendantur, quamvis illorum efficaciam ultra

glandu-

glandulas ſalivales oris, palati ac faucium extendendam eſſe, non proletariis forte argumentis probari poſſit.

§. CX.

Magna vero horum *ſaliBantium* differentia eſt, ſi inprimis modum adhibendi ſpectes: Nonnulla enim ſimpliciter in ore vel ſub lingua, ſine omni maſticatione detinentur, ut ſenſim liqueſcant; Et ſic ſalivam feliciter proliciunt. Alia vero actu maſticantur & inter dentes conteruntur, ſicque contrita demum *ſaliBantia* evadunt, qualia ſunt folia lauri, betonicae, ſalviae, nicotianae, ſemen ſinapeωs, radices angelicae, carlinae, ſcorzonerae, pimpinellae, pyrethri, ireωs noſtratis &c. vel ex aromatibus cinnamomum, caryophylli aromatici, nux moſchata, zingiber, piper &c. quae omnia vel per ſe maſticanda exhibentur, vel inter ſe mixta nodulo includuntur, ſicque maſticanda propinantur.

§. CXI.

Poſſunt tamen etiam praedictorum ingredientium pulveres facile in *trochiſcos* vel *tabellas* ſublinguales converti, ut guſtui gratiores evadant, dummodo aliqua mucilagine excipiantur, addita prius proportionata quantitate ſachari candi.

§. CXII.

Caeteroquin commendari à Practicis ſolent in adfectibus oris interni atque palati, in dolore dentium, rheumatiſmo aurium atque oculorum &c. Ab antiquis etiam in variis cerebri adfectibus, comate nempe ſomnolento, caro atque lethargo commendata ſunt eadem haec remedia. An vero euſque eorundem energia ſeſe extendat, merito dubium videri poſſet.

FINIS.